G½
108

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.



MEDICINA PASTORALIS

IN USUM CONFESSARIORUM
ET CURIARUM ECCLESIASTICARUM

ACCEDUNT

" *TABULAE ANATOMICAE* „ EXPLICATIVAE

AUCTORE

IOSEPH ANTONELLI SACERDOTE

NATURALIUM SCIENTIARUM DOCTORE AC PROFESSORE

WITHDRAWN

Vol. I.

Complectens: 1°. *Summulam anatomiae et physiologiae humanae;* 2°. *Quaestiones physiologicas de Primo, Quinto et Sexto Decalogi Praecepto;* 3°. *Appendicem de Ecclesiastico Coelibatu.*

Editio altera

AUCTA ET EMENDATA

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

253.3 A634M2 v.1

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIO THEOL. S.S. CORDIS JESU.

FRIDERICUS PUSTET

PONTIFICALIS BIBLIOPOLA

ROMAE

RATISBONAE — NEO-EBORACI — CINCINNATI

1906

IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR.

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Ioseph Ceppetelli, Patr. Const. Vicesg.

PROOEMIUM

Sacerdos quidam casum olim mihi proponebat resolvendum de impotentia, qui in Confessionibus audiendis ei occurrerat, non quidem valde intricatum, sed talis naturae, qui quamdam experientiam in hisce materiis tractandis certo exposcebat. Postquam illi meam mentem aperuissem, ipse cogitabam quod ei attigerat, aliis etiam confessariis contingere posse, et mirabar, inter tot theologiae moralis libros, qui fere quotidie in lucem prodeunt, nullum esse, qui plures huiusmodi casus colligeret, in praxi occurrentes, quique posset Confessariis auxilio esse in difficultatibus solvendis. Qua re, desiderio motus illos iuvandi, colligendo potiores ac difficiliores quaestiones a dictis auctoribus non tractatas vel valde imperfecto vel erroneo modo, et saepe non sufficienti scientia physiologica, nonnulla conscribere coepi. Mea mens in primis erat tantum nonnullas quaestiones physiologicas pertractare, quae cum theologia morali stricto ligamine connectuntur, et parvo volumine illas complecti. At, sicut fit in materiis parum antea examinatis, quatenus referuntur ad rem moralem, argumenta tractanda creverunt numero, et, ut clara methodo exponerentur, duplici volumine comprehendi necesse mihi fuit. Haec origo huius operis.

In praesenti nostro saeculo scientiae observationis, praesertim medicina, chirurgia, physiologia et anatomia, adeo progressae sunt, ut plura facta nova comperta sint, de quibus oportet, ut theologia moralis iudicet, iuxta principia certa, quid in praxi de iis sit tenendum. Et, ut rationali methodo procedat et rite iudicium ferat, necesse est ut non tantum facta nova recte cognoscat, sed etiam partes scientiae,

quibus facta illa nituntur, optime sciat et aestimare valeat. Haec necessitas coniugendi scientiam physiologicam cum quaestionibus moralibus, quae ad illam referuntur, adeo evidens est, ut omnes Auctores, qui ex professo certas quaestiones pertractarunt, praesertim de matrimonio, numquam praetermiserint scientiam sui temporis dictis quaestionibus applicare ; sufficit, ex. gr. ad memoriam revocare Sanchez, et plurimos scriptores post eum, qui doctrinam ab eo traditam fere in omnibus sequuti sunt, Zacchiam, qui primus perfectum, pro sui temporis scientificis cognitionibus, opus conscripsit, ubi plures quaestiones, quae ad theologiam moralem referuntur, ampla et rationali methodo pertractatae inveniuntur, et S. Alfonsum, qui in pluribus quaestionibus moralibus medicorum sententiam exquirebat. At scientia nostri aevi eo processit, ut plurimae quaestiones ortae sint, maxime difficiles, quae recte tractari et solvi nequeunt, nisi sufficienti scientia physiologica quis polleat. Et sicut in ceteris ramis humanae doctrinae progressus scientiarum observationum nostri aevi plures et non minimi momenti quaestiones invexerunt, ita scientia moralis plurimas quaestiones pertractandas ante se habet, quae maxime in praxi occurrunt. Immo nonnullae quaestiones, quas veteres vario modo solvebant ob carentiam physiologiae et anatomiae, in praesenti difficiliores effectae sunt, tum ob novos progressus scientiae, tum quia vere novae sunt. Qua re patet, in omnibus his quaestionibus, a veteribus scriptoribus nonnisi principia certa, quae nituntur iure naturali et pontificio, esse accipienda, reliqua vero quae, sive ad facta male nota, sive ad scientiam physiologicam erroneam referuntur, esse reiicienda. Quod quidem opus, etsi non facile, necessarium tamen esse clare constat, si in desiderio sit, ut veritas integra et absoluta appareat et scientia moralis non negligat studium ac progressum aliarum scientiarum, quae ei magno emolumento in plurimis esse possunt.

Necessitas haec coniungendi scientiam physiologicam certam nostri aevi cum quaestionibus moralibus, quae ab ipsa orta sunt, vel maxime ad eam spectant, omnibus comperta esse debet. Et re quidem vera, quomodo posset rite theologus vacare studio quaestionum, ex. gr., de abortu, de nonnullis operationibus partus, de ectopicis fetibus,

de hypnotismo, de impotentia et sterilitate, de affinitate et consummatione matrimonii, si scientias physicas, quae ad eas referuntur, ignoret aut non bene noscat? Poterit-ne esse contentus repetere, quae veteres auctores tenuerunt, cum relativae scientiae male noscerentur aut nondum ortae essent, vel facta ipsa non certa? Quod si ita esset, non parum damnum eveniret scientiae morali ipsi et saluti animarum.

Quam necessitatem plurimi in praesenti plene adverterunt; et cum quaestiones novae vel novo adspectu propositae referantur potissimum ad physiologiam et anatomiam, hinc nonnulli, scientiae medicae periti doctores, illas exponere, dilucidare et explanare laudabiliter aggressi sunt, ex quibus sufficit nobis speciali modo recordari Capellmann, qui libro: « *Medicina pastoralis* », et Von Olfers, qui suo opere: « *Pastoralmedicin* », plura egregie tractarunt; quae opera plausum Clericorum obtinuere, ut coniicitur ex repetitis editionibus et mutatione nonnullarum idearum ex parte theologorum. At anatomia et physiologia continuo progrediuntur; et nostris diebus studia et experimenta complurima instituta sunt, quae praesertim ad psychologiam humanam spectant, ex quibus factum est, ut plura etiam facta innotescerent antea ignota aut non sufficienti experimento probata; hinc necessitas et horum etiam plurima ad examen revocare. Praefati vero auctores quaestiones varias tractarunt, praesertim sub respectu medicinae, etsi studuerint cum principiis moralibus illas connectere; at ipsi supponunt semper in lectoribus sufficientes notiones physiologiae et anatomiae, quae ordinarie in Clericis desiderantur; quo fit ut non omnes Clerici momentum ipsarum quaestionum semper plene intelligere valeant.

Quam necessitatem coniugendi in praesenti scientificas nostri aevi cognitiones cum quaestionibus theologiae moralis plene videntes et conditionem studiorum Cleri, saltem in nonnullis regionibus, perfecte noscentes, in exarando hoc opere ad plura advertimus, ita scilicet ut pars theorica, quae omnino necessaria est, cum parte practica comes iret. Hinc antequam ad tractationem particularium casuum descenderemus, voluimus summulam anatomiae et physiologiae humanae exponere, quae esset velut substratum necessarium ad quaestiones,

postea tractandas, rite intelligendum. Nec quis omnes et singulas quaestiones, quae nostris diebus circumferuntur, hic quaerere debet; sed tantum potiores et maioris momenti vel quae in praxi frequentius occurrunt; cetera vero ex industria omisimus vel quia omnia et singula facta, quae adducuntur, non omnino ab omnibus probata sunt, vel quia actualibus non certis notionibus ea explicare, praematurum esse iudicamus, cum hodierna studia circa particulares proprietates humani corporis ostendere videantur, saltem pro aliquibus factis, aliam posse esse explicationem. Hac ratione plura ex iis, quae thelepathiae nomine vocantur et plura ex analogiis humanis et diabolicis, quae aliquam speciem prae se ferunt cum mystica divina, omisimus. Dicimus *plura,* quia pro nonnullis evidens est causa praeternaturalis quoad thelepathias (sive bona, sive mala sit, in singulis casibus iudicandum est). Quod vero spectat ad mysticam divinam, in tractatibus, qui sunt, non difficile erit, ex criteriis ibi traditis, certo cognoscere quae Dei donum sunt; de pluribus vero analogiis putamus supersedendum adhuc esse, saltem quoad facta, quae ex anomaliis organicis etiam oriri possunt, etsi omnino miranda. Ceterum, qui quaestiones mysticae generalis noscere cupit, potest optima opera consulere Scaramelli, Görres et Ribet.

Quoad vero methodum tractationis habitae in hoc opere optimum duximus omnino separare partem generalem a parte speciali, et in hac ordinem sequi, qui tenetur in tractatibus theologiae moralis. Hinc primo praemittimus totam partem generalem anatomiae et physiologiae cum anomaliis potioribus corporis humani, dein, iuxta ordinem notatum, singulas quaestiones, indicando, ubi opus est, numerum textus consulendi, si res, de qua agitur, non amplius in memoria sit. Cum vero expositio anatomica et physiologica valde summarie exposita sit, accedunt figurae anatomicae, quae intelligentiam textus valde adiuvant; insuper speciale studium mihi fuit ut nonnullae figurae, quae a nonnullis possent iudicari turpes, tantum per lineas exprimerentur, ita tamen ut veritas scientifica nullo modo laederetur et lectorem dispensaret ab aliis operibus anatomicis consulendis, quae pro pluribus absque periculo non evaderent. Expositis demum potioribus quaestio-

nibus, accedunt plura pro praxi valde necessaria, praesertim pro Sacerdotibus, qui moribundorum curae adsistunt.

Omnia, hoc opere exposita, curavi ut optimis fontibus haurirem, tum iuris naturalis et pontificii et optimae notae auctorum ecclesiasticorum quoad rem moralem, tunc meliorum operum physiologiae, anatomiae et rei medicae et recentiorum experimentorum, quoad partem biologicam, nostrae aetatis, ita ut, ex hoc latere, habeatur status *certus* actualis scientiae medicae; neque minoris auxilii fuere mihi studia scientiarum naturalium, quibus iam pluribus annis operam impendo, quaeque formant velut basim necessariam ad quaestiones anatomicas et physiologicas debito modo tractandas. Utrum in omnibus punctum desideratum retulerim, lector doctus iudicet. Hoc tamen notatum volo, quod si in nonnullis defeci, effectus non fuit certo voluntatis nec deficientis studii.

Omnia tamen subiicio iudicio sapientum et in primis magisterio supremo et infallibili Sanctae Sedis, ita scilicet, ut si quid in hoc opere irrepserit, quod sit minus conforme eius menti et doctrinae, penitus a me reiectum et retractatum iam esse declaro.

MONITUM
DE ALTERA EDITIONE

In altera hac editione lector inveniet nonnulla mutata. In primis optimum duxi partem generalem anatomicam et physiologicam magis diffuse et magis scientifice pertractare, cum animadverterim nimis syntetice in prima editione eam pertractasse. Quod quidem efficiet ut pluris aestimentur quaestiones in hoc opere tractatae et magis appareat necessitas huius studii pro clero. Amplius studium et maior expositio physiologiae secum tulit necessario augmentum figurarum anatomicarum, quibus facile est rite eam intelligere. Nonnulla demum huc illuc immutavi, cum viderim mutanda esse vel clariori modo exponenda ; quae quidem mutationes, ordinarie non circa substantiam quaestionis solvendae, immutatam relinquunt doctrinam in prima editione iam traditam.

PARS I

SUMMULA PHYSIOLOGIAE HUMANAE

CAPUT I.

DE HUMANI CORPORIS STRUCTURA ET FUNCTIONIBUS

1. Cum *Medicina pastoralis* versetur circa quaestiones physiologicas, quae maxime theologiam moralem attingunt, necesse est nonnullas praemittere notiones de humani corporis structura et functionibus, sine quibus notionibus tractandae quaestiones intelligi rite non possunt.

2. Humanum corpus quamplurimis constat elementis seu partibus, quae omnes concurrunt ad sanitatem servandam, et quibus anima utitur, hoc mortalis vitae statu, ad exercenda sua munia.

Quaelibet corporis pars, si ad minimam ac transparentem sectionem reducatur et per microscopium observetur, quamplurimis constat corpusculis, vario modo inter se connexis, saepe uti sunt apium alvearia, quae corpuscula anatomice **cellulae** vocantur; hinc, etsi corpus et quaevis eius pars externe appareat aliquid homogeneum, his tamen cellulis omni modo constare dicendum est [1].

---

[1] Cellulae animalium *ordinarie* minimae sunt et earum magnitudo computatur per *millesimum millimetri*, quod indicatur per litteram graecam μ, quae legitur *micron*; ita ex. gr. cellulae sanguinis aequivalent 7 ad 8 μ, cellulae adipis 60 μ, cellulae nervosae usque ad 100 μ, cellulae musculorum attingunt dimidiam partem millim. Primae cellulae observatae fuere statim ac inventum fuit microscopium et primi fuerunt Malpighi (1628-1694), Loewenhoeck (1632-1723), Grew et plurimi alii saec. XVII.

3. Quaelibet *cellula* pluribus constat partibus, scilicet: 1° involucro quodam externo, quod **membrana cellularis** dicitur; 2° substantia quadam, quae habet structuram et constitutionem nullo modo simplicem et est pene liquida, cui nomen **protoplasma,** in membrana inclusa; 3° parvo corpusculo, quod in protoplasmate continetur, cui nomen **nucleus;** 4° uno vel pluribus etiam minimis corpusculis in nucleo inclusis, quae **nucleoli** vocantur (fig. 1. (1)).

4. **Protoplasma** est substantia plus minus granulosa et chemice constituitur, ad minus, quatuor elementis (carbonium, oxygenum, hydrogenum et azotum), quae efformant plura composita azotata seu albuminoides, ex quibus protoplasma conficitur; his elementis adduntur aqua (75 0[0] et amplius) et, minima quantitate, sulphur et phosphorum; adsunt etiam nonnulla metalla (calcium, ferrum, kallium, magnesium etc.) sub forma salium. Protoplasma praebet particulares *motus* etiam cum includitur in membrana, qui apparent ob motum granulationum et totius protoplasmatis; evidentior est motus in cellulis carentibus membrana; tunc enim protoplasma emittit ac revocat appendices variae formae. Protoplasma est etiam *irritabile,* scilicet mutat formam (*contractilitas*) vel compositionem vi causarum excitantium, quae possunt esse physicae, chemicae vel physiologicae, ob actionem nempe nervorum. Praeterea protoplasma habet functionem respirationis et adsimilationis, uti infra dicemus.

Nucleus est instar parvae vesiculae constans protoplasmate magis denso et maiore quantitate phosphori et substantia speciali, quae est *nucleina.* Nucleus continet unum aut plura corpuscula similia, quae dicuntur **nucleoli.**

Membrana, quae limitat protoplasma, est naturae albuminoidis, sicut protoplasma ipsum.

5. Omnium harum cellularum partium maximi momenti est protoplasma; in ipso enim omnes actiones et reactiones, ex quibus organica seu physica vita resultat, exsistunt; ipsum, aliquo modo, vitalitate sua privatum, statim moritur et numquam potest amissam vitalitatem denuo acquirere. Qua re in physiologia integrum animalium corpus dici debet constare summa omnium harum viventium cellularum. Cibi, qui sumuntur pro nutritione, liquida, quibus utimur ad extinguendam sitim et valetudinem servandam, physiologice adhibentur ad incolumes servandas cellulas; omnes substantiae, quae e corpore emittuntur, ut urina, sudor, etc., ex mutata, ob laborem physiologicum, protoplasmatis chemica compositione, prove-

niunt. Hinc, humanum corpus, physice inspectum, velut quaedam machina recte considerari potest, quae, ut optime suo munere fungi possit, necesse est neque calore nec aqua careat; eius activitas varios motus gignit, qui ad plures effectus obtinendos ab homine, apto modo, adhibentur; at in huiusmodi activitate, calor et aqua, quae veluti machinam alunt, consumuntur, et quae ex combustione restant, idest vapores et cineres, utpote non amplius apta ad mechanicum laborem producendum, emittuntur; qui, ut ita dicam, machinam dirigit, homo est; qui vero humanae machinae functionibus utitur, in hac vita, ad omnia spiritualia munera obeunda, hominis anima est. Et eo modo, quo machina ab suo labore vel se abstinet vel cessat omnino, cum materia combustibili et aqua careat, ita non potest physiologicum exercere laborem corpus humanum, qui labor pendet ab singularum cellularum activitate, nisi cum rursus nova ad agendum alimenta sumuntur; item quemadmodum quilibet machinae labor carbonis et aquae consumptionem quamdam secumfert, ita quaelibet corporis humani actio, sive physica sive psychica, materiae protoplasmatis consumptionem secum adducit. Hac causa omnia corporis elementa continuo moventur et removentur; vetera decidunt et emittuntur, nova introducuntur et deperditorum loco sufficiuntur; vita physica ipsa itaque continuus est circulus materiae aptae, quae non amplius aptae locum cedit. Vehiculum ad omnia haec efficienda sanguis est, qui semper, instar ramosissimi torrentis, celeritate magna totum corpus percurrit, nova alimenta adducens, veteres vero emittendas substantias auferens, quae postremae per certa organa extra efferuntur.

Officium praecipuum *nuclei* habetur in multiplicatione cellularum; quod quidem efficit ut recte teneatur ipsum esse elementum necessarium in constitutione cellularum; et si in nonnullis cellulis adhuc non fuit possibile illum conspicere, iuxta physiologos, hoc penderet ab actualibus mediis observationis, quae impediunt quominus appareat et tamen esset in protoplasmate statu diffusionis [1].

6. Quaelibet cellula, cum sit corpus anatomicum vivens, ut omnia viventia, duplici officio pollet, scilicet **nutritione** et **multiplicatione**. Per *nutritionem* cellula statum servat, quo possit recte suo munere fungi; per *multiplicationem* vero, augetur corporis moles, cum omne

---

[1] Duval et Constantin, *Anatomie et physiologie animales;* 2ª edit., 1894, Paris, pag. 15.

animal ex *una tantum* cellula ortum ducat, quae est *ovulum*, ut infra dicemus; insuper semper quamplurimae cellulae, sive ob earum mortem, sive ob alias causas, et praesertim ob infiltrationem adipis, decidunt; ita ex. gr. fit de cellulis epidermidis totius corporis et canalis digestivi, seu stomachi et intestinorum. Modus, quo fit *nutritio* cellularum, valde implexus et adhuc satis obscurus est; consistit essentialiter in absorptione ex sanguine, ob activitatem propriam protoplasmatis, nonnullarum substantiarum, quas substantias protoplasma ipsum sibi adsimilat, quaeque vitam ipsam postea protoplasmatis vivunt. *Multiplicatio* vero in hoc consistit, quod cellula paullatim in duas dividitur; postea quaelibet harum denuo eodem modo dividitur et ita indefinite, donec vita hominis perdurat. Modus divisionis item satis implexus est, at bene notus. Durante processu divisionis, nucleus gaudet activitate speciali et prae se fert seriem mutationum, quarum effectus est divisio nuclei (*Karyocinesis*).

7. Cum vero corporis cellulae non idem officium habeant, quam maxime variabilis est eorum forma. Iuxta modum, quo cellulae inter se connectuntur et iuxta officium varium, quod habent, distinguuntur plura **texta** cellularum, quae sunt: *a*) **textum epitheliare,** *b*) **t. connectivum** seu **connectens,** *c*) **t. musculare,** *d*) **t. nerveum** et *e*) **t. sanguineum** seu **sanguis.** De singulis nonnulla.

8. *a*) **Textum epitheliare** (ἐπὶ = supra; θηλὴ = papilla) totam corporis superficiem tegit; in cavitates, externe communicantes, ut os, nasus, stomachus, intestina, etc., penetrat; hoc in casu epithelium *mucosa* melius appellatur; tegit etiam interna organa cava, externe non communicantia, ut cor, venas, arterias, etc.; tunc *endothelium* (ἔνδον = intus) dicitur.

Huius epithelii distinguuntur plures varietates, quarum maioris momenti sunt: *epithelium pavimentosum* (fig. 1 (2)), cum cellulae depressae sunt et formae polygonalis; *epith. cylindricum*, cum cellulae formam cylindricam habent; *epith. stratificatum* cum cellulae in plures series suprapositas disponuntur; *epith. vibratile* (fig. 1 (3)) constans cellulis cylindricis, quarum pars superior libera praebet plurima cilia motu vibratili praedita, permanente tota vita et etiam aliquo tempore post mortem; hae cellulae inveniuntur ex. gr. in bronchiis, in tubis falloppianis etc.

Forma specialis epithelii est *epithelium glandulare*, quod constituit glandulas, quae in superficie epithelii ipsius aperiuntur. Hae glandulae ortum ducunt ex hoc, quod epithelia introflectuntur in

partibus subiacientibus et efficiunt quamdam cavitatem, simplicem vel ramosam, quae, directe vel per canalem, in superficie aperitur; canalis conficitur epithelio cylindrico ordinario, pars vero profunda constat cellulis, quae variare possunt in characteribus iuxta modum fungendi protoplasmatis (fig. 2).

Officium epitheliorum est: 1° impedire ingressum corporum externorum ob eorum impermeabilitatem (*cellulae neutrae*), ex. gr. epith. vesiculae urinariae impedit absorptionem urinae; 2° absorbere substantias liquidas vel gasosas, quae ipsa tangunt, et ad profundiores partes transmittere (*cellulae absorptionis*); 3° colligere nonnullas substantias in textis vel liquidis proximis ac dein illas emittere (*cellulae secretionis*).

9. *b*) **T. connectivum** seu **connectens** ad varias corporis elementa anatomica connectenda inservit, corpori soliditatem, elasticitatem, rotunditatem, etc., impertitur; huius naturae sunt ex. gr. cartilagines, ossa, adipes, partes elasticae.

Discrimen potissimum inter textum epitheliare et connectens, in hoc est, quod in primo cellulae inter se adhaerent directe absque substantia intermedia, in altero vero inter cellulas adest specialis substantia, instar coementi, illas coniugens. Cum eius officium sit connectere varias organismi partes, hac ratione diffusissimum est in corpore; ipsum enim, ex. gr. colligit in fasciculos fibras musculares (*perimysium*) et fasciculos in massas carneas (*aponeuroses*), fibras nerveas in nervos (*perineuron*) etc.

Eius varietates potiores sunt:

a) textum *connectens proprie dictum*, cuius cellulae sparsae inveniuntur in substantia intermedia naturae fibrillaris;

b) t. *elasticum*, in quo cellulae minoris quantitatis sunt et fibrillae maxima pollent elasticitate;

c) t. *adipatum*, cuius cellulae continent magnam guttulam adipis, ita ut protoplasma parva quantitate iuxta parietem membranae iaceat; abundat hoc textum in specialibus organis, ex. gr. sub cutem, in mesenterio, etc.;

d) t. *osseum* (fig. 4), cuius cellulae inveniuntur sparsae in substantia speciali naturae albuminoidis (*osseina*), quae continet nonnullos sales minerales; hoc textum constituit omnia ossa corporis. *Pars compacta* ossium constat osseina, quae est in proportione 30-40 % circiter et 60-70 % salibus mineralibus; osseina non solvitur aqua frigida; per ebullitionem immutatur in *gelatinam;* sales minerales

sunt praesertim *phosphatum calcicum* (circit. 90 %), carbonatum, clorurum et fluorurum calcicum (circit. 5 %), qui sales ponderantur post destructionem partis organicae per ignem in aperto aëre. In parte ossea adsunt parvi canales (*canales Havers*) [1] (fig. 5), qui pluries dividuntur, et eorum rami partim inter se, partim cum cavitate ossium, partim demum cum externo communicant; in his canalibus decurrunt vasa sanguinea ad nutritionem ossium, vasa lymphatica et nervi. Cellulae ossium (*osteoblasta*) (ὀστέον = os; βλαστὸς = germen) constant parvis massis protoplasmatis nucleati, ex quo proficiscuntur plura filamenta eiusdem naturae, instar stellae, inter se communicantia; osteoblasta vero iacent in parvis cavitatibus (*osteoplasta, corpuscula ossea*), quae inveniuntur in parte compacta ossis; quae cavitates sunt radiatae, instar cellularum ossium, quas continent, et inter se communicant per minimos canales (*canaliculi ossei*), per quos transeunt productiones osteoblastorum. Inspiciendo sectionem ossis *cylindrici* transversam, notatur substantiam intercellularem dispositam esse circa canales Havers instar lamellarum circularium, dum in ossibus *latis* et in *capite articulari* ossium ita disposita est, ut plures parvas cavitates efficiat, medulla plenas; in ossibus longis internum corporis (scilicet exclusis partibus articularibus) continet *medullam*. Haec constat cellulis magnis cum pluribus nucleis, cellulis adipatis et magna quantitate vasorum sanguinis. Ossa demum externe teguntur membrana speciali texti connectentis fibrosi et elastici, quae dicitur *periostium* (περί = circa; ὀστέον = os) et inservit ad mittenda in ossa vasa sanguinea et ad conficienda osteoblasta; qua altera proprietate late utitur chirurgia ossium.

e) *Textum cartilagineum* constituitur cellulis (*chondroblasta*) formae ovalis, minime radiatis, quae iacent in cavitatibus (*chondroplasta* χόνδρος = cartilago et πλαστὸς = formatus), sitis in substantia intercellulari, naturae albuminoidis, quae dicitur *chondrina*, carens salibus calcareis et vasis sanguineis; cartilagines teguntur membrana, quae appellatur *perichondrum* (fig. 3). Omnia ossa in principio eorum genesis conficiuntur substantia cartilaginea et postea, per absorptionem cartilaginis, locum habet ossificatio.

10. *f*) **T. musculare** constat cellulis productis, e forma fusorum,

---

[1] Havers, anatomicus anglicus vixit labente saec. XVII et principio saec. sequentis

quibus nomen *fibrae*, quae proprietatem habent sese contrahendi, h. e. possunt, voluntarie vel involuntarie, longiores vel breviores fieri. Omnes motus corporis ex his cellulis producuntur.

Fibrae musculares aliae sunt *striatae*, aliae *leves*.

Fibrae *striatae* (fig. 6) ita dicuntur, quia ostendunt strias longitudinales et transversas, alternatim claras et obscuras. Per nonnulla media chemica (alcool, bicromatum potassicum etc.) fibra striata resolvitur in plures fibrillas longitudinales transverse striatas (*fibrillae primitivae*); per alia media chemica (acidum aceticum, ac. chloridricum, carbonatum Kallii) fibra striata resolvitur in plura disca (*disca Bowman*), striis obscuris respondentia. Qua re quaelibet fibra videtur constare corpusculis (*sarco-elementa*) dispositis instar stratorum transversalium et in seriebus longitudinalibus ; omnia haec sarco-elementa coniunguntur per materiam agglutinantem. Insuper singulae fibrae circumdantur subtilissima membrana elastica, quae dicitur *sarcolemma* vel *myolemma*, cui adhaerent nuclei fibrae (fig. 7). Fibrae vero coalescunt in *fasciculos musculares*, qui perimysio involvuntur. Huiusmodi musculi vehementi vi contractionis gaudent, at cito relaxantur. Huiusmodi fibrae inveniuntur praesertim in musculis, qui inserviunt motibus voluntariis; tamen et cor conficitur his fibris.

Fibrae *leves* (fig. 8) possident nucleum, carent striis transversis et sarcolemmate et saepe prae se ferunt strias longitudinales. Inveniuntur in organis non subiectis voluntati (in canali digerente, excepta parte esophagi, in venis, arteriis, ureteribus, vesicula urinaria etc.). Contractio et relaxactio musculorum levium est lenta.

11. *g*) **T. nerveum** constituit cerebrum, cerebellum, medullam longam (quibus *encephalum* (ἐν = in; κεφαλή = caput) conficitur), medullam spinalem et singulos totum corpus pervadentes nervos. Horum summa *systema nerveum* appellatur, quod maximi momenti est.

Textum nerveum comprehendit duplex elementum, h. e. *cellulas* et *fibras nerveas*.

12. *Cellulae* nerveae carent membrana et constant protoplasmate et magno nucleo cum nucleolo; in protoplasmata inveniuntur pigmenta granularia, quae sunt causa coloris substantiae griseae partis externae cerebri, cerebelli etc.; formam habent radiatam ob productiones protoplasmaticas pluries ramosas ; productiones variae numero sunt, at plerumque multae (*cellulae multipolares* (fig. 9)).

Ex omnibus his productionibus, una notatur, quae manet indivisa, homogenea et constituit *cylindrum-axis* fibrae nerveae (*productio nervea vel Deiters*). Divisiones extremae productionum cellularum non connectuntur cum divisionibus proximarum cellularum nervosarum, sed, uti per aptas methodos colorationis ostendit Ramon y Cajel, productiones protoplasmaticae in quamplurimos dividuntur ramos, quorum singuli libere finem habent cum levi inflatione; qua re influxus nerveus non fieret a cellula ad cellulam per anastomoses, sed quia productiones protoplasmaticae tangunt productiones proximarum cellularum [1]. — *Neurone* vero dicitur summa cellulae nerveae eorumque productionum.

13. *Fibrae nerveae* sunt longa filamenta, quorum color est *albus* vel *griseus*, prout ortum ducunt ex encephalo et medulla spinali, vel spectant ad systema nerveum, quod dicitur « *gran simpatico* ». Color albus pendet substantia speciali quam habent, cui nomen *myelina;* hac de causa fibrae nerveae distinguuntur in *fibras myelinicas* et *amyelinicas.*

Fibrae myelinicae (fig. 10) completae constant sequentibus partibus: *a*) *cylindro-axi* praefato, qui formam habet levissimi filamenti, quod aliquando resultat fibrillis protoplasmatis inter se coniunctis per liquidum protoplasmicum (*hyaloplasma*) et ortum ducit ex productione Deiters; *b*) *myelina*, quae efficit velut involucrum cilindro-axi, et est diaphana et liquida tota vita; *c*) *involucro Schwann* (neurilemma), quod est membrana valde subtilis, quae ostendit in eius facie interna nucleos depressos, circumdatos levissimo protoplasmate. Involucrum Schwann est originis cellularis.

Fibrae amyelinicae carent myelina et constant cilindro-axi cum vel absque involucro Schwann. Huiusmodi fibrae inveniuntur, praeter sistema « gran simpatico », plus minus abundanter in omnibus nervis mixtis et praesertim in pneumo-gastrico.

Fibrae nerveae simul coniunguntur per laminas texti connectentis; cellulae vero nerveae inter se habent cellulas radiatas cum longis productionibus, quae efficiunt delicatam retim, cuius officium est sustinere cellulas nerveas; hae cellulae radiatae dicuntur *nevroglia.*

14. *e*) **Sanguis;** est liquidum, constitutionis valde complexae; inservit ad nutritionem corporis; de sanguine agimus in capite *de circulatione sanguinis.*

---

[1] Lefort P., *Aide-Memoire d'histologie*, Paris 1897, p. 150-151.

15. **De divisionibus biologiae.** — *Biologia humana*, seu scientia omnium processuum vitalium, qui observantur in homine, comprehendit plures divisiones, quarum potiores sunt:

Anatomia (ἀνά = in; τομή a τέμνω = incido, seco) seu scientia, quae circa structuram, formam et relationes variarum corporis partium versatur.

Physiologia (φύσις = natura; λόγος = sermo), quae quaerit modum fungendi variarum partium corporis, quae partes, hoc in casu, *organa* dicuntur, et inquirit conditiones necessarias, ut rite suo munere haec organa fungantur.

Pathologia (πάθος = morbus), quae munus habet noscendi mutationes, quas causae morborum morbique ipsi diversis organis afferunt.

Etiologia (αἰτία = causa), quae est studium causarum morborum.

Therapia (θεραπεύω = curo), quae medicinas et remedia praescribit ad causas morbosas destruendas et pristinam valetudinem restituendam.

Hygienica (ὑγιεινὸς = sanus) est *disciplina*, quae indicat media ad valetudinem servandam, quae ab experientia et physiologia commendantur.

16. **De organis et apparatibus.** — *Apparatus* dicitur complexus organorum, quae, etsi varia et propria officia habeant, tamen ex omnibus eorum officiis unum tantum maximi momenti officium oritur. Ita, ex. gr. *anatomia* describit omnes partes oculorum earumque mutuas relationes; quatenus vero oculus consideratur relate ad visionem, *organum* est; quomodo demum, nota oculorum structura anatomica, per oculos fiat ut obiecta externa a nobis videantur, *physiologia* dicitur *oculorum*. Item ori, linguae, glandulis salivaribus, esophago, stomacho, intestinis eorumque glandulis particulare inest officium; at, cum omnia haec organa eorumque diversa officia ad hoc tendant ut cibi digerantur et apti fiant ad nutritionem corporis, omnia dicta organa *apparatum* constituunt *digerentem* seu *digestivum*.

17. **De partibus humani corporis.** — *Partes*, quibus constat humanum corpus, sunt: 1° **caput**, 2° **truncus** et 3° **extremitates** seu **artus**.

18. **Caput** comprehendit superius *calvam*, quae continet partem systematis nervei, h. e. *cerebrum, cerebellum* et *medullam longam (encephalum)*; anterius comprehendit *faciem*, in qua sunt oculi, nares, os et aures; caput fertur collo et tegitur capillis.

19. **Truncus** sustinetur, in parte posteriore, columna verebrali; eius parietes efficiunt magnam cavitatem (*cavitas generalis corporis*), quae superius comprehendit *a*) *pectus* seu *thoracem* et *b*) inferius *ventrem* seu *abdomen* (fig. 11).

a) *Pectus* constituitur binis *pulmonibus,* qui proteguntur subtili quadam membrana serosa, cui nomen *pleura* et qui, per binos canales (*bronchia*) communicant cum maiore canali (*trachea*), quae in medio et parte anteriore colli est, quaeque in parte posterioris oris aperitur et ad respirationem inservit. In medio vero pulmonum iacet *cor,* organum principale circulationis sanguinis. Notatur etiam *esophagus,* qui ante columnam vertebralem iacet, post tracheam et in parte posterioris oris aperitur; inservit ad transitum ciborum in *stomachum.* Cavum vero, in quo haec organa habentur, *cavum thoracicum* dicitur, costis munitum.

b) *Venter* seu *abdomen* iacet subtus pectus, a quo omnino separatur per membranam quamdam muscularem, transverse sitam, quae *diafragma* appellatur. Excepta parte posteriore, ubi est columna vertebralis et parte inferiore, ubi sunt ossa pelvis, abdomen protegitur *partibus mollibus.*

In ventre adsunt (fig. 11): 1° prope sinistram partem, *stomachus* seu *ventriculus,* qui per *esophagum,* cum parte posterioris oris communicat et per quem cibi transvehuntur; 2° *interiora* seu *intestina,* quae ab imo stomacho incipiunt et formam habent canalis circiter decem ad duodecim met. longi; 3° *hepar,* quae maxima glandula [1] est, *bilem* secernens ad digestionem intestinalem, in dextro latere positum; plura alia officia habet hepar, de quibus inferius; 4° *splen,* parva alia glandula, in sinistra parte iacens; 5° glandula *pancreatica* seu *pancreas,* e forma linguae et adspectu granulari, post stomachum, quae liquidum secernit,

---

[1] *Glandula* dicitur corporis organum, proprietatem habens vel efformandi, ex elementis sanguinis, particulares substantias, quae vel emittuntur, vel ad particularia officia inserviunt, vel eliminandi e sanguine substantias noxas productas in cellulis ob earum activitatem. Glandularum forma sat variabilis est (fig. 2). Glandula constat essentialiter parte quadam, saepe ampliata, quae e sanguine elementa educit, et canali, plus minus longo, dicta elementa expellente, qui dicitur *ductus excernens.* Glandulae possunt esse *simplices* vel *compositae*; in primo casu habetur tantum ductus et pars inferior; in altero plures glandulae simplices coniunguntur ita ut singuli earum ductus in canalem maiorem communem finem habeant. Glandulae sudoris, ex. gr. sunt simplices, glandulae vero salivares sunt compositae

pancreaticum dictum, pro digestione intestinali; 6° post omnia haec organa inveniuntur bini *renes* (quae elementa urinae e sanguine extrahunt) e forma phaesoli, subtus diafragma, in regione lumborum positi, unus in dextra, alter in sinistra parte columnae vertebralis; urina ab his, per duos canales, quibus nomen *ureteres*, in *vesiculam urinariam*, inferius sitam, colligitur per *uretram* dein expellenda. Omnia organa thoracis et abdominis in suo loco servantur per *membranas serosas*. — Membrana serosa efficit circa organa involucrum leve e duplice pariete, cuius binae laminae continuae constituunt inter se cavitatem omnino clausam et continentem liquidum speciale, quod est *serum* seu *serositas*. Lamina *interna* seu *visceralis* huius sacci adhaeret organo, excepto loco, in quo supra se ipsam flectitur et efficit laminam *externam* seu *parietalem*, adhaerentem faciei cavitatis generalis aut proximis organis. Ob hanc specialem dispositionem varia organa cavitatis generalis et in proprio loco servantur et eorum motus, ob praesentiam serositatis, faciliores evadunt et sic removentur effectus non boni motus ipsius. Serosa cordis dicitur *pericardium* (περί = circa; καρδία = cor); serosa intestinorum dicitur *peritoneum* (περί = circa; τείνω = extendo), cuius variae flectiones vario nomine nuncupantur; ita, ex. gr. *mesenterium* (μέσος, = medius; ἔντερον, = intestina), quod sustinet intestina in cavitate generali.

Columna vertebralis (vulgo *spina dorsalis*) ad truncum spectat et constat pluribus ossibus, quae intus efficiunt *canalem spinalem*, per quem transit medulla spinalis, quae continuatio est medullae longae.

20. **Extremitates** distinguuntur in *superiores* seu *brachia* et in *inferiores* seu *crura*, de quibus inferius sermo erit.

21. **De functionibus hominis**. — Vita physica hominis triplex munus complectitur, sicut in ceteris animalibus, scilicet: 1° homo opus habet corpus augendi, vires servandi atque sanitatem, 2° speciei conservationi providendi, et 3° relationem habendi cum obiectis externis; ex hac triplici ratione oriuntur tres magnae physiologicae functiones, quae sunt: 1° **functiones nutritionis**, quae plures alias functiones comprehendunt, 2° **functiones reproductionis** et 3° **functiones vitae animalis**, seu **relationis**. Cum vero primas duas functiones habeant et vegetalia, dici etiam solent functiones **vitae vegetativae**; postremae vero, cum sint animantibus tantum propriae, dicuntur etiam functiones *vitae animalis*. — De omnibus his nunc agemus.

DE FUNCTIONIBUS NUTRITIONIS.

Hae functiones comprehendunt plures alias functiones, quarum potiores sunt: **digestio, circulatio sanguinis, respiratio, secretiones, excretiones, adsimilatio** et **rerum adsimilatarum destructio** (italice *disassimilazione*).

CAPUT II.

DE DIGESTIONE.

22. Nomine **digestionis** intelliguntur omnes illi processus necessarii, ut cibi reddantur apti ad nutriendum corpus.

23. Processus digestionis comprehendit plures actus, qui sunt: 1° **commanducatus,** 2° **salivatio,** 3° **deglutitio,** 4° **chymificatio** seu **digestio stomachalis,** 5° **chylificatio** seu **digestio intestinalis,** 6° **absorptio,** 7° **defoecatio** seu **foecum excretio.**

24. In primis notamus nomine **ciborum** intelligi omnes substantias, sive liquidas sive solidas, quae aptae reddi possunt ad adsimilationem ex parte protoplasmatis cellularum.

Quoad **originem,** cibi distinguuntur in *animalibus, vegetalibus* et *inorganicis* seu *mineralibus,* prout nobis praebentur ex regno animali (carnes, ova, lac, butyrum), vel vegetali (herbae, fructus, semina) vel minerali (aqua et sal communis).

Quoad **consistentiam,** cibi alii sunt liquidi, alii solidi.

Quoad vero **capacitatem nutritivam** seu **virtutem nutriendi,** nonnulli sunt *azotati,* qui cum sint magis similes compositioni protoplasmatis, magis nutriunt; ceteri sunt *non azotati,* qui minus nutriunt, sed tamen necessarii sunt ad nutritionem. — Cibi *azotati* constant carbonio, oxygeno, hydrogeno et azoto, (quibus adduntur sulphur, phosphorum) et nonnullis mineralibus. Omnes hae substantiae cum sint similes

albo seu *albuminae* ovi gallinae, dicuntur corpora *albuminoida*. Abundant in regno animali magis quam in vegetali. Praecipua corpora albuminoida regni *animalis* sunt: *myosina* seu *musculina*, quae invenitur in musculis (vulgo *carne*), *caseina*, quae habetur in lacte et *caseis*, *fibrina*, quae est in sanguine, *chondrina*, quae abundat in texto connectente, *osseina* propria ossium etc. Praecipua vero corpora albuminoida regni *vegetalis* sunt: *gluten* seu *fibrina vegetalis*, quae abundans est in pluribus seminibus, praesertim cerealium, *albumina vegetalis* propria plurium seminum, *legumina*, quae abundat in seminibus leguminum (faba, phaseoli, pisi, cicer etc.).

Corpora *non azotata* sunt *saccara*, *amylum* et *adipes*. — *Saccara* constituunt duas series, scilicet *glycosium*, qui invenitur in fructibus, et *saccharosium*, qui habetur in radice betae et in *saccharo officinarum* (ital. *canna da zuccaro*). Ut saccara possint adsimilari, debent fieri glycosius; hac ratione, saccharosius, si iniiciatur in venis ex. gr. canis, emittitur per urinas; minime vero si iniiciatur glycosius. — *Amylum* invenitur valde abundans in seminibus vegetalibus, in tuberibus etc. Amylum non est solubile ac ideo nequit adsimilari; oportet, ut adsimiletur, ut convertatur in glycosium. — *Adipes* et *olea* inveniuntur in animalibus et vegetalibus. Ut adsimilentur debent fieri partim *emulsio* et partim *sapones*, de quibus inferius.

25. Ut rite intelligantur functiones digestionis, oportet clare noscere naturam **canalis digerentis** et **glandularum;** quae ad has inserviunt.

Nomine *canalis digerentis* veniunt **esophagus, stomachus** et **intestina** (fig. 12).

26. **Esophagus** (οἴσω = ferre; φάγω = manducare) canalis est, qui, ut diximus, a parte posterioris oris, post tracheam et cor, per diafragma transiens, pervenit ad ventrem, ubi primum multo amplior factus, ad similitudinem sacci, deinde iterum factus minor, efformat intestina, quae inferius in ore anali aperiuntur. — Totus hic canalis *triplici* involucro constituitur, scilicet interne *mucoso*, quod habet plurimas glandulas, obtecto epithelio cylindrico, externe *connectente*, et involucro, quod est medium, *muscolari*, in quo fibrae musculares, partim ratione longitudinis dispositae sunt, partim vero ratione annulari. Quae dispositio permittit huic canali sese contrahere duplici modo, longitudinaliter scilicet et transverse; qui motus inserviunt ad propulsandos cibos et dicuntur *motus peristaltici* vel *vermicu-*

lares. Pars vero esophagi superior constat in involucro musculari tantum fibris striatis, pars vero inferior tantum fibris levibus.

27. Pars superior **stomachi**, idest finis esophagi, annulum habet magis muscularem, qui *cardias* dicitur, quique impedit, quominus cibi, semel ingressi stomachum, possint denuo in os ascendere; pars inferior vero stomachi, a quo intestinum incipit, alterum annulum muscularem, magis evolutum, habet, cui nomen *pylorus*, (πύλη = porta; οὖρος = custos), qui impedit transitum ciborum in intestina, antequam necessarias mutationes in ventriculo habuerint.

Mucosa stomachi tegitur epithelio cylindrico et habet plurimas glandulas, quae proprias secretiones emittunt in stomachum; hae glandulae sunt duplicis speciei, scilicet **pepsicae** et **mucosae,** cum forma tuborum, qui pluries dividuntur (fig. 13-14). — **Glandulae mucosae** secernunt mucum et sunt praesertim prope pylorum, glandulae vero pepsicae in reliqua mucosa stomachi. Primae habent parietes ductus excernentis confectas cellulis prismaticis, diaphanis; alterae vero habent parietes ductuum cum iisdem cellulis, at, in earum partibus inferioribus, parietes habent magnas cellulas granulosas, quae secernunt liquidum seu **succum gastricum** Hic succus est saporis acidi, absque colore, valde fluidus et odoris specialis. Quantitas secreta spatio viginti quatuor horarum in viro, cui pondus corporis est sexaginta quinque kilogr., est circit. kilogr. sex et gram. 500. Succus constituitur 96 % aqua et reliquum substantiis solidis, quarum praecipuae sunt nonnulli *sales* (sal communis, chlorurus kallii, phosphatum calcicum et magnesiacum), substantia organica specialis *azotata* (*pepsina*) et *acidum*. *Pepsina* est fermentum maximi momenti pro digestione albuminoidum et continetur 3 % in succo gastrico; maxima est eius quantitas quarta hora digestionis; eius munus est immutare substantias azotatas seu albuminoides in *peptones;* quae immutatio tamen locum non habet, nisi accedat acidum, qui in casu est acidum chloridricum, liberum, vel probabilius chemice coniunctum cum leucina (C. Richet) vel cum pepsina (Schiff). Praeter pepsinam, succus gastricus continet etiam alterum fermentum (*coagulum*), quod proprietatem habet coagulandi lac. Si stomachus est vacuus, non secernitur succus gastricus, sed tantum mucus; si immittitur in stomachum corpus aliquod non nutriens, ex. gr. fragmentum spongiae, succus secretus est plus minus acidus *absque pepsina*. Pepsina secernitur cum in stomacho adest aliqua substantia, ad cuius digestionem necessaria est pepsina, scilicet cum adsunt corpora albuminoida.

— Mucus vero glandularum mucosarum tegit superficiem stomachi et impedit effectus conctactus ciborum iuxta nonnullos auctores.

In praedicto facto nititur theoria *peptogenum* seu *peptogenia* (Schiff). Mucosa stomachi non secernit verum succum gastricum, nisi cum excitatur substantiis, quae requirunt pro earum digestione praefatum succum; excitatio efficit ut rubescat pars stomachi, quam substantia azotata irritat, fiat turgescens et abundans quantitas succi secernatur ad immutandum albuminoidem. Stomachus vacuus vel abundante digestione praecedente defatigatus amittit proprietatem conficiendi succum vere digestivum; quae proprietas non redit nisi cum nonnullae substantiae ab ipso absorptae et in circulationem traductae, praebent elementa, quae immutari possint in pepsinam; hae substantiae dicuntus *peptogenae*. Tales sunt solutiones dextrinae (species sacchari), albumina, gelatina, partes carnis solubiles in aqua (ex quo constat utilitas iusculi ante reliquos cibos) etc. In his casibus notatur in primis secretio liquidi aciduli ad solvenda elementa peptogena, quae elementa dein inserviunt ad elaborationem pepsinae.

28. **Intestinum** dupliciter distinguitur, scilicet: 1° in *tenue* et 2° *crassum*. - I. *tenue* habet longitudinem circiter 10-12 metr. in homine et distinguitur; 1° in int. *duodenum*, qui statim post stomachum incipit et duodecim digitorum longitudinem circit habet; 2° in int. *ieiunum*, quod est praecedenti multo longius et 3° in int. *ileum*, pluries in seipsum revolutum. — Intestinum *crassum* vero tripliciter distinguitur, scilicet: 1° in *cras. adscendens*, 2° in *cras. horizontale* et 3° in cras. *descendens*, cuius extrema pars *rectum* dicitur, quod in ore anali aperitur. — Tota massa intestinalis protegitur membrana serosa (*peritoneum*), quae etiam eius varias circumvolutiones sustinet.

Mucosa intestinorum constat texto connectente obtecto epithelio cylindrico, et praebet plurimas plicaturas transverse (*valvulae conniventes*), quae valde augent superficiem ipsam intestini, et plurimas eminentias variae formae, quae sunt *villositates intestinales* et inserviunt ad absorptionem intestinalem. — Villositates (fig. 17, 18), longae circit. 1 mm. et quae sunt tantum in intestino tenui, constant epithelio cylindrico sito super stratum cellularum irregularium, quae sufficiunt cellulas cylindricas prout hae destruuntur causa absorptionis; hae cellulae constituunt *zonam generatricem* epithelii. Subtus his elementis, *corpus* villositatis constat texto connectente valde implexo, in quo adsunt *vasa sanguinea*, quae procedunt fere usque ad epithelium, et *canalis centralis* (*canalis chyliferus*), qui inservit ad absorptionem chyli, qui conficitur ex digestione intestinali.

29. Praeterea, mucosa intestinalis habet duas species *glandularum*, scilicet 1° *glandulas Lieberkühn* [1] et 2° *glandulas Brunner* [2]

30. *Glandulae Lieberkühn* sunt, inter villositates, cum forma tubuli simplicis et inveniuntur in toto intestino usque ad anum, maxime abundantes, exceptis locis, ubi sunt *glandulae Brunner* et *follicula clausa*, de quibus statim loquemur. Hae glandulae secernunt *succum intestinalem* seu *entericum*, qui est liquidum subflavum, limpidum, alcalinum, coagulabile; constat albumina, nonnullis salibus, ex quibus sale communi et speciali *fermento*, quod immutat saccarum chrystallinum commune in glycosium et fibrinam sanguinis in peptonem et probabiliter amylum in saccarum aptum ut absorbeatur [3]. — *Glandulae Brunner* inveniuntur tantum in duodeno inter pylorum et ampullam Vater (vide infra); sunt formae tubuli ramosi, latae circit. duo millim.; secernunt liquidum aliquantum viscosum, alcalinum, quod usque ad praesens purum non fuit possibile habere; de eius actione sat parum noscitur.

31. In mucosa intestinali notanda sunt nonnulla corpuscula subrotunda, absque ductu excernente, quae dicuntur *follicula clausa;* possunt esse *solitaria* vel *agminata* seu *agglomerata*, quo ultimo casu appellantur italice *placche del Peyer* [4], quarum singulae constant 20 - 80 folliculis circiter (fig. 17).

32. Mucosa demum duodeni praebet in certo loco parietis quamdam foveam, quae constituit *ampullam Vater*, [5] in cuius profundo finem habent ductus excernentes glandularum *hepatis* et *pancreas*, ibique emittuntur eorum secretiones, idest *bilem* et *succum pancreaticum*.

33. **Hepar** est maxima glandula hominis (fig. 12), coloris rubri-obscuri, iacens in parte dextera et superiore abdominis, immediate sub diaphragmate, ponderis kg. 1 - 2; *facies superior* convexa est et a *ligamine falciformi* seu *suspensore* hepatis dividitur in lobum dexterum maiorem et sinistrum minorem; facies vero *inferior* praebet tres sulcos. Praeter peritoneum, hepar circumdatur membrana fibrosa tenui (*capsula Glisson*), quae penetrat in internum hepatis et disiungit singulos *lobulos* (fig. 22). Hepar enim essentialiter conficitur

---

[1] Lieberkühn Ioannes — Nathaniel anatomicus borussianus saec. XVIII.

[2] Brunner Balthassar, medicus germanicus 1533 - 1604.

[3] Lefert, *Aide, Memoire de physiologie*, 5ª edit., 1905. Paris p. 86.

[4] Peyer, anatomicus helveticus (1653 - 1712).

[5] Vater Abraham, medicus et scientiarum naturalium cultor, germanicus (1684 - 1751).

granulationibus *seu lobulis hepaticis,* qui constituuntur *cellulis hepaticis,* quae sunt loca secretionis bilis et functionis glycogenicae; e lobulis ortum ducunt ductus excernentes seu *canaliculi biliares capillares,* qui, prius *intralobulares,* dein fiunt *interlobulares* et constituunt *canales biliares,* qui finem habent in duobus ductibus, scilicet in ductu dextro et sinistro; hi duo canales, extra hepar, coniunguntur et efficiunt *canalem hepaticum,* confluentem in *canalem cysticum* (fig. 20), qui demum fit *canalis choledocus;* vesicula biliaris seu *cystifellea* prosequitur cum canali cystico, qui aufert bilem e vesicula et per choledocum immittit in duodenum in ampullam Vater. Vasa capillaria hepatis proveniunt ex arteria hepatica et vena porta (v. infra).

34. *Biles,* si est recens, est liquidum *flavum,* absque odore, saporis prius dulcis, dein amari, reactionis neutrae vel leviter alcalinae; color viridis vel viridulus pendet ex immutationibus, quas patitur ob muccum vesiculae vel ob succum gastricum, cum quo misceri potest.

Biles secreta spatio viginti quatuor horarum est gram. 1200 - 1300. Constat 85 % *aqua* et 15 *substantiis solidis,* ex quibus 8 *salibus* et *acidis biliaribus,* 4 *cholesterina,* 2 *materiis colorantibus* et 1 *salibus mineralibus.* — Ex *salibus* et *acidis bilis* notandi sunt *taurocholatus* et *glyco-cholatus natri,* qui sunt chemicae coniunctiones acidi taurocholici et glycocolici cum natro. — *Cholesterina* est alcool, qui potest haberi sub forma chrystallina; insolubilis in aqua, est solubilis in bile ob praesentiam salium biliarium; habetur ut effectus immutationis materiae nerveae. Si sales biliares deficiunt, cholesterina fit solida et efficit calculos biliares. — Quoad materias colorantes, in bile recenti hominis invenitur tantum *bilirubina,* quae potest sub forma chrystallorum colligi; est diaphana, coloris flavi aurantiaci; ortum ducit ex haemoglobina sanguinis; ob decompositionem gignit plures substantias (*biliverdina, bilifuscina* etc.). — *Sales minerales* bilis sunt praesertim sal communis, chlorurus natri, kalii et kali-carbonatum.

Biles secernitur continuo; at quantitas maior habetur plures post horas a cibis sumptis; minuit in abstinentia et per cibos adipatos exclusivos.

35. **Pancreas** est alia glandula racemosa, sicut glandulae salivares (fig. 19); formam habet linguae et iacet transverse post stomachum inter stomachum et duodenum; eius basis prope duodenum constituit eius *caput,* pars opposita *caudam,* intermedia vero *corpus;* eius color

est roseo-griseus. Canalis seu *ductus pancreaticus* vel *Wirsung* [1], percurrit totam eius partem mediam a capite usque ad caudam et emittit plurimos ramos seu canales, qui finem habent in acinis glandulae, secernentibus *liquidum* seu *succum pancreaticum,* qui per ductum Wirsungii immittitur in ampullam Vater in duodeno. E ductu pancreatico oritur, in eius capite, alius carnalis accessorius, qui confluit in duodenum aliquantum super ampullam Vater.

36. *Succus pancreaticus* est liquidum diaphanum, absque colore, viscosum, leviter salsum, valde alcalinum, coagulabile per calorem; spatio viginti quatuor horarum secernitur quantitas gram. 250 - 350. Constat 90 % *aqua* et 10 partibus *solidis,* quarum una est *pro mineralibus* (sal communis, carbonatum kali etc.), et 9 *partibus organicis.* Hae sunt albumina, leucina, adipes et tres *fermenta* solubilia, scilicet *trypsina,* quae immutat albuminas in peptones, *amylopsina,* quae convertit amylum in glycosium, et *steapsina,* quae reducit adipes in minimas guttulas (*emulsio*). Tria haec fermenta *pancrealina* dicuntur, cum sint principia activa secretionis pancreaticae.

37. His praemissis, **commanducatus** consistit in tritura ciborum per *dentes* (fig. 15), qui in homine adulto sunt triginta duo, quorum quatuor *incisivi* dicuntur ante maxillam positi, duo *canini* appellantur, quorum alter in altero incisivorum latere, et duodecim *molares* sunt, quorum sex in latere alterius canini; totidem sunt in maxilla inferiori seu *mandibula;* incisivi, e forma scalpri, ad incisionem ciborum inserviunt; canini, e forma conica, ad lacerandos cibos, molares vero, e superficie aliquantulum concava et lata, ad terendos, ut mola, cibos apti sunt. Pars dentis, in osse maxillari infixa, *radix* dicitur, pars e maxilla eminens *corona*, pars vero intermedia, italice, *colletto* appellatur. Singuli dentes constant *cavitate* interna plena substantia molli (*pulpa dentis*), quae conficitur praesertim texto connectente, copiosis vasis capillaribus et nervis cum myelina. Haec cavitas circumdatur texto osseo, cuius cellulae dicuntur *odontoblasta.* Pars dura dentium dicitur *ebur,* quod in corona tegitur strato, quod italice est *smalto,* et in radice *coemento;* in *colletto* vero coementum tegit τό *smalto* in eius basi.

38. **Salivatio** consistit in humectandis saliva cibis. Quae a sex

---

[1] Wirsung Christophorus, germanicus, saec. XVII, primus descripsit hunc canalem in homine.

glandulis profluit in os, quarum duae *parotidae* (παρὰ = prope; οὖς, ὠτὸς = auris) vocantur, prope aures, duae *sublinguales* et duae *submaxillares* appellantur ob eorum situm. Glandulae *parotidae* mittunt salivam in os (fig. 16) per *ductus Stenonis* [1] prope primum molarem superiorem; glandulae *submaxillares* mittunt salivam per ductus *Warton* [2] in utroque latere freni linguae; glandulae demum *sublinguales* mittunt salivam per plures canales (*canales Rivini* [3]) item prope frenum linguae. — Saliva non eadem est in singulis paribus glandularum. Saliva enim *parotidea* est valde fluens, limpida, semper alcalina, non viscosa; continet carbonatum kali, phosphatum calcicum, albuminam, *ptyalinam* (πτύαλον = saliva), *sulpho-cyanurum* kali et spatio viginti quatuor horarum secernuntur circ. gramm. 80-100; quae quantitas augetur per motus commanducatus. Saliva vero *submaxillaris* est viscosa, limpida, et continet minorem quantitatem *ptyalinae* et sulpho-cyanuri; corpora sapida augent eius quantitatem. Saliva demun *sublingualis* est valde densa et viscosa; habet magnam copiam *ptyalinae*, minimam vero carbonati calcici et sulpho-cyanuri. Saliva dein non praebetur tantum a praefatis glandulis, sed etiam a ceteris glandulis, quae sunt in genis, labiis, sub lingua, in palato et in velo palati. Saliva itaque est *summa* omnium harum salivarum seu est *saliva mixta*. Substantia maximi momenti huius salivae *mixtae* est *ptyalina* seu *diastasis salivaris*, quae est substantia azotata et proprietatem habet immutandi *amylum* [4] coctum in *glycosium*. — Saliva continet etiam cellulas mucosae buccalis, micro-organisma parasita (micrococcus, bacteria, leptotrix etc.) et corpuscula specialia (*corpuscula salivaria*) valde similia globulis albis sanguinis, quae facile mutant formam, multiplicantur per scissionem et probabiliter funguntur uti fermenta.

---

[1] Stenon Nicolaus, anatomicus (1638-1687) danicus, primus invenit hunc canalem.

[2] Warton Thomas, anatomicus anglicus (1610-1673) primus in suo opere de glandulis indicavit hunc ductum.

[3] Rivinus, medicus et botanicus germanicus († 1783).

[4] Amylum invenitur abundanter in omnibus seminibus, quibus late utimur ad panes et pastas conficiendas ac ideo quotidie ad alimentationem magnam copiam consuminus; saccharum, a pluribus plantis, praesertim ab illa, cui nomen *Saccharum officinarum*, extrahitur; amylum non solvitur in aqua nec in liquidis stomachi; saccharum vero solvitur in aqua et liquidis stomachi, at non potest retineri a cellulis. Quum vero utrumque per salivam in glycosium mutatum sit, evadit aptum ut absorbeatur ac ita potest elementa anatomica nutrire.

cum facilior fiat immutatio amyli in glycosium ob eorum maiorem quantitatem.

Per salivam demum coacervantur particulae ciborum, ut facilior evadat eorum transitus in stomachum et solvuntur elementa solubilia ciborum.

39. Transitus cibi in stomachum dicitur **deglutitio**. Particulae ciborum per linguam colliguntur in os, per salivam coagmentantur in massam quamdam, *boli alimentaris* nomine, qui in parte posterioris oris impellitur a lingua ipsa. Motus deglutitionis et praesentia boli in parte posterioris oris claudit communicationem cum cavitate nasali per sublationem uvae et cum trachea per flexionem epiglottidis (fig. 21) et permittit descensum boli per esophagum in stomachum.

40. Cibis in stomacum ingressis, incipit **digestio stomachalis** seu **chymificatio,** quae comprehendit omnes processus, qui ibi necessarii sunt ad mutandos cibos. — *Stomacus*, in involucro musculari, habet fibras dispositas circulariter seu transverse, longitudinaliter et oblique; fibrae transversae et longitudinales gignunt motus peristalticos seu vermiculares, ob praesentiam ciborum, qui afficiunt parietes stomachi, quorum motuum finis est ut cibi ingesti perfecte commisceantur cum succo gastrico et dein in duodenum propulsentur; fibrae vero obliquae (*cravatta di Suisse*), ob eorum contractionem tempore, quo liquida deglutiuntur, dividerent stomachum in duas partes, quarum maior, respondens magnae curvaturae stomachi, esset omnino clausa, pars vero minor, respondens parvae curvaturae stomachi, efficeret velut canalem (*canalem cardio-pyloricum*), per quem liquida hausta illico pervenirent ad duodenum (Matth. Duval).

Alimenta, quibus utimur, sunt *substantiae albuminoides, amylaceae, succara* et *materiae adipatae*. Succus gastricus actionem habet tantum in corpora albuminoida *physicam* et *chemicam*. Ob actionem *physicam*, corpora *solida* albuminoida in primis tumefiunt, dein corroduntur et demum reducuntur in minutissimum pulverem (*porphyrizatio*); post hanc actionem mere physicam, incipit in eis actio *chemica*, qua ipsi omnino solvuntur seu liquefiunt et ortum ducunt *peptones* seu *albuminoses*, quae possunt absorberi.

Tamen haec immutatio non fit illico, sed, ante peptones, albuminoida corpora fiunt *parapeptones* seu *syntonina*, dein *propeptones, dyspeptones, metapeptones* etc., et demum tantum pepto-

nes [1]. Qui peptones ceterum variant in compositione chemica et nonnullis proprietatibus iuxta eorum originem. — *Liquida* vero *albuminosa* (ex. gr. album ovi crudi) directe convertuntur in alia liquida, quae possunt absorberi et non coagulantur per media ordinaria. *Caseina* tantum in primis coagulatur, dein dissolvitur per succum gastricum; eius coagulatio pendet a *coagulo* praefati succi. — *Cibi adipati* non patiuntur emulsionem, sed ob motus stomachi cellulae adiposae disjunguntur et adeps liber evadit sub forma guttarum vel massae variabilis voluminis. — *Amylum*, ob actionem salivae, quae cum bolo deglutitur, convertitur in dextrinam et glycosium. — Demum nonnullae partes ciborum, ex. gr. cellulosa vegetalium, nullo modo immutantur succo gastrico. — Productus omnium horum processuum seu **chymus** est valde complexus et apparet velut pulticula subflava, quae continet alimenta nonnulla perfecte soluta (glycosium, dextrina, sales), nonnulla partim soluta (amylus, albuminoides) et alia nullo modo soluta (adipes, cellulosa), saporis acidi.

Omnes hi processus, quibus debetur chymus, constituunt **chymificationem seu digestionem stomachalem.**

Succus gastricus, praeter digestionem albuminoidum, inservit etiam ad impediendam putrefactionem ciborum, quae proprietas debetur actioni acidi chloridrici (Spallanzani, Albertoni).

Emissio succi gastrici valde subiacet actioni nervorum et statui morali animi (Albertoni).

Semel confecto chymo, hic, per pylorum, qui tunc relaxatur, in intestinum ingreditur duodenum.

41. **Digestio intestinalis** seu **chylificatio.** — Chymus confectus undatim per pylorum propulsatur in duodenum, in ieiunum et demum in ileum; qui progressus efficitur per motus peristalticos, productos contractionibus fibrarum longitudinalium et circularium totius intestini. Contractiones, statu normali, sunt debiles, intermittentes, lentae, quarum causa est praesentia chymi, qui excitat centra nervea intestinorum.

Digestio intestinalis perficitur per *succum entericum* elaboratum

---

[1] Inter cibos albuminosos simpliciter et peptones, qui mutatione chemica albuminoidum habentur, haec discrimina sunt: 1º cibi albuminosi coagulantur per calorem; peptones vero minime; 2º cibi albuminosi, si injciantur in circulationem sanguinis, brevi emittuntur una cum urina; peptones vero injecti in circulationem non amplius emittuntur, quia cellulae iis utuntur ad propriam nutritionem.

glandulis Lieberkühn, per *succum pancreaticum* elaboratum glandula pancreatica et per *bilem*, secretam hepate. *Succus entericus*, causa *fermenti inversivi*, quod habet, immutat saccarum officinarum in saccarum *intervertitum*, quae est mixtura glycosii et levulosii (Cl. Bernard); in adipes et corpora albuminosa videtur non habere actionem, excepta fibrina sanguinis, quam in peptonem convertit.

Succus pancreaticus, ob tria fermenta, quae habet, agit in *albuminas*, in *amylacea* et *adipes;* hinc immutat albuminas in peptones *(tryptones)*, cum hoc tamen discrimine a succo gastrico, quod immutatio haec est directa, quin opus sit porphyrizatio praecedens; convertit corpora amylacea in glycosium, sed magis active quam ptyalina salivae; demum producit partim *emulsionem* adipum, dividens scilicet haec corpora in minimas guttulas, quae facile absorberi possunt a villositatibus intestinorum, et partim eos immutat in *sapones*, decomponens scilicet, saltem partialiter, adipes in glycerinam et acida adipata, quae acida dein cum natro et kalio chemice sese coniungentia efficiunt sapones, qui sunt solubiles et possunt absorberi.

Biles nullam actionem habent in amyla et saccara et albuminas; iuxta nonnullos (Albertoni, Marcet, Hoffmann, Molescott) efficeret neutram actionem acidam chymi; iuxta nonnullos alios (Matth. Duval, Lefert) haec actio nullo modo constaret. Tantum adipes paullisper paterentur emulsionem instabilem. Ex hoc deducitur eius actionem digestivam esse fere nullam. — Item dubium est utrum biles faveat absorptionem intestinalem (Lefert). — Attamen triplex officium certum habet biles; nam 1° impedit *fermentationem putridam in intestinis*, 2° *destruit venena ab organismo confecta* et 3° *mundat intestina* post absorptionem et renovat eius epithelium, cuius confectionem reddit faciliorem; biles enim non pervenit ad intestina nisi fere perfecta absorptione et cum epithelium incipit in squamas resolvere, quam resolutionem ipsa accelerat, cum maxima activitas habeatur in eius contactu cum bile (Küss et Matth. Duval).

In intestinis biles resolvitur eiusque elementa maxima parte resorbentur. In excrementis transit cholesterina et pars materiae colorantis; reliquum materiae colorantis (immutatum in urobilinam) et plura alia eius elementa eiiciuntur per renes sub forma ureae; acidum cholalicum emittitur per pulmones sub forma aquae et acidi carbonici.

Quod resultat per hos omnes processus constituit **chylum**; processus ipsi ad chylum conficiendum necessarii constituunt **chylificationem** seu **digestionem intestinalem.**

42. **Absorptio.** — Consistit in transitu et miscella ciborum cum liquidis nutritivis post digestionem, seu postquam effecti sunt apti ad eorum adsimilationem per actionem liquidorum digestivorum et ad permeandam parietem intestinorum, ut commisceri possint cum sanguine et lympha vasorum, qui serpunt in intestinis ipsis. Haec absorptio minima est in cavitate oris, nulla in pharynge et esophago, maxima in intestino tenui et mediocris in crasso.

Absorptio fit per *diffusionem* et *osmosim*. — *Diffusio* consistit in compenetratione liquidi in aliud; si in cyatum continentem aquam immittitur lente vinum, hoc conspicitur aqua innatare utpote levius; hic status tamen non diu persistit, quia, etsi perfecte quiescat cyatus, paullatim vinum omnino commiscetur cum aqua. Haec diffusio accidit etiam si ambo liquida separentur membrana aliqua organica; tunc notatur liquidum minoris densitatis (vinum) penetrare, per membranam, in liquidum magis densum (aquam) (*endosmosis*) et pars minima liquidi maioris densitatis (aqua) exire, per ipsam membranam, et misceri cum liquido externo (*exosmosis*); tamen liquidum intus penetratum maioris quantitatis est quam liquidum extra diffusum. Exosmosis et endosmosis constituunt phaenomenon *osmoseos*. — Hac ratione transitus alimentorum digestorum in sanguinem debetur osmosi, quae eo maior est, quo maior est differentia densitatis; hinc *intensitas* absorptionis pendet statu sanguinis; quare si subiectum habet magnam copiam aquae in sanguine (*hydremia*), transitus est valde lentus; si sanguis saturus est aqua (ex. gr. post iniectionem aquae in venis), penetratio alius aquae difficillima erit; contra si sanguinis aqua minuta erit (ex. gr. per purgamenta), absorptio erit maxima.

Organa seu *viae* absorptionis intestini tenuis sunt *villositates* (fig. 17–18), quae cum sint confectae strato epitheliari superficiali (praescindendo a cellulis generatricibus subiacentibus) et rete capillari sanguinea, quae fere pertingit epithelium et, in medio, canali chylifero, omnes conditiones prae se ferunt ad absorptionem operandam. Absorptio alimentorum ita fit: — *a*) *aqua* et *sales solubiles* absorbentur in ore, in stomacho et in intestino, in quo vasa capillaria sanguinea ad absorptionem deputantur; in intestino transitus salis in sanguinem secum fert exitum aquae a sanguine ita ut, si salis solutio notabilis introducatur in intestinum, aqua, quae per exosmosim exit e capillaribus tanta sit, quae intestinum repleat; haec actio notatur in purgamentis salinis neutris (Iolyet); — *b*) *glycosium* absorbetur minima quantitate in ore et stomacho, maxima quantitate in intestino tenui per

vasa capillaria sanguinea ; — *c*) corpora *albuminosa*, immutata in *peptones* solubiles et diffusibiles, absorbentur minima quantitate in stomacho (Lefert), maxima quantitate in intestino tenui et reliquum minimum in coeco ; vasa capillaria sanguinea ad hoc inserviunt ; nam glycosium et peptones inveniuntur in *vena porta*, quae pergit in hepar ; post absorptionem peptones immutantur in albuminas sanguinis, quia non inveniuntur peptones in sanguine nec in chylo post cibaria etiam valde albuminosa ; — *d*) *adipes*, statu emulsionis, absorbentur canale chylifero centrali villositatum, qui, tempore absorptionis, fit albus et continet magnam copiam guttularum adipatarum in perfecta emulsione. Circa modum vero, quo fit haec absorptio, disputant doctores ; nonnulli enim tenent absorptionem fieri per processus *nutritionis* et *vitalitatis* epithelii villositatum, ob quos processus cellulae epithelii assumerent productus digestionis, quos tangunt et ad elementa villositatum transmitterent ; diffusio postea perficeret absorptionem ; post haec, epithelium decideret et novum epithelium sufficeret (Küss et Math. Duval) ; iuxta alios vero, globuli albi mucosae intestinalis ob motus eorum amaeboides, inter cellulas transeuntes et in superficiem mucosae venientes, sumerent globulos adipatos, quos in vasis lynphaticis adducerent ; vel ipsi globuli albi, cum possint migrare, perforarent epithelium et per foramina penetrarent guttulae adipatae (I. Renault) ; iuxta alios demum globuli adipati transirent in vasa chylifera per minutos canaliculos epithelii.

Cibi prout propulsantur ulterius in intestinis, fiunt magis densi et minoris voluminis, quia magna eorum pars absorbetur ; et qui ad crassum perveniunt, sunt expellendi, cum nequeant retrogradi ob *valvulam ileo-coecalem*, quae regressum impedit. Actio digestiva in crasso nulla omnino est ; at nonnullae substantiae, quae absorptae in tenui intestino non fuerunt, hic absorbentur a capillaribus sanguineis, cum absint villositates, et cum adsint numerosae plicaturae mucosae. Notum est enim substantias adipatas, praesertim statu emulsionis, iniectas in intestino recto, absorberi.

43. Materiae expellendae seu **foeces** non consistunt tantum residuis alimentationis non digestis, sed praecipue fragmentis epithelii in squamis resoluti ; in iis inveniuntur etiam liquida digestiva, cholesterina et materiae colorantes bilis, ut iam diximus, partes vegetalium non immutatae ob digestionem, sales insolubiles, acidum lacticum etc. Quantitas foecum emissa spatio viginti quatuor horarum pro adulto est gram. 150 ; augetur vero ob cibos vegetales.

In intestino crasso locum habent etiam **fermentationes** sive ob actiones chemicas sive ob actiones microbiorum, ex quibus ortum ducunt *acida adipata* (acid. butyrricum, ac. lacticum), substantiae (alcaloida) toxicae seu *ptomaïnae* (Bouchard) et *gas* plures (acidum carbonicum, hydrogenium, hydrogenium sulphuratum etc.).

44. **Defoecatio** est emissio foecum, quae fit ob earum collectionem in recto, ubi excitant centrum nerveum (*centrum ano-spinale*), quod est in parte inferiori medullae lumbaris. Os demum anale constringitur annulo musculari (*sphinctere anale*), qui relaxatur tempore defoecationis.

45. Notetur insuper materias absorptas per vasa capillaria intestinorum illico commisceri directe cum sanguine et transferri in hepar, cum capillaria praefata constituant venas mesentericas, quae sunt origines *venae portae,* quae ad hepar pergit et materias adipatas, absorptas per vasa chylifera, item, indirecte tamen, commisceri cum sanguine, cum omnia vasa lymphatica intestinorum finem habeant in canalem lymphaticum (*can. thoracicus*) maiorem, qui lympham proiicit in venam subclaviam sinistram, in qua miscetur cum sanguine. Uti liquet, productus digestionis semper cum sanguine commiscentur, qui, cum semper percurrat corpus, transfert in omnes huius partes elementa nutritiva necessaria ad vitam.

Brevi colligentes doctrinam *de absorptione* dicimus adipes, statu emulsionis, absorberi per vasa chylifera, reliquos vero productus digestionis absorberi per vasa capillaria [1].

---

[1] Antiquorum variae erant opiniones, de modo, quo fit digestio, quae tantum ultimis saeculis perfecte cognita fuit. Erasistratus opinabatur digestionem consistere in actione mere mechanica, cui cibi in stomacho subjiciebantur; Hippocrates et plures cum eo tenebant cibos digeri per quamdam concoctionem, quae actionem mechanicam excludebat. Platonicus vero tuebatur digestionem consistere in quadam specie fermentationis. Quae opiniones usque ad tempus Réaumur et Spallanzani perstiterunt, qui primo scientifice demonstrarunt factum chemicum digestionis. Ex hoc tempore et deinceps experimenta adeo multiplicata fuerunt, ut certitudo de hac quaestione omnino comparata sit. At experimenta a Spallanzani pluribus modis ingeniose variata et in quamplurimis animalibus et in se ipso peracta, quam maxime, prae ceteris, quaestionem penitus solverunt.

CAPUT III.

DE CIRCULATIONE SANGUINIS.

46. Sanguis percurrit totum corpus; in hoc consistit eius circulatio. Finis circulationis est ferre ad elementa anatomica substantias nutritivas absorptas ob digestionem necessarias ad eorum vitam et ab eis auferre substantias repellendas productas ob eorum processus vitales.

47. Sanguis fluit in **apparatu circulationis,** qui constat **corde** et **vasis sanguineis**, quae sunt **arteriae, vasa capillaria** et **venae.**

48. **Notio generalis circulationis.** — Cor est organum musculare, situm in thorace inter binos pulmones, interne habens quatuor cavitates, quarum duae superiores sunt *auriculae* (dextra et sinistra), duae vero inferiores sunt *ventricula* (item dextrum et sinistrum), ita disposita ut auricula dextra communicet cum ventriculo subiacente dextro et auricula sinistra communicet cum ventriculo subiacente sinistro (fig. 23 et 24). Distinguitur *magna circulatio,* qua sanguis percurrit corpus per vasa, quae coniungunt ventriculum sinistrum cum auricula dextra, et *parva circulatio* seu *pulmonaris*, qua sanguis a ventriculo dextro proiicitur ad pulmones et ab his pervenit in auriculam sinistram. A ventriculo sinistro ortum ducit canalis, qui est *arteria aorta*, quae pluries dividitur in ramos, instar arboris ramosissimae, cuius rami dicuntur *arteriae;* minimi vero rami arteriarum sunt *vasa capillaria*, quae abundantissime serpunt, sub forma retium, in omnibus organis, a quibus sanguis non separatur nisi per involucrum capillarium sat subtile; quae quidem dispositio maximi momenti est pro permutationibus nutritivis inter sanguinem et cellulas corporis. Dein vasa capillaria simul pluries paullatim inter se coniunguntur et efficiunt canales continuo maiores, quae sunt *venae*, quaeque omnes demum colliguntur in duabus venis, quae adducunt sanguinem ad cordis auriculam dextram. Sanguis ventri-

culi sinistri et arteriarum est rubei coloris; qui vero provenit ex capillaribus est coloris rubri-obscuri, fere nigri; hoc ortum ducit ex mutationibus sanguinis factis in circulatione capillari, quia in his sanguis praebuit cellulis textorum elementa nutritiva et ab eis recepit elementa removenda, praesertim acidum carbonicum. Dicitur hinc *sanguis ruber* vel *arteriosus*, qui est capax nutriendi cellulas (oxygenum) et *venosus* seu *niger*, qui hac proprietate caret. Sanguis igitur, qui pervenit per binas praefatas venas ad auriculam dextram, ut iterum possit fieri capax nutriendi corpus, debet purgari acido carbonico in textis recepto, quod fit per *parvam circulationem;* hinc sanguis a ventriculo dextro immittitur in pulmones, in quibus dispersus per vasa numerosissima capillaria locum habet permutatio gasosa inter sanguinem et aërem; sanguis amittit acidum carbonicum et recipit oxygenum et iterum fit rubeus. Hic sanguis per certos canales adducitur ad auriculam sinistram cordis; dein transit in ventriculum subiacens, a quo proiicitur in arteriam aortam et per hanc propulsatur per totum corpus; et ita indefinite donec vita perdurat (fig. 25). Hinc cum auricula dextra et subiacens ventriculum contineant sanguinem venosum seu nigrum et auricula sinistra et subiacens ventriculum contineant sanguinem arteriosum seu rubrum, potest considerari velut duplex cor, scilicet *dextrum* vel *venosum* et *sinistrum* vel *arteriosum*.

Notandum tamen, quod etsi arteriae habeant sanguinem arteriosum et venas sanguinem venosum, exceptio datur in circulatione pulmonari, in qua arteriae adducunt sanguinem venosum et venae sanguinem arteriosum. Quod provenit ex conceptu veterum circa arterias et venas relate ad cor; cum enim ignorabatur circulatio pulmonaris, veteres dicebant arterias canales, qui corde *recedebant* et venas canales, qui ad illud *redibant*. Servata tamen est eadem nomenclatura.

49. **De sanguine et eius natura.** — Sanguis constat parte *solida*, quae constituitur **globulis** et parte liquida, quae est **plasma** (fig. 27).

Globuli alii sunt rubri et dicuntur **globuli rubri** vel **haematiae**, alii sunt albi et vocantur **globuli albi** vel **leucocyti**.

Globuli rubri seu **haematiae** (αἷμα = sanguis) sunt cellulae sub forma disci circularis biconcavi, seu magis spissi in margine, minus in reliqua utraque facie (fig. 27); observati per microscopium non sunt rubri, sicut est gutta sanguinis, sed subflavi; habent latitudinem 6-7 μ. et spissitudinem circ. 2 μ. Carent nucleo; in embryone vero adest nu-

cleus, qui processu evolutionis disparet. Sunt abundantissimi in sanguine; computantur enim in millimetro cubico sanguinis quinquagies centena millia (5.000.000); tamen eorum numerus potest minuere, et si in praefato volumine (1 mm. cub.) numerus est minus quam quadragies centena millia (4.000.000) incipit morbus, qui dicitur *anemia* (α signum negativum et αἷμα = sanguis); sunt molles, elastici et ob has proprietates possunt mutare formam in capillaribus nimis angustis. Succus gastricus et biles eos dissolvit.

Haematiae constant duabus substantiis, quarum altera est *globulina*, altera vero *haemoglobina*.

Globulina est materia albuminosa, quae constituit velut sceletum haematiae, in quo continetur *haemoglobina*.

Haemoglobina (*haemato-christallina*, *haematina*) est pars maximi momenti globuli. Est naturae albuminosae et potest haberi sub forma geometrica (chrystalli) (fig. 30), si in parva quantitate sanguinis adduntur nonnullae guttae *etheris*, qui destruit globulos, et haemoglobina, libera effecta, dissolvitur in ethere et postea, per huius evaporationem, deponitur sub forma geometrica. Continet ferrum 0,43 % (*haematoidina*). Proprietas maximi momenti haemoglobinae est, quod in pulmonibus coniungitur chemice cum oxygeno, et efficit compositum chemicum definitum, quae est *oxyhaemoglobina*; centum gramm. haemoglobinae possunt retinere centum triginta centim. cubic. oxygeni. Oxyhaemoglobina transfert, per circulationem sanguinis, oxygenum ad cellulas textorum ob eorum respirationem et processus chemicos; sanguis arteriosus continet oxyhaemoglobinam, sanguis vero venosus continet haemoglobinam absque oxygeno. Haemoglobina parvam affinitatem chemicam habet cum acido carbonico, magnam vero affinitatem habet cum oxydo carbonii; hoc in casu non amplius absorbet oxygenum. Hoc explicat veneficia per combustionem carbonis et axphyxiam consequentem.

50. **Globuli albi** seu **leucocyti** (λευκός = albus; κύτος = cavum) sunt cellulae absque membrana, cum nucleo; eorum magnitudo est 8-9 μ, et sunt valde numero pauciores relate ad haematias, scilicet habetur unus leucocytus super 300 haematias generatim (Costantin et Duval); si eorum numerus augetur et pertingit tertiam partem quantitatis haematiarum habetur morbus, qui dicitur *leucemia* vel *leucocytemia*, valde gravis; habent formam valde mutabilem et motus amaeboides, ob quos possunt migrare in varias partes organismi et, iuxta nonnullos DD., inservirent ad absorptionem intestinalem, ut iam diximus.

Eorum munus est destruere per phagocitosim (φάγω = manduco) materias nocuas aut simpliciter inutiles corporis (fig. 27).

Distinguuntur: *a*) *lymphocyti* seu *parvi leucocyti,* qui abundant in gangliis lymphaticis et notantur ob magnum nucleum, occupans fere totam cellulam; sunt leucocyti iuvenes; *b*) *leucocyti mononucleati,* qui habent minus nucleum cum forma ovali vel ferri equini et praediti sunt motibus valde activis; *c*) *globuli albi polynucleati,* qui habent nucleum apparenter granularem; sunt valde mobiles et vere phagociti (Metchnikoff).

In sanguine adsunt etiam, praeter haematias et leucocytos, granulationes adipatae, parva elementa, ex. gr. quae dicuntur *haematoblasti,* qui, iuxta Hayem, fierent haematiae.

Haematiae, iuxta fere communem DD., sententiam et observationes, ortum ducunt ex leucocytis, qui in haematias convertuntur.

Haematiae cum suum munus perfunctae sunt in organismo, destruuntur in hepate et, iuxta nonnullos, etiam in splene.

51. **Plasma** est pars liquida sanguinis, quae continet magnam quantitatem albuminae (circit. $^1/_{10}$); est diaphanum, absque colore vel tenui colore succineo; in ipso natant haematiae, leucocyti et reliqua elementa sanguinis. Relicto sanguine in vase aliquo, notatur partem coagulari, quae est *cruor* seu *coagulum,* confectum *fibrina* coagulata, modo reticuli, quae includit haematias, et partem manere liquidam, quae est *serum* seu plasma absque fibrina; serum continet albuminas, quae sponte non coagulantur (gram. 7–7,5 %), quarum maximi momenti est quae dicitur *serina,* substantias adipatas (maioris quantitatis in sanguine venoso quam in arterioso), cholesterinam, nonnulla acida volatilia, uream, acidum uricum, materias colorantes ob destructionem haematiarum, plures sales alcalinos (sal communis, carbonatum kali etc.), saccarum (0,05 %) proveniens ex hepate etc.

52. Sanguis continet etiam nonnullos **gas**, scilicet *oxygenum*, *acidum carbonicum* et *azotum.*

Oxygenum invenitur praecipuae in haematiis chemice coniunctum cum haemoglobina; in sero non continetur nisi parva quantitate in statu solutionis; in arteriis abundat (18 % vol.) magis quam in venis (8 % vol.).

Acidi carbonici maior quantitas est in sanguine venoso (48 % vol.) quam in sanguine arterioso (38 % vol.); in plasmate adest chemice coniunctum cum kali statu bicarbonati kali.

Azotus adest solutus in sanguine.

53. **De corde.** — Cor (καρδία) est organum musculare (fig. 23 et 24) cuius fibrae striatae ita dispositae sunt ut videantur ramosae et modo retis distributae, quod pendet ex modo, quo simul connectuntur; formam habet prope conicam et magnitudinem fere pugillarem subiecti; volumen et pondus variant iuxta varias personas; oblique in thorace iacet, aliquantum sinistrorsum inclinatum, cum apice in imo inter quintam et sextam costam et basi superne. Sistit suo loco, saltem relative, ob praesentiam pericardii, pleurarum et vasorum cordis. Externe circumdatur *pericardio* (περί = circa) seu membrana *serosa*, cuius facies visceralis adhaeret faciei cordis et facies parietalis vertitur ad pleuras, quae involvunt pulmones. Fibrae pericardii sunt elasticae.

Auricula dextra cordis, praebet quatuor aperturas, scilicet 1° *os auriculo-ventriculare*, per quod communicat cum ventriculo subiacente, 2° *os venae cavae superioris*, absque valvulis, 3° *os venae cavae inferioris*, quod habet *valvulam* Eustachii, semi-lunarem, quae imperfecte illud claudit, 4° *os venae coronariae*, quae inservit ad circulationem cordis, et habet *valvulam Tebesii*. In fetu quintum adest os seu *forum Botalli* [1], per quod utraque auricula inter se communicat; post ortum vero clauditur.

Ventriculum dextrum, subiacens praefatae auriculae, habet formam pyramidis triangularis et eius facies interna praebet nonnullos *musculos papillares*, cuius parvi tendines coniunguntur cum margine valvulae tricuspidalis, et *columnas carnosas*, quae adhaerent vel non eius parieti. In basi vero ventriculi adsunt *os auriculo-ventriculare* cum *valvula tricuspidali* (*tres* et *cuspis*), ita vocata ob eius formam, quae impedit transitum sanguinis in superiorem auriculam, et *os pulmonare*, per quod sanguis a ventriculo proiicitur ad pulmones, praeditum tribus *valvulis sigmoidis* seu *semilunaribus* (ob earum formam), quae impediunt descensum sanguinis in ventriculum, quum hoc relaxatur, post impulsum sanguinem. Hae valvulae formam habent nidi columbae, quarum singularum margo superior liber est et praebet nodulum cartilagineum, cui nomen *nodulus Arantii* [2], per quod perfecte clauditur lumen vasis (fig. 31).

---

[1] Botallus Leonardus, medicus transpadanus saec. XVI, medicinam exercuit Parisiis et bene descripsit cor fetus.

[2] Arantius Iulius Caesar Bononiae ortum duxit circ. ann. 1530; discipulus fuit Vesalii et perfecte noverat has valvulas.

Auricula sinistra praebet interne quatuor orificia, quae sunt orificia quatuor venarum pulmonarium, absque valvulis.

Ventriculum sinistrum habet parietes magis spissas quam ventriculum dextrum; eius os *auriculo-ventriculare* habet *valvulam bicuspidalem* (ob formam), quae dicitur etiam *mitralis*, cum similitudinem habeat mitrae episcopi inversae, cuius officium est impedire fluxum sanguinis in auriculam supra positam, cum contrahitur ipsum ventriculum. In hoc adest *os aortae* cum *valvulis sigmoidis*, sicut in ventriculo dextro.

Cavitates praefatae cordis et valvulae teguntur membrana subtili diaphana, quae est *endocardion* (ἔνδον = intus), confecta texto connectente et epithelio, quae continuatur cum involucro interno venarum et arteriarum.

54. **De arteriis.** — *Arteriae* (ἀήρ = aër; τηρέω = servo) [1] sunt vasa, quae ortum ducunt ex corde, cum ex ventriculo dextro oriatur arteria pulmonaris et e sinistro arteria aorta; iacent, ordinarie, profunde, scilicet subtus musculis; aliquando adhaerent ossibus; raro sunt superficiales seu sub pelle (ex. gr. *art. temporalis, faciei, radialis* etc.) et raro etiam simul coniunguntur, efficientes retia vascularia (*anastomoses*); huius exemplum est *arteria mammaria* (ramus art. subclaviae) coniuncta cum art. *epigastrica* (ramus art. iliacae externae).

Arteriae conficiuntur tribus involucris, scilicet: 1° *involucro externo* texti connectentis cum fibris implexis, quae finem habent praebendi magnam resistentiam vasis; 2° *involucro medio* seu *musculo-elastico*, quod est valde spissum, extensibile, elasticum et constans fibris muscularibus levibus, circularibus, et fibris elasticis, quae postremae eo numerosiores sunt, quo maior est arteria; hoc involucrum maximi momenti est pro physiologia arteriarum; 3° *involucro interno*, quod est continuatio endocardii et constat epithelio et membrana elastica.

55. **De distributione arteriarum.** — E ventriculo dextro ortum ducit *arteria pulmonaris*, quae paullo post eius originem dividitur in duos ramos, quorum alter pergit ad pulmonem dextrum, alter vero ad sinistrum; in pulmonibus hi rami pluries dividuntur et efficiunt

---

[1] Veteres (Aristoteles, Hippocrates etc.) putabant haec vasa continere aërem, cum post mortem inveniantur vacua.

capillaria; in basi huius arteriae adsunt tres valvulae sigmoides, quae impediunt descensum sanguinis in ventriculum. E ventriculo sinistro ortum ducit *aorta* (ἀορτή = arteria), magna arteria, praedita robustis parietibus, quae est arteriarum omnium mater et extenditur a praefato ventriculo usque ad quartam vertebram lumbarem; praebet in eius origine tres valvulas sigmoides. Statim post eius originem et supra valvulas, mittit duas *arterias coronarias* (fig. 24), quae inserviunt ad nutritionem cordis. Aorta in primis erigitur verticalis (*aorta ascendens*), dein flectitur modo arcus sinistram versus (*arcus aorticus*) et dein descendit, post cor, usque ad quartam vertebram lumbarem (*aorta descendens*). Ex arcu aortico, in parte dextra, oritur ramus (*ramus brachio-cephalicus* seu *innominatus*) (fig. 23), ex quo ortum ducunt duo rami scilicet *carotides dextra* et *subclacia dextra*. Carotes *dextra*, paullo post, dividitur in *carotidem internam* et *externam*, ex quibus ortum ducunt arteriae pro facie et capite. Arteria *subclavia* dirigitur ad membrum superius et dicitur *humeralis* in humero, dein dividitur in *a. radialem* prope radium (arteria pulsi) et *cubitalem* vel *ulnarem* prope ulnam; ex duobus his ramis oriuntur omnes rami arteriosi manus.

Ex ipso arcu aortico, sinistram versus, cum absit ramus innominatus, art. *carotides* et *subclavia* ortum ducunt separatim.

Ex aorta descendente oriuntur omnes arteriae, quae inserviunt ad nutritionem viscerum, quarum potiores sunt: *arteriae bronchicae* pro texto pulmonum, *a. esophogeae* pro esophago, *intercostales* et *diaphragmaticae* superiores, arteriae *subdiaphragmaticae inferiores*, *art. coronaria stomachica* pro stomaco, *a. hepatica* pro hepate, *a. splenica* pro splene, *a. mesenterica superior*, quae ramos mittit per mesenterium ad intestinum tenue, *a. renales* pro renibus, *a. mesenterica inferior* pro parte inferiore intestini (fig. 39). In pelvi postea aorta dividitur in duos canales, qui sunt binae *arteriae iliacae*, (dextra et sinistra); unaquaeque earum dividitur in *internam* pro membris inferioribus et in *externam* pro organis pelvis; ex arteria iliaca oriuntur: *art. femoralis* pro femore, *a. poplitea* in cavo genu, *a. tibialis anterior* iuxta partem externam tibiae, *a. tibio-peronea*, ex qua proficiscuntur art. *peronea posterior* et *a. tibialis posterior*; hae omnes arteriae, post popliteam, praebent arterias pro pedibus.

56. **De capillaribus.** — Vasa capillaria (capillus) sunt vasa angustissima, quorum lumen est circit. 6-10 μ. et bene observantur per mi-

croscopium. Habent structuram valde simplicem, cum constent tantum strato cellularum depressarum cum protoplasmate plus minus granulari, quae connectuntur coemento intercellulari amorpho. Haec vasa repraesentant canales communicationis inter arterias et venas. Ob eorum simplicem structuram aptissima sunt ad permutationes efficiendas inter plasma sanguinis et cellulas et ad permutationes gasosas in pulmonibus.

57. **De venis.** — Venae sunt canales, qui adducunt sanguinem collectum e capillaribus ad auriculas cordis. Capillaria vasa enim paullatim simul coniunguntur efficientes vasa eo maiora lumine et minora numero, quo magis ad cor accedunt, ita ut sanguis, qui a toto corpore provenit, per duas venas (cava superior et inferior) in auriculam dextram cordis afferatur. Tantum sanguis, qui provenit e pulmonibus, ad auriculam sinistram cordis per quatuor venas pulmonares adducitur, et ille, qui provenit a corde per venam *coronariam* directe in dextram auriculam confluit (fig. 23 et 24).

Venae constant, ut arteriae, tribus involucris, quae sunt: 1° involucrum *internum* epithelii cum fibris elasticis longitudinalibus; 2° involucrum *medium,* confectum fibris elasticis et muscularibus levibus et 3° involucrum *externum* connectens cum fibris elasticis et fibris levibus muscularibus longitudinalibus. Pars vero muscularis et elastica est minus evoluta quam in arteriis.

58. **De valvulis venarum.** — Venae praebent in earum decursu plures *valvulas* seu plicaturas epithelii sub forma nidi columbae, quarum pars concava semper vertitur ad cor. Eorum finis est impedire quominus sanguis, quacumque causa, possit retrocedere. In arteriis valvulae semper absunt in earum decursu (fig. 33).

59. **De venis pulmonaribus.** — Sanguis allatus ad pulmones per arterias pulmonares et distributus in capillaribus colligitur quatuor venis pulmonaribus, quarum duae pro pulmone dextro et duo pro pulmone sinistro et confluunt in auriculam sinistram cordis. In his venis desunt valvulae. Sanguis est ruber.

60. **De vena cava superiore.** — Vena cava superior transfert ad auriculam dextram cordis sanguinem collectum in parte superiore corporis; conficitur duobus *ramis venosis brachio-cephalicis*, scilicet dextro et sinistro; unusquisque resultat venis *iugularibus* (*externa anterior* et *interna*), *venis encephalicis* (quae omnes colligunt sanguinem e capite et collo) et *venis subclaviis,* quae afferunt sanguinem e brachiis et manibus.

61. **De vena cava inferiore.** — Colligit et transfert ad eamdem auriculam dextram sanguinem collectum in membris inferioribus per binas *venas iliacas primitivas* et illum, qui colligitur ex visceribus abdominis per venas *super-hepaticas*. Venae ordinarie vocantur eodem nomine, quo arteriae, quas ipsae comitantur (v. renales, hepatica, etc.).

In vena cava confluunt etiam *vena magna azygos* (ἄζυγος = vena impar) et *vena parva azygos*. *Prima* ortum ducit e vena lumbari procedente a vena iliaca primitiva, ascendit dextro latere columnae vertebralis et confluit in v. cavam superiorem; recipit plures venas, quae sunt lumbares, costales dextri lateris, parva azygos et venae superiores intercostales sinistri lateris. *Altera* azygos vero oritur eodem modo ac praecedens, recipit venas lumbares, quinque vel sex ultimas intercostales et, ascendens sinistro latere columnae vertebralis, confluit in venam magnam azygos circa mediam huius partem (fig. 34).

62. **De vena porta.** — Sanguis, qui provenit splene, pancreas et organis digestionis, non fertur directe ad v. cavam, sed prius colligitur in venam, quae dicitur *porta*, quae penetrat in hepate, ibique dividitur in capillaria ac dein per alias venas recipitur et confluit in v. cavam inferiorem. Hac ratione venae et pancreas et splenis et coronaria stomachica et venae intestinales colliguntur in v. portam, quae sanguinem adducit in hepate; sanguis dein e capillaribus hepatis, colligitur duobus vel tribus venis *super-hepaticis*, quae ducunt sanguinem v. portae et arteriae hepaticae in v. cavam inferiorem (fig. 32).

63. **De nervis cordis et vasorum circulationis.** — Tum cor tum vasa circulationis subiiciuntur actioni nervorum.

Motus cordis diriguntur *nervis moderatoribus* et *n. acceleratoribus cordis*. *Nervi moderatores* sunt nervi provenientes e nervo *pneumogastrico* (originis encephalicae), qui imminuunt cordis motus; nervi vero *acceleratores* sunt nervi, qui ortum ducunt e systemate vulgo et italice dicto « *gran simpatico* », et accelerant eius motus; quare excitatio alterutrius gignit phaenomena diminutionis vel accelerationis motuum.

Etiam in vasis circulationis adsunt, in eorum involucro musculari, extremitates nervorum e gran simpatico, quorum nonnulli inserviunt ad minuendum lumen vasorum (*n. vaso-constrictores*), nonnulli vero ad augendum eorum lumen (*n. vaso-dilatatores*); hac

ratione excitatio n. vaso-constrictorum vel vaso-dilatatorum producit minutionem vel augmentum sanguinis, qui in eis decurrit.

In spissitudine texti cordis adsunt etiam centra reflexa, seu ganglia, cordi propria; tria sunt, scilicet *ganglion Remak*, *g. Bidder*, *g. Ludwig*, quorum prima duo sunt centra excitantia cordis, tertium vero est centrum moderator cordis, ut experientia constat.

64. **De circulatione sanguinis in corde.** — Cor, ut vidimus, est organum musculare cavum, ac proinde est *elasticum* et *contractile;* hinc eius cavitates contrahuntur et relaxantur. Dicuntur *systolae* (συστέλλειν = claudere) contractiones, *diastolae* (διαστέλλειν = ampliare) earum relaxationes seu earum quies. Systola auricularum praecedit systolam ventriculorum; et ambae auriculae uno eodemque tempore contrahuntur, quod idem fit in utroque ventriculo. Quum systolae auricularum et ventriculorum successive factae sunt, cor brevissimo tempore est in diastola generali seu perfecte quiescit.

De auricula — *a*) *Systola.* — Quum auricula repletur sanguine, contrahitur (systola) et sanguis illico impellitur in subiaciens ventriculum, minime in venas (cavas vel pulmonares), quia hoc tempore ventriculum cum sit relaxatum (diastoles), nullam resistentiam praebet sanguini, dum in venis sanguis habet sufficientem pressionem ad impediendum refluxum sanguinis auriculae.

b) *Diastola.* — Cum contractio auriculae impulerit sanguinem in ventriculum subiaciens, auricula relaxatur (diastola), et, ob pressionem sanguinis venarum, quae in eam immittunt, repletur sanguine, cum in ipsa pressio nulla sit; ut liquet, haec gerit se passive cum sinat repleri sanguine, aut nonnisi minima vi hunc hauriat.

De ventriculo. — *a*) *Systola.* — Perfecta systola auriculae, ventriculum, dilatatum sanguine, contrahitur vi, cum debeat vinci pressio sanguinis vasorum, in quibus sanguis proiicitur. Quantitas sanguinis propulsati singulis contractionibus ventricularibus est in media 180 gramm. Sanguis ita proiectus transit in aortam (ventriculum sinistrum) vel in arteriam pulmonarem (ventriculum dextrum), nec refluit in auriculas suprapositas causa valvularum tricuspidalis et mitralis, quae occludunt perfecte os communicationis.

a) *Diastola.* — Cum ventriculum proiecerit sanguinem in systema arteriosum, eius parietes relaxantur; et cum pressio eius cavitatis minor sit quam auriculae, sanguis ab hac, mechanice, absque vi musculari, fluit in ventriculum; hoc est *tempus quietis generalis cordis.* Sanguis vero in arterias a ventriculis immissus

impeditur quominus retrocedat in ipsa ventricula ob valvulas sig moides, quae, cum sint forma nidi columbae cum cavitate iuxta directionem sanguinis, si hic retrocedit, decidunt, margines coniunguntur et noduli Arantii claudunt perfecte lumen arteriarum.

Contractiones cordis sunt, in viro adulto circ. 70-75 singulis minutis; ceterum numerus alius est iuxta aetatem, sexum etc.

Dicitur *revolutio cardiaca* summa contractionum et relaxationum (diastolae et systolae) parietum cordis. Quae revolutio perdurat fractionem min. secundi (0,857) scilicet systola auricularis $^{2}/_{10}$, systola ventricularis $^{5}/_{10}$ et dyastola generalis $^{3}/_{10}$. In singulis revolutionibus, uti diximus, cor proiicit 180 gramm. sanguinis in homine adulto; et si quantitas totalis sanguinis computatur in media quinque litra, necessariae sunt circit. 28 systolae ut tota quantitas sanguinis transeat per cor. Insuper si supponitur minimum sexaginta pulsationum in singulis minutis, sanguis bis percurrit totum corpus eodem tempore, ac proinde centies et vicies in singulis horis et circit. 3000 vices in die. Vere cor valde laborat.

Si tempore systolae ventricularis ponitur manus supra cor prope sextam costam, percipitur **ictus**, qui provenit ex hoc, quod, tempore systolae, ventriculum illico fit durum, tensum et tangit plus minus leviter pectus.

Auscultando cor supra pectus, tempore singulae revolutionis, percipiuntur duo **rumores** disiuncti brevi quiete, quos dein sequitur quies longior. *Primus rumor* locum habet momento systolae ventricularis eodemque tempore perdurat et fortior est in quinto spatio intercostali sinistro; oritur partim motu valvularum auriculo-ventricularium, partim contractione parietum ventriculi et musculorum papillarium, qui valvulas tendunt tanto tempore, quo perdurat systola ventricularis. *Alter rumor* percipitur cum incipit quies cordis; est brevis, bene perceptibilis prope basim cordis, prope partem mediam sterni. Oritur tensione rapida valvularum sygmoidum ob sanguinem, qui, ob diastolam ventriculi, tendit ibi fluere.

In *parietibus* cordis circulatio sanguinis fit per *binas arterias coronarias.*

65. **De circulatione in arteriis.** — Iam vidimus arterias esse canales, qui in involucro medio habent fibras *musculares* leves et fibras *elasticas;* hinc arteriae sunt *contractiles* et *elasticae.* Quae proprietates valde conferunt ad sanguinis motum; nam in singulis systolis ventricularibus dilatantur et dein in diastola relaxantur. Qua re, arteriae subiiciuntur veris dyastolis et veris systolis, cum in systola ventriculari fit *diastola* in arteriis et versa vice; ac proinde *systola* arterialis fit uno eodemque tempore ac *dyastola* ventricularis et *diastola* arterialis item fit uno eodemque tempore ac *systola* ventricularis. Singulis systolis ventricularibus sanguis impulsus producit *ictum* in sanguine, qui iam est in arteriis; hic ictus constituit *pulsum.* (De pulsu cfr. plura in vol. II).

66. **De circulatione in vasis capillaribus.** — Sanguis impulsus per ramos arteriosos diffunditur per capillaria, in quibus decurrit venas versus; non amplius subiicitur contractionibus cordis, sed tantum pressioni ob elasticitatem arteriarum. Copia et dispositio capillarium variabilis est iuxta varia organa; ordinarie abundant in organis, in quibus activitas physiologica maior est. Per haec capillaria, ut iam diximus, sanguis immediata relatione invenitur cum cellulis textorum.

67. **De circulatione in venis.** — Venae recipiunt sanguinem e capillaribus, cuius cursus semper dirigitur cor versus; sanguis venosus circulationis generalis per binas venas cavas immittitur in auriculam dextram, sanguis vero pulmonum per quatuor venas pulmonares (sanguis ruber) immittitur in auriculam sinistram cordis. Structura venarum cum sit fere eadem ac arteriarum, sunt *contractiles, elasticae* et compressibiles, et ob praesentiam valvularum semper idem servatur cursus sanguinis. Causa vero, qua progreditur sanguis in venis est praesertim *vis a tergo* seu impulsus, quem tribuit sanguis continuo veniens sanguini, qui iam aderat in venis. Accedunt etiam aliae causae, quales sunt ex. gr. contractio musculorum, contractiones arteriarum, quae venas comitantur etc.

68. **De circulatione pulmonari.** — Haec constituit *parvam* circulationem, quae incipit a ventriculo dextro et finem habet in auricula sinistra; arteriae pulmonares proiiciunt sanguinem in vasa capillaria pulmonum, ex quibus colligitur per venas pulmonares. Impulsus ventriculi dextri est relative parvus, cum valde proximi sint pulmones; hac ratione eius parietes sunt minus spissae quam in ventriculo sinistro (fig. 29).

69. **De circulatione lymphatica.** — Praeter circulationem sanguinis, adest in organismo altera circulatio, seu *circulatio lymphatica*, quae consistit in circulatione liquidi, cui nomen **lympha,** per certos canales, qui sunt *vasa lymphatica*, et per cavitates, quae omnia efficiunt *systema lymphaticum*, cuius finis est colligere liquidum exsudatum e capillaribus sanguineis in textis et reducere ad sanguinem per systema venosum. Hinc consideranda sunt: *a*) *lympha* et *b*) *vasa lymphatica* (fig. 34).

a) *Lympha* est liquidum absque colore vel flavo-viridulum, aliquando roseum ob praesentiam haematiarum, diaphanum, debilis odoris, paullisper salsum, alcalinum. Constat: *a'*) *elementis solidis* seu *figuratis*, *b'*) *elementis liquidis* et *c'*) *elementis gasosis*.

a') *Elementa solida* seu *figurata* sunt: *a''*) *globuli albi* seu *leucociti* ipsi sanguinis, quorum numerus est circit. 8,000 singulis millimetris cubicis lymphae; *b''*) *globuli rubri* (praesertim in splene et canale thoracico), *c''*) *haematoblasti* et *d''*) *granulationes adipatae,* quae sunt granuli minimi, circumdati involucro albuminae (*membrana haptogena*), quae impedit quominus coniungantur sub forma guttularum.

b') *Pars liquida* seu *plasma* similis est plasmati sanguinis et, eodem modo ac plasma, constat *fibrina* et *sero. Fibrina* videtur esse varietas fibrinae sanguinis (*bradyfibrina*) et coagulatur post circit. quadrantem (extra vasa), efficiens coagulum molle et absque colore et relinquens liquidum seu *serum*, continens eadem elementa seri sanguinis, at diversa quantitate; substantiae enim albuminosae sunt minus abundantes (3-4 %); abundant vero substantiae albuminosae, quae sunt reiectio vitalitatis textorum, praesertim urea; adsunt sales kali, adipes, colesterina etc.

c') *Materiae gasosae* lymphae sunt *acidum carbonicum* (35 %), quod est maiore quantitate quam in sanguine arterioso, minore quam in sanguine venoso, *azotum* (minima quantitate); *oxygenum* fere omnino deest.

b) *Vasa lymphatica* sunt parvi canales diaphani, angusti, praediti valvulis (fig. 35), ut in venis, ita dispositis ut constans sit directio lymphae; in eorum decursu inveniuntur parva corpora plus minus rotunda, quae sunt *ganglia lymphatica;* vasa, quae ad haec pergunt, dicuntur *vasa afferentia*, quae vero exeunt, sunt *vasa efferentia.* Constant tribus involucris, sicut in venis, scilicet interne endothelio, in medio involucro cum fibris levibus muscularibus transversis et fibris elasticis, externe involucro cum fibris longitudinalibus et fibris elasticis; capillaria lymphatica constant tantum endothelio. — *Ganglia lymphatica* habent structuram valde implexam; at eorum genesis ostendit non esse nisi plexus capillarium lymphaticorum, qui pluries dividuntur in ramos (Costantin et Math. Duval); e ganglis exit unus aut duplex vas efferens. Abundant praesertim in articulationibus membrorum, in cubito, in axilla, in inguine, in collo, in abdomine etc.

70. Quoad *originem* vasorum lymphaticorum, vasa lymphatica non videntur communicare directe cum vasis capillaribus sanguinis; nam Ranvier an. 1895 potuit bene observare capillaria lymphatica, in eorum extremitatibus in textis, esse omnino clausa, etsi plus minus

ampliata et praedita endothelio continuo, qui pergit in maioribus lymphaticis.

Omnia vasa lymphatica coniunguntur et efficiunt duos canales, qui confluunt in venis subclaviis. Vasa lymphatica, quae proveniunt ex parte dextra et capitis et brachii et regione superiore dextra pectoris constituunt *magnam venam lymphaticam* seu *Mascagni*, quae confluit in succlaviam dextram; vasa lymphatica vero reliqui corporis confluunt in *canalem thoracicum*, qui ascendit supra columnam vertebralem et confluit in venam subclaviam sinistram; in parte vero inferiore seu prope secundam vertebram lumbarem dilatatur et haec dilatatio constituit *cisternam Pecquet*. Vasa *chylifera* intestinorum non sunt nisi vasa lymphatica, quae dicuntur chylifera cum transferunt materias adipatas absorptas in digestione una cum lympha (fig. 36).

71. **De motu et officio lymphae** — Plasma sanguinis capillarium partim per venas reducitur ad cor, partim vero exsudat e capillaribus ipsis et diffunditur in texta; capillaria lymphatica recipiunt plasma non adhibitum ad nutritionem cellularum eorumque officia una cum materiis repellendis ob eorum activitatem et praesertim uream. Hac ratione plasma lymphae abundat urea et materiis repellendis et parvam quantitatem habet albuminoidum.

Causa potissima circulationis lymphae est *vis a tergo* seu *pressio sanguinis;* causae secundariae sunt *valvulae, contractio musculorum* proximorum [1] etc.

72. **De organis lymphoidis et splene** — Dicuntur *organa lymphoida*, quae constant praecipue texto connectente reticulato cum lacunis, in quibus sunt plurimi globuli albi et communicant cum capillaribus lymphaticis. Sunt praesertim *ganglia lymphatica, placche του Peyer* (v. supra), *thymus, amygdalae* et *splen*. In his omnibus ortum ducunt globuli albi lymphae.

Historia. — Apud veteres non ignorabatur cursus sanguinis, sed eius circulatio seu modus, quo sanguis per corpus transit. Hippocrates [1], qui plura de hac re

---

[1] Ann. 1622 Gaspard *Aselli* primo invenit vasa chylifera examini subiiciens intestina canis tempore digestionis. Ioannes *Pecquet* an. 1649 descripsit cisternam (cui datum postea fuit nomen eius), quae habetur inferius canalis thoracis. Anno 1652 Olaus Rudbeck suecicus invenit vasa lymphatica esse in omnibus organis, et chylifera intestinorum non esse nisi partem systematis lymphatici; aetate erat 21 an. quum hoc invenit.

hauserat a Graecis et praesertim a Chaldaeis, confundebat venas cum arteriis; Aristoteles [2] tuebatur cor praeparare sanguinem in suis cavitatibus et illum impellere per vasa in omnes partes corporis; Erophilus et Erasistratus (a. 300 a. C.) e schola alexandrina putabant arterias non continere nisi aërem, cum, post mortem, careant sanguine; Galenus vero errorem correxit, docens se vidisse semper sanguinem fluere ex arteriis exsectis et arterias plenas sanguine in spatio a duobus ligaturis limitato. Tantum an. 1546 Michael Servetus [3], medicus, fortuito invenit *parvam circulationem*, scilicet quae fit a corde ad pulmones et ab his ad cor, etsi a nonnullis asseratur ipsum hoc directe non invenisse, sed hanc veritatem hausisse in quodam manuscripto Nemesii, episcopi Emesae in Syria; tamen tribuenda est haec inventio Columbo, quam publice fecit an. 1559 [4]. Cesalpinus [5] primo invenit magnam circulationem, quam ipse nomine *circulationis* indicavit. Etiam Paulus Sarpi [6], monachus, descripsit magnam circulationem; et, etsi habeatur ut primus, qui valvularum venarum officium demonstravit, tamen G. Hent, qui biographiam Harvey [7] nobis tradidit, dicit Harvey, usque ab an. 1619, exposuisse Londini theoriam duplicis circulationis et P. Sarpi hanc novisse per legatum Venetiarum, qui tunc temporis Londini morabatur. Inventio valvularum venarum tribuitur etiam Fabricio aquipendiensi; tamen Theodoretus episcopus Syriae (saec. V) loquitur de his valvulis. Tempore renascentiae certum est universitates italicas docuisse recte circulationem sanguinis, ut scimus factum fuisse Patavii, Pisae, Florentiae et Romae. Qui vero per experimenta inconcusse demonstravit sanguinis circulationem, fuit Harvey; ligatis enim arteriis, observavit sanguinem augeri inter cor et ligaturas, et ligatis venis, sanguinis impediri cursum cor versus; directio postremo valvularum venarum et natura pulsationum pulsi confirmavere eius doctrinam; quo factum fuit ut ipse primus integrum schema dederit circulationis sanguinis. Tamen,

---

[1] Hippocrates, (460-380 a. C.) celebris medicus grecus.

[2] Aristoteles stagirites (384-322 a. C.). In opere *De historia anim.* collegit quae nota erant aevo quo vixit et ditavit historiam naturalem pretiosis documentis ex suis plurimis observationibus circa structuram animalium.

[3] Servetus Michael, aragonensis, (1509-1553) exercuit medicinam in Gallia; religione protestante, scripsit « *De Trinitatis erroribus* » et « *Christianismi restitutio* » arguens Romam quod converterit Deum in tres chimaeras et polemicas acerrimas habuit cum Calvino, praesertim circa mysterium SS.mae Trinitatis, quo Calvinus iussit illum comprehendi, iudicari Genevae et vivum comburi. Loquitur casu de circulatione pulmonari in altero opere praefato.

[4] Columbus Realdus cremonensis docebat anatomiam Patavii; discipulus et postea successor fuit Vesalii in eadem civitate. (Cfr. *De re anatomica*, eius opus, ed. 1559, l. 7, pag. 177). — Vesalius Andreas bruxelliensis (1514-1564) studuit in Gallia et deinde docuit anatomiam Patavii, Bononiae et Papiae et in pluribus correxit observationes Galeni.

[5] Cesalpinus Andreas arietinus (1519-1603).

[6] Sarpi Paulus (1552-1623).

[7] Harvey Guilelmus, anglicus (1578-1657), studuit Patavii medicinae, magistro Fabricio aquipendiensi, et edidit opus: *De motu sanguinis et cordis* (1628).

antequam omnes medici doctrinam Harvey amplecterentur, haec doctrina plurimos habuit celebres adversarios, ex quibus celeberrimum Loewenhoeck [1], qui, tantum postquam directe per microscopium capillarium circulationem vidit, veritatem doctrinae Harvey cognovit et strenue defendere cepit. Malpighi [2] per microscopium invenit vasa capillaria, quae coniungunt arterias cum venis.

---

[1] Loewenhoeck (1638–1723) holandicus ex primis adhibuit microscopium ad studium scientiarum naturalium et plura nova invenit.

[2] Malpighi Marcellus (1628–1694), natus Bononiae, docuit anatomiam ibidem et Pisae; multa invenit in anatomia et historia naturali.

CAPUT IV.

DE RESPIRATIONE.

73. **Respiratio** finem habet efficiendi permutationes gasosas inter sanguinem et externum aërem et consistit in absorptione oxygeni aërei et emissione acidi carbonici ex parte sanguinis (qui actus sunt simultanei) ac proinde in immutatione sanguinis venosi (nigri) in sanguinem arteriosum (rubrum). **Pulmones** et **viae aëreae** ad hoc inserviunt et constituunt **apparatum respiratorium**. Respiratio dein comprehendit **phaenomena chemica,** quae fiunt in ipsa permutatione, et **phaenomena mechanica,** ob quae aër externus pervenit usque ad alveolos pulmonares. Hinc agendum: *a*) **de apparatu respiratorio,** *b*) **de phaenomenis mechanicis** et *c*) **de phaenomenis chemicis** respirationis.

74. *a*) **De apparatu respiratorio.** — Constat: *a'*) *fossis nasalibus, b'*) *larynge, c'*) *trachea, d'*) *bronchiis, e'*) *pulmonibus* (fig. 37).

75. *a'*) *Fossae nasales* sunt binae cavitates, quae cum externo communicant anterius per nares, et posterius cum pharynge.

76. *b'*) *Larynx* (fig. 64-65) est canalis, constans pluribus partibus cartilagineis mobilibus, situs in parte anteriore et superiore colli, ante pharyngem et subtus os *hyoide,* quod linguam sustinet; larynx constituit, quod vulgo et italice dicitur « *pomo di Adamo* »; est organum praecipuum vocis; quae partes cartilagineae moventur per certos musculos et connectuntur per ligamina inter se et proxima organa. Cartilagines laryngis sunt (fig. 65) cartilagines *cricoides, thyroides, arytenoides* et *epiglottis.* Cartilago *cricoides* (κρίκος = annulus) habet formam annuli et est inferior laryngi; c. *thyroides* (θυρεός = scutum;

εἶδος = forma) formam habet duarum laminarum cum quatuor angulis, quae anteriore parte coniunguntur; c. *arytenoides* (ἀρύταινα = infundibulum) sunt in parte posteriore et superiore laryngis cum forma pyramidis triangularis; *epiglottis* (ἐπὶ = supra, prope; γλῶττα = lingua) similis parvae linguae, sita post basim linguae, est mobilis et verticalis; tempore deglutitionis fit horizontalis et claudit os laryngis ita ut nil cibi vel potus possit in laryngem penetrare. In larynge sunt bina ligamina *thyro-aritenoida* superiora seu *cordae vocales superiores* et binae *cordae vocales inferiores*, sitae binae in dextro et binae in sinistro latere, quarum superior maior est (fig. 65); spatium situm inter eas dicitur *ventriculum* laryngis. Mucosa laryngis habet epithelium vibratile, exceptis cordis vocalibus.

77. *c*) *Trachea* (τραχεία ἀρτηρία = asper tubus aëreus) canalis est verticalis duodecim centim. longit. et duorum latit., situs ante esophagum, et superius habet laryngem. Constat 18-20 cartilaginibus sub forma C, scilicet antea convexis et retro planis, in qua parte deest cartilago et sufficitur lamina muscularis cum fibris horizontalibus levibus, cui adhaeret esophagus; laminae cartilagineae coniunguntur inter se per ligamina fibrosa et elastica. Mucosa habet epithelium vibratile et multas glandulas.

78. *d*) *Bronchia.* — Trachea, prope tertiam vertebram dorsalem, dividitur in duos ramos, quorum alter ad dextrum, alter ad sinistrum pulmonem dirigitur; hi dicuntur *bronchia* (βρόγχιος = guttur), quorum structura eadem est ac tracheae, si excipias quod cartilagines sunt sub forma annulorum. Praesentia cartilaginum in trachea et bronchiis efficit ut hi canales semper sint pervii aëri.

79. *e*) *Pulmones* (πνεύμων a πνέω = respiro) sunt duo organa essentialia respirationis; constant texto molli, simili spongiae, crepitante, coloris rosei vel grisei; habent formam conicam cum basi inferius et apice superius et tres facies curvas; quarum una externa *convexa,* quae aptatur concavitati thoracis, alia interna *concava* e latere cordis, tertia demum *concava* ob positionem diaphragmatis. Externe uterque protegitur *pleura*, quae est membrana serosa, cuius facies visceralis adhaeret pulmoni, facies vero parietalis parietibus cavitatis thoracis; cavitas pleurae plena est liquido, quod reddit faciliores motus pulmonum. Pulmo dexter divisus est in tres lobos per binas scissuras, sinister vero in duos. Dein pulmo sinister minor est quam dexter, cum apex cordis sinistram versus dirigatur.

In pulmonibus oportet distingui: *a'*) *divisiones bronchiorum* et *b'*) *lobulos pulmonares.*

a') *Divisiones bronchiorum.* — In *hilo* [1] bronchium sinistrum dividitur in duos ramos, bronchium vero dextrum in tres; hi rami dividuntur in ramos primarios, secundarios, tertiarios, terminales; in ramis tertiariis desunt cartilagines et glandulae; in terminalibus vero habetur tantum epithelium pavimentosum.

b') *Lobuli pulmonares.* — Extremitates terminales ramorum bronchiorum (*bronchioli*) finem habent cum parte ampliata, conica, quae est *lobulus pulmonaris,* qui constat cavitatibus secundariis, quae dicuntur *infundibula,* directe communicantia cum lobulo; paries vero lobuli praebet dilatationes vesiculosas, quae dicuntur *vesiculae aëreae, alveoli pulmonares* vel *cellulae aëreae,* quae directe communicant cum lobulo. Hae vesiculae constant membrana connectente, cum *fibris elasticis,* rete capillari valde densa et epithelio pavimentoso. Vasa capillaria ortum ducunt ex arteriis pulmonaribus (fig. 38).

Numerus alveolorum computatur 1.700-1.800 decies centena millia et superficies 200 metr. quad.; capillaria pulmonum habent extensionem 150 metr. quadr.; et cum eorum lumen medium sit 8 μ., volumen sanguinis, qui ibi continetur, est circit. 1200 centim. cubici, scilicet paullo magis quam 1 litr. Circulatio renovat semper sanguinem: et si computantur septuaginta pulsationes singulis minutis et 180 gram. sanguinis proiecti in arteriam pulmonarem singulis pulsationibus, sequitur pulmonem spatio viginti quatuor horarum permeari in media 20.000 litris sanguinis et eodem tempore circ. 10.000 litra aëris ibidem ferri in circulationem (Lefert, Constantin et Math. Duval).

Inter lobulos pulmonares adest textus connectens cum fibris elasticis et cellulis connectentibus.

Per hilum penetrant in pulmones etiam arteriae (*ramus arteriae pulmonaris,* arteriae *bronchicae* ad nutritionem praesertim bronchiorum) et vasa lymphatica; sanguis venarum bronchialium colligitur partim per venas bronchicas, partim per venas pulmonares (fig. 29).

Nervi pulmonum plurimi sunt et proveniunt ex n. pneumogastrico et sympatico.

80. *b*) **De phaenomenis mechanicis respirationis.** — Notum est aërem externum ingredi in pulmones et aërem cum acido carbonico

---

[1] *Hilus* est pars faciei internae pulmonum, per quam communicant cum corde per arterias et venas pulmonares, et cum trachea per bronchia; per hilum penetrant et nervi et vasa lymphatica.

emitti e pulmonibus; primus actus dicitur *inspiratio*, alter *exspiratio*. Hinc agendum: *a*) *de inspiratione*, *b*) *de exspiratione*.

a) *De inspiratione*. — Tempore inspirationis cavitas thoracis augetur volumine ac proinde etiam volumen augetur pulmonum; quod augmentum efficit ut fiat discrimen pressionis inter aërem externum et aërem pulmonum, et aër externus penetret per fossas nasales, tracheam, bronchia horumque ramos in pulmones (lobulos). — *Causa* potissima *inspirationis* est *diaphragma*, quod, cum contrahitur, demittitur, et permittit dilatationem thoracis et pulmonum, et ideo comprimit stomachum, hepar et intestina, quod gignit augmentum voluminis abdominis. Inspiratio dein fit facilior ob motus *costarum*, quae *se se extollentes* et sternum proiicientes, augent cavitatem thoracis; qui motus producuntur ob contractionem musculorum *inspiratorum*, qui, in inspiratione normali, sunt *supracostales*, *scaleni*, *parvus dentellatus posterior* et *superior*, *cervicalis ascendens*, et in inspiratione immodica sunt m. *sterno-mastoideus*, *magnus dentellatus*, *magnus pectoralis* (fasciculi inferiores), *parvus pectoralis* et *magnus dorsalis*. — Quoad *musculos intercostales*, iuxta nonnullos DD., m. externi habentur ut *inspiratores*, *interni* vero ut *exspiratores*; iuxta alios DD. vero nullum horum officium haberent.

b) *De exspiratione*. — Inspirationi *activae* succedit exspiratio *passiva*. Facta enim inspiratione, cessat contractio musculorum inspiratorum; qua re *retractio elastica pulmonum* minuit horum volumen et aër ibi *contentus* expellitur, diaphragma elevatur, viscera abdominis *sublevantur*, huius volumen minuit. Ita fit in expiratione normali. In exspiratione vero immodica additur actio musculorum, qui demittunt costas (m. *parvus dentellatus posterior* et *inferior*, *magnus dentellatus* [pars inferior]) *m. subcostales*, vel musculi qui comprimunt viscera abdominis et ideo sublevant diaphragma (*musculi abdominis*). Uti liquet, in respiratione, pulmones passive se gerunt et eorum elasticitas maximi momenti est.

Tempore integrae inspirationis, applicando aurem ad pectus, percipitur levis rumor, qui dicitur *murmur respiratorius*, cuius causa tribuitur vibrationi aëris in divisionibus bronchiorum, mutationibus alveolorum et rumoribus glottidis.

In adulto, respiratio totalis (inspiratio et exspiratio) perdurat *circit.* 4″ ac ideo numerus motuum respirationis est 16 singulis minutis. Hic numerus ceterum sat variabilis est; nam primo ortu habentur 44 motus respir., in primis quinque annis 26, aetate adulta descendunt usque ad 16 et circiter aetat. triginti annor. augentur usque ad 19.

Particulares mutationes *inspirationis* sunt: *oscitatio,* quae est inspiratio profunda et spasmica cum contratione musculorum maxillae; *singultus,* qui est inspiratio rapida ob convulsas contractiones successivas diaphragmatis, quas sequuntur breves et sonorae exspirationes. — Particulares mutationes vero *exspirationis* sunt: *tussis,* quae consistit una aut pluribus exspirationibus plus minus rapidis, ob quas aër expiratus gignit vibrationes marginum glottidis; *sternutamentum*, quod est exspiratio subitanea et convulsa, quam ordinarie praecedit profunda inspiratio; in exspiratione aër exspiratus offendit in parietes fossarum nasalium cum speciali rumore; *risus,* qui consistit in plures parvas exspirationes, quae inter se minimo spatio temporis separantur; causam habet contractio fere convulsa diaphragmatis.

Capacitas totalis pulmonum seu volumen aëris, quod continere possunt pulmones in maxima inspiratione possibili, est circit. quinque libr. in adulto. At in singulis exspirationibus pulmones non vacuantur omnino, sed remanet residuum aëris *(residuum respiratorium).* Singulis inspirationibus introducitur in pulmonibus dimidia pars litri aëris; et cum numerus inspirationum sit 20,000 in viginti quatuor horis (16 singulis minutis), introducimus, hoc temporis spatio, mediam 10,000 litr. aëris.

81. *c*) **De phaenomenis chemicis respirationis.** — Ut bene noscamus haec phaenomena, oportet ad analysim revocare *a'*) *aërem inspiratum* et *b'*) *aërem exspiratum.*

a') *De aëre inspirato.* — *Aër inspiratus* constat iisdem elementis aëris atmosferici, scilicet volum. 21 oxygeni et 79 azoti cum minima quantitate acidi carbonici (3/10,000 vel 4/10,000) et quantitate variabili vaporis aquei (5/1000 usque ad 15/10000).

b') *De aëre exspirato.* — *Aër exspiratus* habet eadem elementa, *differente* tamen proportione, nam:

	in aëre inspirato	in aëre exspirato
Oxygenum est	20,9	15,4
Azotum	79,1	79,3
Acidum carbonicum	—	4,3 (Beaunis).

Praeterea in aëre exspirato habentur saepe vestigia ammoniacae, hydrogeni sulphurati, aliquando vapores alcoolici, aetheris et simi lium, si accidentaliter haec erant in sanguine. At constans est *minutio oxygeni et augmentum acidi carbonici.* Iam, inspiramus quotidie 10,000 litr. aëris, quorum quinta pars circit. (21 $^{0}/_{0}$) est oxygeni, scilicet circit. kilog. 2 $^{1}/_{2}$ oxygeni (cum litrum huius gas aequivaleat gram. 1,4); in aëre vero exspirato quotidie non adest nisi kilog. 1,750 oxygeni, scilicet gram. 750 retinuerunt pulmones (2500 —

1750 = 750); quod significat nos retinere quotidie gram. 750 oxygeni, scilicet litr. 530.

Quoad vero acidum carbonicum, diximus in aëre inspirato minimam omnino quantitatem adesse; in aëre, contra, exspirato magnam quantitatem inveniri; et, etsi haec quantitas variabilis sit pro pluribus circumstantiis, tamen dici potest mediam quantitatem quotidie a nobis exspiratam esse gramm. 850 scilicet litr. 400. Quod indicat maiorem esse quantitatem oxygeni, quam quotidie retinemus, quam quantitatem acidi carbonici, quam emittimus per exspirationem.

82. **De ratione, qua fiunt permutationes gasosae in pulmonibus.** — Ex analysi constat sanguinem arteriosum continere 18 volum. oxygeni et 38 % acidi carbonici et sanguinem venosum continere 8 volum. oxygeni et 48 % acidi carbonici et oxygenum inveniri chemice coniunctum cum haemoglobina haematiarum et acidum carbonium inveniri maxima parte in plasmate sub forma bicarbonati et phosphocarbonati. Hae mutationes fiunt in pulmonibus ob *absorptionem oxygeni* et *emissionem acidi carbonici.*

Absorptio oxygeni fit per *differentiam pressionis* inter oxygenum capillarium (44 mm.) et oxygenum aëris (110 mm. in exspiratione profunda, 140 mm. in inspiratione profunda), quae efficit ut oxygenum aëris penetret in plasma maiore quantitate in inspiratione quam in exspiratione. Accedit dein ad absorptionem *affinitas chemica haemoglobinae* pro oxygeno.

Etiam *transitus acidi carbonici* in alveolos videtur fieri per *diffusionem,* cum tensio acidi carbonici capillarium sit maior (82 mm.) quam tensio aëris alveolorum (7 mm. in inspiratione profunda, 67 mm. in exspirat. profunda). Praeterea constitutio oxyhaemoglobinae se gereret velut acidum producendo eliminationem acidi carbonici e sanguine venoso (Lefert).

Quantitas acidi carbonici emissi mutat cum aetate, cum augeatur usque ad triginta annos et postea minuatur; magis activa est in personis robustis et in viro quam in muliere; in hac augetur usque ad prima menstrua, immutata manet usque ad menopausam seu cessationem menstrui, ac dein augetur brevi tempore et demum iterum minuitur; in praegnatione augetur. Alimentatio hydrocarbonata (amylum, saccarum), motus muscularis, calor corporis illam augent; alimentatio vero adipata vel albuminosa, somnus, refrigeratio corporis illam minuunt.

Aër exspiratus continet semper *vaporem aquae,* qui provenit fere exclusive e sanguine per evaporationem, quae gignit amissionem ca-

loris e parte sanguinis: ex hoc pendet calor aëris expirati. Hac ratione sanguis paullulum refrigeratur in pulmonibus et temperatura ventriculi sinistri minor est quam dextri.

Ob has mutationes, sanguis niger, qui pervenerat ad pulmones, ab his exit factus ruber.

Oxygenum respirationis, per sanguinem, affertur ad texta; in quibus chemice coniungitur cum carbonio substantiarum organicarum, provenientium ex alimentis vel existentium in textis et ortum ducit aqua et acidum carbonicum, quod per sanguinem adducitur ad pulmones, in quibus iterum sanguis recipit oxygenum et amittit acidum carbonicum, et ita iterum atque iterum, donec vita perdurat. Hoc phaenomenon, quod evenit in intimis textis, dicitur improprie *respiratio interna*.

83. *Centrum praecipuum* respirationis est *nodus vitalis*, de quo inferius.

Historia — Apud veteres pauca habemus de respiratione, cum *gas*, ad illam operandam, non sint nisi inventa aetatis valde recentis. Aristoteles putabat respirationem inservire ad minuendum corporis calorem; Galenus docebat pulmones inservire ad purificandum corpus per exspirationem, et docuit musculos intercostales externos inservire ad inspirationem, internos vero ad exspirationem et certam sectionem medullae spinalis ferre paralysim pulmonum. I. B. v. Helmont (1644) invenit acidum carbonicum; Priestley (1774) invenit oxygenum; Lavoisier (1775) invenit azotum et primus chemicam theoriam praebuit de respiratione; at falso ipse tenebat formationem acidi carbonici locum habere in pulmonibus: Vogel et plures alii demonstrarunt exsistentiam acidi carbonici in sanguine venoso et oxygeni in sanguine arterioso; Magnus vero extraxit acidum carbonicum e sanguine venoso et oxygenum e sanguine arterioso.

84. Ex doctrina respirationis, hucusque exposita, sequitur, aërem, qui inspiratur, necessario purum esse debere, quod obtinetur renovando frequenter aërem locorum, quibus moramur; aër enim singulis momentis corrumpitur exspirationis causa, ob acidum carbonicum, quod perpetuo maius emittitur; et cum hoc minium in aëre sit, impeditur respiratio in intimis textis; cuius consequentia potest esse etiam mors ipsa per asphyxiam. Scientia et experientia docent nos indigere absolute quatuor metris cubicis aëris puri singulis horis pro respiratione; cum vero, praeter respirationem, plures aliae causae corrumpant aërem, communiter admittitur nobis necesse esse *decem* metr. cubica aëris singulis horis (Constantin et Math. Duval).

21,51

CAPUT V.

DE CALORE ANIMALI.

85. Homo est animal cum temperatura constante (autoterma), quae media est 37° C. in axillis, maior in regionibus internis corporis (38° in utero, 40° in hepate), multo minor in superficie externa libera; variat iuxta horas diei; maxima temperatura (37° 8) centralis (i. e. in intestino recto) habetur inter tertiam et quintam horam post meridiem, minima vero (36° 6) inter tertiam et quintam horam mane. Temperatura variat etiam iuxta aetatem, sexum, exercitium corporis, laborem mentis, cibum, conditiones externas etc. At corpus continuo perdit partem coloris; tamen eius temperatura media est 37° C. in axillis. Unde eius genesis? Omnes actiones chemicae, quae fiunt in intimis textis (absorptio oxygeni, eliminatio acidi carbonici etc.) gignunt calorem; oxydatio adipum fert maximum calorem; musculi, centra nervea, glandulae sunt quae maximam quantitatem caloris gignunt; ictus sanguinis contra vasa est item causa, etsi minima, caloris; causa potissima sunt semper actiones chemicae, quae fiunt in textis.

86. *Quantitas media caloris* producti ab organismo (non confondenda cum temperatura corporis) computatur aequivalere 2700-3250 *caloriis* (caloria est quantitas caloris necessarii ad calefaciendum *unum* kilogr. aquae a 0° usque ad 1° C.) in viginti quatuor horis. Si accipimus mediam 2700 caloriarum singulis horis, corpus humanum gignit 112 calorias tempore quietis in viro adulto; tempore laboris muscularis habentur 221 caloriae; tempore sommi vero caloriae productae sunt tantum circit. 36 singulis horis. Haec ostendunt nos posse gignere quantitatem considerabilem caloris.

Hic calor diffunditur in omnes partes corporis per sanguinem, qui in locis maioris productionis caloris (centra nervea, glandulae etc.) calefit et dein calorem cedit organis, quae sunt relative minus calida.

Hac ratione intelligitur calorem sanguinis in diversis locis circulationis non posse esse eumdem, praesertim in venis, cum in arteriis sat uniformis sit; ita ex. gr. sanguis venae cavae superioris et venarum in ipsa confluentium minorem temperaturam habet quam sanguis arcus aortae et arteriarum ex hac orientium; sanguis venae portae est calidior quam sanguis aortae descendentis, minus calidus quam sanguis venarum super-hepaticarum, et sanguis venae renalis calidior est quam sanguis arteriae renalis et sanguis cordis dextri calidior est quam sanguis cordis sinistri. At calor non gignitur tantum ex actionibus chemicis, sed etiam ob laborem mechanicum; hinc quo maior est labor musculorum, tanto maior est calor sequens; immo hic labor est causa praecipua maioris partis caloris animalis; notum est, etiam vulgo, motus gignere calorem.

87. Homo vero nequiret servare eamdem temperaturam, nisi adessent nonnulla media apta ad agendum *contra frigus*, quod tendit ad illum refrigerandum, et *contra externum calorem*, qui tendit ad nimis eum calefaciendum. Hinc homo pugnat contra *frigus* per vestes aptas, per calefectionem domus etc., et contra *calorem* excessivum per vestes leves, per balnea frigida etc. At in organismo adsunt causae, quae finem habent et minuendi dispersionem caloris temporibus frigidis et minuendi excessivum corporis calorem temporibus nimis calidis. Hae causae dicuntur *moderatores* caloris animalis.

88. *Moderatores contra frigus* sunt: — *a) augmentum activitatis chemicae textorum*, quae tunc consumunt maiorem quantitatem oxygeni, quod gignit augmentum caloris; — *b) coarctatio vasorum sanguinis*, quae minuit quantitatem sanguinis circulationis superficialis, minuendo etiam caloris dispersionem. Utraque causa moderans est effectus nervosus naturae reflexae.

Moderatores vero *contra calorem* sunt: — *a) augmentum secretionis sudoris*, cuius evaporatio gignit refrigerationem corporis, cum, ut haec locum habeat, subtrahat calorem corpori; notum est enim unum gramma aquae cum 38° (calor med. sanguin.), ut abeat in evaporationem, egere 580 caloriis; evaporatio sudoris media pro viro est 660 gramm.; hinc intelligitur, quo abundantior est sudor, maiorem esse refrigerationem, dummodo aër sit siccus; — *b) ampliatio vasorum sanguinis* quae sunt in *superficie corporis*, quo fit ut maior sit quantitas sanguinis superficialis ac ideo maior sit irradiatio caloris et refrigeratio; nam notum est decem metra cubica aëris inspirati spatio viginti quatuor horarum continere 50-60 gram.

vaporis aquei et aërem exspiratum contra continere mediam 300-400 gram.; iam ut fiat evaporatio huius quantitatis cum temperatura 35° vel 36° (h. e. cum temperatura aëris exspirati) necesse sunt 200-300 caloriae (Constantin et Math. Duval); — *c) augmentum respirationis pulmonaris,* cum per hanc maior sit evaporatio aquae e pulmonibus, quae gignit refrigerationem.

89. Productio caloris, eo modo, quo omnes actus physiologici, subiiciuntur actioni nervorum. Nervi *vaso-dilatatores* τοῦ *sympatico* sunt calorifici, nervi vero *vaso-contrictores* eiusdem « *sympatico* » sunt frigorifici.

CAPUT VI.

DE SECRETIONIBUS.

90. Loquentes de respiratione intima textorum, vidimus elementa anatomica corporis, ob eorum activitatem, gignere acidum carbonicum, quod per pulmones emittitur ex organismo, quae productio continua est. At acidum carbonicum non est una substantia eliminanda producta activitate cellularum; plurimae enim aliae sunt, quae oriuntur ex reactionibus chemicis, non gasosae, et sunt item eliminandae; ad hoc inserviunt **glandulae,** quae iis purgant sanguinem.

Duplex est officium glandularum; nam nonnullae conficiunt liquida specialia cum substantiis sanguinis (succi digestionis), quae liquida non praeexsistunt in sanguine, et tamen sunt necessaria pro certis phaenomenis; nonnulla vero eliminant e sanguine substantias, in cellulis efformatas, noxas aut simpliciter inutiles. Hinc primae glandulae dicuntur **recrementitiae,** alterae vero *excrementitiae* vel simplicius *secretiones* et earum productiones vocantur item *secretiones recrementitiae* vel simpliciter *excretiones*, et *excrementitiae*. Aliquando tamen secretiones sunt simul recrementitiae et excrementitiae; ex. gr. biles est recrementitia ob absorptionem adipum, excrementitia ob colesterinam eliminandam. Ob earum officium, glandulae sunt semper epitheliares; sub epithelio adest membrana propria cum vasis sanguineis, nervis etc. Plasma sanguinis, per membranam, pergit ad epithelium, cuius cellulae recipiunt elementa pro nutritione et pro secretionibus. Nonnulla iam diximus de pluribus glandulis, loquentes de phaenomenis digestionis; hic agemus de potioribus aliis secretionibus.

A) De excretione urinae.

91. Haec excretio finem habet eliminandi e corpore substantias noxas vel inutiles, quae producuntur ob activitatem totius organismi et praesertim *uream*, quae conficitur ex disassimilatione albuminoidum. Organa, quae ad hanc functionem inserviunt, constituunt apparatum urinarium, qui comprehendit: *a*) **renes,** *b*) **ureteres**, *c*) **vesiculam urinariam** et *d*) **uretram.**

92. *a*) **Renes** (fig. 39, 40, 41) sunt binae glandulae, coloris rubri obscuri, sitae in facie posteriore cavitatis abdominis, sub diaphragmate, extra peritonum, utrimque in columna vertebrali, in regione lumborum; formam habent phaseoli cum parte concava, quae dicitur *hilus*, ad columnam versa; renis sinister elatior est quam dexter; uterque superiore parte habet parvum organum, quod est *capsula suprarenalis*, adhaerens reni per partem concavam; hoc organum nil habet commune cum rene praeter positionem. Per hilum penetrant in renes arterias renales et nervi, exeunt venae renales et ureteres. Renes externe involvuntur capsula fibrosa subtili (fig. 42).

Si renis inciditur, sensu longitudinis, sectione cadente per hilum et ureterem in duas partes aequales, notatur eius structura macroscopica. Sub hilo, in centro renis, conspicitur cavitas (*pelvis renalis*) (fig. 41), cuius ureter non est nisi continuatio; haec cavitas circumdatur massa renis, quae est *parenchyma*; superficies pelvis praebet nonnullas partes profundas conicas in ipso parenchyma, quae dicuntur *calices*, in quibus observantur plures eminentiae, quae dicuntur *papillae*, praeditae multis parvis foraminibus, magnitudinis acuminis acus.

Parenchyma renis distinguitur bene in duas partes concentricas, quarum altera externa (*zona corticalis*), in qua conspiciuntur plura puncta seu granula rubra, altera interna, circa pelvim (*zona medullaris*), quae habet 12-15 pyramides, quae dicuntur *pyramidae Malpighi*, quarum singulae habent basim in zona corticali et apicem, qui finem habet in papilla in profunditate calicis, et apparent praeditae striis dispositis radiatim, quae debentur minimis tubis seu canaliculis (*tubi uriniferi*), qui percurrunt pyramides et zonam corticalem. (fig. 41).

Si sectio nunc valde subtilis ducitur per integrum paranchyma

renis et subiicitur examini microscopico, facile est sequi totum percursum tuborum uriniferorum. Hi incipiunt in apice papillae recti (*tubi Bellini* [1], *tubuli uriniferi*) (fig. 43); in parte corticali fiunt sinuosi, dein descendunt recti in pyramide prope tubos Bellini, postea flectuntur et ascendunt modo litterae U (*ansa Henle*) [2] usque ad zonam corticalem; hinc tubi iterum in parte corticali fiunt sinuosi (*tubi Ferrein* [3] vel *contorti*) et finem habent in partem ampliatam (*capsula Bowmann* [4]), in qua adest rete vasorum capillarium, qui sunt *glomera Malpighi*, quaeque in zona corticali apparent ut puncta rubra. Singuli tubi sunt valde angusti, at eorum lumen aliquantum augetur in tubis Ferrein et paullo ante capsulam Bowmann. — E substantia vero corticali proficiscuntur productiones inter pyramides Malpighi, quae dicuntur *columnae Bertin*; praeterea singulae pyramides Malpighi habent in basi 400-500 parvas eminentias conicas, penetrantes in parte corticali et constituunt *pyramides Ferrein*.

Notandum venam, quae exit capsula Bowmann, non procedere cum aliis ad venam renalem, sed prius dividi in vasa capillaria in parenchymate renis et postea haec confluere in venam renalem, reproducendo quod fit in vena porta et constituit *venam porta-renalem* (Math. Duval) (fig. 44).

Vasa lymphatica constituunt duos plexus, quorum alter superficialis sub capsula, alter profundus circa tubos contortos.

Nervi comitantur arterias.

93. *b*) **Ureteres** sunt bini canales magnitudinis circit. calami communis ad scribendum, longitudinis circ. 25-30 centim., qui proficiscuntur ex hilo et finem habent separatim in parte posteriore vesiculae; uterque renis habet unum ureterem. Constant *externe*, texto connectente cum fibris elasticis, quod pergit in membranam fibrosam renis; *subtus*, membrana musculari valde spissa et *interne* mucosa cum epithelio pavimentoso cum cellulis in seriem dispositis (fig. 42).

94. *c*) **Vesicula urinaria** est cavitas musculo-membranosa, sita post pubim, inserviens ad colligendam provisorie urinam; formam

---

[1] Bellini Laurentius florentinus (1643-1705) primum docuit philosophiam Pisae, dein medicinam Florentiae; eius studium de renibus est. an. 1662.

[2] Henle Fridericus (1809-1885) germanus, physiologus et anatomicus.

[3] Ferrein Antonius (1693-1768) medicus et anatomicus gallicus.

[4] Bowmann Guilelmus, medicus anglicus, natus an. 1816.

habet ovoidem cum parte angusta superius. Servatur in situ per peritoneum, per ligamina anteriora, quae procedunt ad symphisim, et per tria alia ligamina, quae ex umbilico oriuntur. Constat, ut ureteres, tribus involucris suprapositis, ex quibus involucrum musculare habet fibras dispositas sensu circulari et longitudinali, quae finem habent evacuandi vesiculam. Capacitas vesiculae est circit. dimidia pars litri.

95. *d*) **Uretra** est canalis eiiciens urinam : constat duobus involucris, quorum alterum musculare (continuatio strati circularis vesiculae), quod prope collum vesiculae fit spissum et efficit *sphincterе vesiculae,* alterum mucosum cum pluribus glandulis (fig. 82).

96. **De mechanismo secretionis urinae.** — Cum pressio sanguinis in glomeribus sit maior quam in capillaribus confectis venis efferentibus, patet deberi fieri philtratio mere mechanica ex ipsis glomeribus. At disputatur de natura liquidi philtrati. Bowmann opinatur e glomeribus philtrare tantum aquam cum salibus solutis et tubulos contortos producere uream et cetera elementa urinae. Ludwig [1] vero tenet e glomeribus philtrare serum sanguinis *absque albumina* et cum liquidum philtratum nimis abundet aqua, hanc partim absorberi a cellulis tuborum. Kuss [2] demum admittit e glomeribus philtrare serum sanguinis *una cum albumina,* et dein partem aquae et albuminam absorberi a cellulis in decursu tubulorum. Quidquid vero sit de hoc, certo constat ex pluribus experientiis *uream* et cetera principia urinae non elaborari in renibus, qui nil aliud agunt nisi separare omnia haec a sanguine, sed confici in tota corporis oeconomia.

Vis a tergo, quae gignit philtrationem, gignit etiam transitum urinae in canales urinarios, papillas malpighianas, pelvim renalem et ureteres usque ad vesiculam, ubi colligitur transitorie, nec huius epithelium, si sanum sit, aliquid urinae absorbet, cum sit impermeabile. Vesicula dein multam urinam retinere potest, cum sit valde dilatabilis. Cum quantitas urinae, collectae in vesicula, nimis eam distendit, fit necessitas eam expellendi per uretram.

97. **De natura urinae.** — Urina potest considerari velut solutio acida plurium elementorum in aqua. Eius quantitas in viginti quatuor horis est 1,200—1,500 gramm. Quantitas urinae pendet quanti-

---

[1] Ludwig physiologus germanicus, natus ann. 1816, fuit professor Lipsiae.

[2] Kuss (1815-1871) docuit physiologiam in facultate Strasburgensi.

tate aquae sanguinis, qua pendet etiam tensio arteriarum; quo maior enim haec est, tanto maior quantitas urinae producitur et vice versa; hac ratione renes liberant sanguinem excessu aquae; quod quidem observatur post copiosas potiones et post ciborum sumptionem, dum minuit mane, cum nulla causa augeat quantitatem aquae sanguinis vel eius pressionem.

Substantiae solutae in aqua urinae cum sint fere eadem quantitate in viginti quatuor horis, potest statui proportio inter pondus corporis et quantitatem residui solidi, quae est in urina diei; tunc invenitur unum kilogram. animalis secernere unum gram. residui solidi; et cum pondus medium hominis sit 65 kilog., eius urina mediam quantitatem habebit 60-65 gram. materiae solidae (Math. Duval). Quae quantitas tamen variabilis est iuxta naturam alimentationis, anni tempora etc. Haec 60 65 gram. materiae solidae comprehendunt: *a*) *principia azotata, b*) *principia aromatica, c*) *materias colorantes* et *d*) *sales minerales.*

a) *Ex principiis azotatis* primum locum tenet *urea,* quae constituit maximam partem materiae solidae (33 gr. 5 in 24 hor.); continet azotum et per ipsam eliminatur maxima quantitas azoti ab organismo; ortum ducit ex oxydatione albuminoidum in corpore; alimentatio animalis auget eius quantitatem et aliquantulum etiam labor muscularis et intellectualis; alimentatio vero deficiens eam minuit. Urea est venenum pro organismo. — Alia principia azotata urinae sunt *acidum uricum* et *creatina.*

b) *Principia aromatica* plura sunt et implexae constitutionis chemicae.

c) *Materiae colorantes* potiores sunt; *urochroma,* flava, *urobilina,* ortum ducens e bilirubina vel haemoglobina, *indicanus* coloris *bleu,* cuius tamen tantum vestigia sunt in urina sana.

d) *Sales mineralis* sunt: *sal communis,* abundans (10-12 gram. in 24 horis), sulphati alcalini et phosphati alcalini et ferrei.

Aciditas urinae provenit ex phosphato urico-sodico.

B) De pelle eiusque secretionibus.

98. Pellis tegit totam superficiem externam corporis et plura munera obit in oeconomia animali. Praecipuas res hic tantum exponemus.

De structura pellis. — Pellis constat duabus partibus distinctis, quae sunt: *a*) *epidermis* et *b*) *derma* (fig. 45).

a) *Epidermis* (ἐπί = super; δέρμα = pellis) est pars externa tegumenti; constat quatuor partibus suprapositis, quae sunt *stratum corneum*, *stratum lucidum*, *stratum granulosum* et *corpus mucosum*. — *Stratum corneum*, omnino superficiale, constat cellulis depressis, absque protoplasmate et nucleo ac ideo mortuis, sub forma fere squamarum, quae facillime decidunt, ex. gr. *furfur* capitis. — *Stratum lucidum*, sub strato corneo, constituitur duplici vel triplici serie cellularum, quae continent materias oleosas (eleidina) diffusas, quae celant structuram nuclei et protoplasmatis; sunt diaphanae. — *Stratum granulosum* conficitur duplici vel triplici serie cellularum, quae continent eleidinam statu granulationum in protoplasmate; iacet sub praecedente strato. — *Stratum mucosum* seu *Malpighi* constat superius cellulis polyedricis, inferius cylindricis cum protoplasmate granuloso et nucleo; hae per earum multiplicationem gignunt reliquas cellulas epidermidis.

b) *Derma* est pars subiecta epidermidi; constat texto connectente. Inferius derma praebet *glandulas sebatas* et *sudoriparas*, superius *papillas nerveas* pro tactu et *papillas vasculares*, quae ferunt sanguinem ad nutritionem partis viventis epidermidis. — *Glandulae sebatae* sunt fere in toto tegumento, ordinarie adnexae pilis; constant uno acino vel pluribus acinis (*glandulae racemosae*), quae secernunt adipem, cui nomen *sebum*, vel in cavitate (*folliculo*) ubi nascuntur pili, vel in superficie epidermidis, cum possint confluere et in folliculis et in superficie pellis. Emissio sebi partim fit per exosmosim ob *vim a tergo*, partim per dehiscentiam et divisionem cellularum (Math. Duval). — *Glandulae sudoriparae* secernunt *sudorem*; abundant toto corpore, praesertim in palma manuum et planta pedum. Formam habent tuborum, qui in epidermide sunt spirales, et in parte inferiore dermatis se gerunt modo glomeris. In canali auriculari hae glandulae sunt multo maiores et secernunt *cerumen* eodem modo ac glandulae sebatae, quod cerumen continet substantiam valde amaram. Numerus totalis harum glandularum in homine adulto computatur circit. 2,500,000 — *Papillae nerveae* sunt parvae massae ovoides, quae constant duabus vel tribus lobis seu summa cellularum, in quas penetrant filamenta nervosa (*corpuscula Meissner*). *Corpuscula Krause* [1],

---

[1] Krause (Rodulphus-Guilelmus) medicus germanicus (1642-1718), docuit medicinam, philosophiam et chemicam Jenae.

quae inveniuntur in connexiva oculorum et in pelle genitalium non sunt nisi corpuscula Meissner, quae habent unum tantum lobum. *Corpuscula Pacini-Vater* [1], quae abundant in planta pedum, sunt forma ovali et constant externe 15-20 parvis laminis (quae continuantur cum involucro fibrae nerveae), interne protoplasmate granulari cum pluribus nucleis, in quo penetrat cylinder axis fibrae nervosae.

Sebum seu adeps cutis continet $^2/_3$ aquae, adipem, particularem albuminam et sales minerales; eius aspectus est semiliquidus, oleosus, flavus. Finem habet et efficiendi molles pilos et pellem et hanc humectandi ita ut sit impermeabilis; in palpebris, in quibus glandulae *Meibomii* secernunt sebum, hoc impedit quominus lacrimae diffundantur super genas; in ductu auditivo servat mollitiem membranae tympanicae.

Sudor est liquidum odoris variabilis iuxta varias partes corporis, saporis salsi et reactionis acidae. Constat 990 aqua et 10 materiis solidis ($^0/_{00}$), quae sunt *sales minerales*, ex quibus sal communis, *acida adipata* (acidum sudoricum, butyricum, caproicum etc.), *adeps neuter* et *urea*. *Officium* sudoris est depurare sanguinem, moderari temperaturam corporis et fovere tactum.

In pelle adsunt etiam nervi *sensibilitatis generalis*, qui transferunt ad centra nervea sensationes caloris, contactus etc. et nervi *sensibilitatis specialis* pro tactu.

99. **De aliis productionibus pellis.** — In pelle adsunt etiam aliae productiones, quae sunt *pili* et *ungues*.

Pili constant duabus partibus, i. e. *hasta*, quae proeminet supra pellem et *radice*, quae est in dermate et iacet in cavitate tubulosa epidermidis, quae est *folliculus pilosus*. Pilus conficitur tribus zonis, *interne* parte medullari cum cellulis tam latis quam longis, cum nucleo atrophico et protoplasmate cum granulis eleidinae, *externe* cellulis depressis, dispositis modo squamarum piscium, cum eleidina; in parte vero *media* seu *zona corticali* cellulis longis, irregularibus, duris, stricte connexis.

Folliculus pili est introflexio epidermidis, cuius pars inferior elevatur aliquantum et constituit *papillam* (in qua penetrant vasa san-

---

[1] Pacini (Philippus) anatomicus italus (1812-1883); docuit Florentiae; act. 23 annor. invenit has terminationes nervosas, quas iam Vater (1684-1751) invenerat et quarum memoria omnino deciderat.

guinis), cuius cellulae superficiales gignunt pilum; inferius pilus inflatur, supra papillam, et constituit *bulbum* pili. Folliculis adnexae sunt *fibrae musculares*, quae adhaerent uno latere folliculis, altero vero latere dermati pellis proximae et inserviunt, ob earum contractiones, ad erigendos pilos et comprimendas glandulas sebatas.

Ungues sunt laminae corneae, quae ortum ducunt e duritie cellularum strati externi epidermidis partis superioris terminalis digitorum manuum et pedum.

100. **De aliis functionibus pellis.** — Hae sunt *absorptio* et *respiratio*.

Pellis non absorbet liquida, si sit sana et integra, praesertim ob praesentiam adipis, quae semper eam tegit et ob stratum corneum, quod impedit transitum aquae et solutionum in aqua. *Corpora* vero *gasosa* et *volatilia* facile absorbentur. Partes vero profundae pellis absorbent substantias liquidas ibi iniectas, ex quo usus iniectionum sub cutem; sufficit ut iniectio fiat in strato Malpighi.

Pellis praeterea *respirat*, scilicet absorbet oxygenum, emittit acidum carbonicum et vaporem aqueum; quae tamen permutationes sunt minimae in homine.

C) De secretione lactis.

101. Lac secernitur *glandulis mammariis* (fig. 46), quae sunt racemosae: constant singulae 15-20 lobis glandularibus, cuius cellulae parietales gignunt lac, quod est emulsio guttularum adipis. Hae glandulae, minimae in puellis et vetulis, evolvuntur tempore pubertatis in feminis et praesertim ultimis mensibus praegnationis. Secretio lactis aequiparatur secretioni sebi glandularum adipatarum. Gram. 1000 lactis mulieris continent aquam gram. 900, butyrum gr. 30, caseinam gr. 28, saccarum lactis gr. 45, phosphata varia gr. 2,50. (Cfr. plura inferius in cap. *de lactatione infantium*).

D) De glandulis vascularibus sanguineis.

102. Glandulae, quas hucusque breviter inspeximus, habent secretiones *externas;* at sunt aliae glandulae, valde abundantes capillaribus sanguineis, quae finem habent immutandi nonnulla elementa sanguinis priusquam in generalem circulationem iniiciantur, et ob hoc

interne secernunt quod necessarium est ad has mutationes peragendas. Binae tantum glandulae habent eodem tempore secretiones externas et internas, scilicet hepar et pancreas, quarum altera gignit bilem, altera succum pancreaticum. Glandulae cum secretione interna sunt **hepar, pancreas, splen, thymus, capsulae suprarenales, corpus thyroide.**

103. **De hepate.** — Hepar habet plures functiones, praeter formationem bilis. In primis gignit *saccarum* (*glycogenia ;* γλυκὺς = dulcis; γεννάω = genero); nam experientia constat: 1⁰ sanguinem venae *porta* continere tantum vestigia saccari, sanguinem vero venarum super-hepaticarum multum saccarum continere; 2⁰ liquidum, in quo fit ebullitio hepatis recentis, continere saccarum; 3⁰ ablationem hepatis secum ferre absentiam saccari in sanguine. Quae omnia probant elaborationem saccari ex parte hepatis (Claudius Bernard). At cellulae hepatis non conficiunt *directe* saccarum, sed substantiam, quae potest immutari in saccarum, similem amylo vegetali, quae est materia *glycogena,* et invenitur in cellulis hepatis statu amorpho et fortasse statu granulationum (Constantin et Duval); glycogenus vero immutatur in saccarum per *fermentum diastasicum,* quod Cl. Bernard potuit separare ab hepate. Saccarum ita confectum transit in circulationem et affertur ad texta corporis, ubi consumitur actione chemica oxygeni aut aliis modis; hac ratione minima est semper quantitas saccari in sanguine; quae si augetur, nec destruitur in organismo et apparet in urina magis quam 3 % constituit morbum, cui nomen *diabetes.* Dein ex experientis Cl. Bernard constat etiam hepar servare saccarum absorptum in intestinis, illud immutare in glycosium ac dein immittere in circulationem sanguinis. Iuxta Seegen vero saccarum conficeretur a cellulis hepatis, cum hepar absque glycogeno adhuc producat saccarum et opinatur hominem secernere quotidie mediam 500 gram. saccari (Lefert). Saccarum immissum in circulationem cito destruitur in sanguine (*glycolysis ;* λύσις = solutio) ob actionem *fermenti glycolytici* (Lepine), praesertim in capillaribus, ut texta corporis possint facilius illud immutare sub actionem oxygeni.

Hepar habet etiam functionem *uropoieticam* (οὖρον = urina; ποίεω = facio), scilicet, iuxta Arm. Gautier, texta corporis non immutant perfecte, ob oxydationem, materias albuminosas; immutatio perfecta in *uream* spectaret ad hepar; nam hepar continet quantitam ureae, et venae super-hepaticae maiorem quantitatem continent quam vena porta (Meissner, Cyon). Accedit quod in degenerationibus hepatis

(cirrhoris, hicteros gravis, degeneratio adiposa hepatica), urina continet minorem quantitatem ureae (Brouardel).

Functio *haematopoietica* (αἷμα = *sanguis*) hepatis consistit in hoc, quod in ipso haematiae destruuntur et novae conficiuntur; quod constat ex facto quod in bile notantur substantiae, quae ex haemoglobina proveniunt, et huius ferrum tantum partim in bilem transire; reliquum ferri debet inservire ad conficiendas novas haematias (Vigouroux).

Functio vero *adipogenica* est functio, qua hepar immutat partem saccari, allati a vena porta, in adipem.

Aliud officium demum maximi momenti hepatis est eius actio in venena (*functio anti-toxica*), qua retinet et immutat productus desassimilationis circulationis, minuens eorum actionem veneficam; venena mineralia (hydrargirium, arsenicum, cuprum, stibium) retinentur in hepate, quorum pars per bilem emittitur, pars vero gradatim immittitur in circulationem, quo minuitur eorum actio; alcaloida vero (morphina, nicotina, chinina) non solum retinentur a cellulis hepatis, sed chemice etiam immutantur. Quod constat ex experientiis Schiff, Héger et aliorum. Praeterea in intestinis, ob fermentationem albuminoidum, oriuntur substanfiae valde noxae organismo (*indol, scatol, phenol*), quas hepar chemice immutat et dein per urinam expelluntur.

104. **De pancreas.** — Iuxta Lepine, pancreas gigneret *fermentum glycolyticum*, quod, semel immissum in sanguinem, destrueret saccarum modo regulari. At hoc fermentum, si existit, nondum fuit separatum artificialiter e glandula pancreatica.

105. **De splene.** — Iacet parte superiore et sinistra abdominis. Si splen aufertur, organismum adhuc vivit; at ganglia lymphatica augescunt volumine; quod interpretatur eo sensu, quod splen conficiat leucocitos seu globulos albos et ganglia illud sufficiant, post ablationem. Praeterea sanguis venosus, qui provenit ex splene, continet multos leucocitos; et dum sanguis arteriosus, qui in splene penetrat, habet *unum* globulum album super 200 haematias, sanguis venosus eiusdem habet *unum* leucocitum super 60 haematias. Quoad haematias, nonnulli docent ibi destrui, nonnullos vero ibi confici. Cum vero splen valde augeatur volumine ob tensionem sanguinis, a pluribus habetur ut glandula, cui officium est etiam efficere regularem circulationem sanguinis organorum digestionis.

106. **De thymo.** — *Thymus* iacet parte superiore colli post ster-

num; valde evolutus in fetu, atrophia afficitur in adulto et plerumque disparet. Structuram habet similem glangliis lymphaticis et spleni. Eius officium adhuc non constat.

107. **De capsulis supra-renalibus.** — Constant *substantia corticali* (fig. 42-u) aliquantulum flava et *substantia medullari* magis spongiosa quam corticalis; membrana fibrosa involvens mittit laminas in substantiam corticalem, quam dividit in cavitates cylindricas; habent multa vasa capillaria; canalis excernens abest. De eorum officio pauca noscimus; certum est earum graves laesiones augere pigmentum pellis, quae fit aenea, fere nigra (*morbus aeneus* vel *Addison*); earum destructio non tantum auget pigmentum pellis, sed cito affert mortem. Nonnulli putant habere etiam functionem antitoxicam, ut hepar.

108. **De corpore thyroide** (θυρεός = scutum; εἶδος = forma). — Iacet ante primos annulos tracheae et a lateribus laryngis. Eius augmentum extra ordinem gignit *struma* (ital. *gozzo*); constat involucro externo fibroso et parenchimate flavo-rubeo, granulari, cum vesiculis clausis. De eius officio noscitur tantum quod eius ablatio gignit morbum, qui vocatur *myxoedema* (μύξα = mucositas; οἴδημα ab οἰδεῖν = augere, ampliare), qui affert lassitudinem magnam et dolores in musculis; paullo post brachia, crura et corpus augentur volumine et apparent vertigines, syncopes, suffocatio et convulsiones. Opinio est hanc glandulam gignere substantias antitoxicas.

CAPUT VII.

DE NUTRITIONE.

109. Generatim inspecta **nutritio**, definiri potest « summa permutationum, quae fiunt inter corpus vivens et medium circumdans » (Math. Duval). Sanguis affert ad elementa anatomica oxygenum, albuminoides, saccarum, adipes, sales et aquam; texta vero recipiunt, retinent ac adsimilant substantias, quibus egent et refellunt substantias non amplius aptas ad vitam et acidum carbonicum, quas dein sanguis per apta organa amittit. In his permutationibus ergo consistit *nutritio*, quae, ut patet, comprehendit processus *adsimilationis*, quibus substantiae a sanguine acceptae vivunt vitam protoplasmatis cellularum, et processus *desassimilationis*, quibus materiae, quae iam ad vitam inservierunt et nunc non sunt amplius aptae, refelluntur utpote emittendae. At assimilatio requirit ut cibi reddantur apti ad adsimilationem, quod fit per digestionem, respirationem, absorptionem et circulationem; dein constat experientia non omnes cibos illico adsimilari, sed permanere in variis locis organismi ut materiae nutritivae conservationis, quae consumuntur, cum necessitas physiologica id requirat. Hinc agimus *a*) **de conservatione nutritiva**, *b*) **de adsimilatione** et *c*) **de desassimilatione**.

110. *a*) **De conservatione nutritiva**. — Materiae nutritivae, quae servantur in organismo, sunt: *a'*) *glicogenus*, *b'*) *adipes*, *c'*) *albuminoides*, *d'*) *sales minerales*, *e'*) *oxygenum*.

a') *De glycogeno*. — Hepar est organum conservationis saccari, de quo supra egimus.

b') *De adipe*. — Adeps, cum ob combustionem organicam, producat magnam quantitatem caloris, qui necessarius est ad reparandas emissiones continuas caloris, servatur in texto connectente, sub cute, inter organa vel elementa anatomica. Adeps vero ita ser-

vatus non est tantum adeps ciborum absorptus in intestinis, sed etiam qui provenit ex immutatione chemica albuminoidum et amylaceorum.

c') *De albuminoidis.* — Hae substantiae servantur in organis lymphoidis (splen, ganglia lymphatica), in quibus abundant materiae azotatae et conficiuntur globuli albi. Etiam musculi videntur esse loca conservationis albuminoidum. In his organis hi albuminoides (peptones) vario modo immutantur, antequam possint adsimilari in textis.

d') *De salibus mineralibus.* — Splen videtur servare ferrum et probabiliter etiam kali.

e) *De oxygeno.* — Servatur praesertim in haematiis, cum oxygenum absorptum non omnino consummetur; si enim comparatur oxygenum absorptum et acidum carbonicum emissum tempore quietis et tempore laboris, invenitur tempore somni quantitatem oxygeni absorpti non respondere quantitati acidi carbonici emissi, dum tempore laboris muscularis acidum carbonicum emissum valde superat quantitatem oxygeni absorpti; ac ideo oxygenum non consumitur ea quantitate qua absorbetur.

111. *b*) **De adsimilatione.** — Consistit in proprietate cellularum recipiendi ac sibi coniungendi materias nutritivas sanguinis ita ut vivant eamdem vitam cum cellulis. Quomodo vero id fiat, plane ignoratur, cum leges physicae endosmoseos impares sint ad hoc explicandum, praesertim cum notantur singula elementa anatomica absorbere et retinere tantum quae sibi necessaria sunt, reliqua vero recusare; immo aliquando res evenit contra id quod deberet fieri iuxta leges physico-chemicas. Adsimilatio hinc est actus pendens a vitalitate cellulari, seu est actus mere vitalis, qui effugit analysim physiologorum. Ita, ex. gr., haematiae adsimilant sales kali, qui sunt valde rari in sero sanguinis et respuunt sales natri, qui in ipso abundant. Eadem ratione nullo modo explicari potest, qua causa, ex. gr. osseina, musculina, keratina etc. non adsimilentur in omnibus corporis partibus, sed tantum in nonnullis partibus semper similibus.

112. *c*) **De desassimilatione** — Consistit in hoc quod materia, quae vivebat vitam cellulae, desinit ad hanc pertinere, cum immutata sit chemice in alias substantias, quae non possunt amplius retineri ut inutiles vel noxae et ideo debent expelli. Ratio huius chemicae mutationis est quod cellulae laborant (motus muscularis, genesis caloris, etc.) et omnis labor non fit, nisi chemica interveniat immutatio in elementis anatomicis. Generatim loquendo dici potest, oxy-

genum liberum, quod provenit ex haemoglobina haematiarum, chemice coniungi cum principiis, quae constituunt elementa anatomica et illa immutare in novas substantias. Praeter oxydationem praefatam tamen, multae aliae reactiones chemicae interveniunt in processibus desassimilationis. Productus vero desassimilationis valde differentes sunt iuxta substantias, ex quibus oriuntur, et iuxta chemicos actus, quibus subiiciuntur. Ita glycosium, oriens ex materia glycogena hepatis, chemice coniungitur cum oxygeno sanguinis praesertim in musculis et texto nerveo; pars minima tantum mutatur in acidum lacticum. Adipatae substantiae eodem modo se gerunt ac glycosium; at ex earum oxydatione ortum ducunt aqua et acidum carbonicum, quae emittuntur per pulmones et pellem, et magna quantitas caloris. Item materiae albuminosae, ob desassimilationem, gignunt, praeter aquam et acidum carbonicum, etiam uream, etsi indirecte (Lefert). Praeterea hepar concurrit in formatione ureae, uti iam diximus, et profunde immutat et comburit multa venena, quae oriuntur in organismo ob desassimilationem albuminoidum.

113. Ex dictis patet in nutritione habere locum duplicem processum, quorum alter addit materiam (adsimilatio), alter vero subtrahit materiam corpori (desassimilatio). Ut vero corpus bene valeat, necesse est ut quantitas materiei, quae introducitur, aequivaleat materiei, quae deperditur; in hac compensatione consistit *aequatio organica* (italice *bilancio organico*). Hinc, omnibus emissionibus inspectis, homo adultus, spatio 24 horar., amittit 310 gramm. carbonis, 21 gramm. azoti et 2000 gramm. aquae; ut servetur aequatio organica opus est, eodem temporis spatio, introducatur quantitas aequalis praefatorum elementorum; quod habetur sumendo, ex. gr., 1000 gramm. panis et 286 gramm. carnis. At labor mechanicus auget usum, ac ideo augeri debet quantitas ciborum.

114. Nutritio subiacet actioni nervorum, qui dicuntur *trophici* (τρέφω = nutrio).

CAPUT VIII.

DE FUNCTIONIBUS VITAE ANIMALIS.

115. Hoc nomine intelliguntur omnes illae functiones, ob quas homo varias contrahit relationes cum externis rebus.

Hae functiones comprehendunt: 1° translationem corporis de loco in locum seu **locomotionem,** 2° **sensibilitatem;** prima est functio activa, altera est mere passiva.

1. — De locomotione.

116. Ut fiat motus corporis de loco in locum, duo concurrunt: *A)* **ossa,** quorum summa *sceletum* constituit et *B*) **musculi;** ossa sunt partes mere passivae in motu, quae ex se ipsis nihil possunt efficere, nisi musculi, ob eorum contractionem, illa moveant; qui musculi proinde partes activae sunt; musculi vero non contrahuntur et motum non producunt, nisi a nervis excitati; quae excitatio potest esse voluntaria vel involuntaria.

A. — De sceleto seu organis passivis motus.

117. **Sceletus** hominis constat plurimis ossibus (fig. 47), quorum forma varia est pro varietate officii; ita habemus ossa *longa* (in brachiis et femoribus), ossa *plana* (omoplata) et ossa *brevia* (in manibus, pedibus). (Cfr. supra: *De texto connectente*, var. *osseo*).

In ossibus *longis* distinguitur pars media longa, cylindrica vel prismatica (*corpus* vel *diaphysis*, a διά = inter et φύω nascor, sum) et binae extremitates (*epiphysis*, ab επί = supra) inflatae cum faciebus articulationis. Interne continent medullam.

Ossa *plana* formam habent lamellarum, et constant duobus stratis osseis, inter quae adest stratum *substantiae spongiosae.*

Ossa *brevia* habent in centro materiae osseae *textum spongiosum.*

Superficies ossium non est laevigata, sed plus minus rugosa et sparsa partibus eminentibus, quae dicuntur generaliter *apophyses* (ἀποφύω = gigno aliquid ex propria substantia) et partibus concavis, quae iuxta formam dicuntur *cavitates, fossae* etc

Ossa distinguuntur in *paria* et *imparia*, prout eiusdem formae unum tantum adest os in medio organi inspecti (ex. gr. *sternum*), vel duo ossa similia, quorum alter ad dextrum latus, alterum ad sinistrum latus iacet (ex. gr. duo femora, duo humeri).

118. **Sceletus** complectitur: *a*) **caput,** *b*) **truncum,** et *c*) **sceletum membrorum.**

119. *a*) **Caput** comprehendit: *a'*) *ossa calvae* et *b'*) *ossa facici.*

a') *Calva* constat octo ossibus, quae sunt: unum os *frontale,* duo ossa *parietalia,* duo ossa *temporalia,* unum *occipitale,* unum *sphenoidale* et unum *etmoidale.* Ossa: *frontale, occipitale, sphenoidale* et *etmoides* sunt *imparia;* reliqua *paria.* In ossibus temporalibus notanda est pars, quae dicitur *arx* vel *os petrosum,* pro organo auditus.

b') *Facies* habet quatuordecim ossa, quae sunt: duo *zygomatica,* duo *lacrimalia,* duo *nasalia,* unum os, quod appellatur *vomer* seu *sectum nasale,* duo *turbinata* (in lateribus cavitatis nasalis), duo *palatina,* arcum palati efformantia, duo *maxillaria superiora,* quae omnia efformant simul maxillam superiorem, et unum *maxillare* inferius, efformans maxillam inferiorem seu *mandibulam.*

Haec ossa capitis (simul viginti duo) omnia sunt immobilia, praeter mandibulam, quae movetur supra duo ossa temporalia.

120. *b*) **Truncus** componitur *a'*) *columna vertebrali* et *b'*) *costis.*

a') *Columna vertebralis* (fig. 49) conficitur tribus et triginta ossibus superpositis instar columnae; singula ossa *vertebra* (fig. 48) dicuntur et constant: 1° *corpore,* quod est pars lata et fortis, quod per membranam cartilagineam coniungit singulas vertebras et supra et subtus positas; 2° *laminis,* quae occludunt forum quoddam fere circulare, quod *forum medullare* dicitur et 3° *apophysibus,* quae sunt eminentiae osseae, per quas fit articulatio vertebrarum et quibus adhaerent musculi vertebrales. Canalis, formatus singulis foris vertebrarum, constituit *canalem medullarem,* in quo iacet tota *medulla spinalis.*

Columna vertebralis distinguitur in plures *regiones*, quae sunt: 1° *regio cervicalis* seu colli cum septem vertebris, quarum prima inserviens ad articulationem ossis occipitis dicitur *atlas*, altera *epystropheum* (ἐπιστρέφω = converto, retroago) vel *axis;* articulatio *atlantis* super axim gignit omnes motus capitis; 2° *reg. dorsalis* cum duodecim vertebr. dorsi; 3° *reg. lumbaris* cum quinque vertebr.; 4° *reg. sacralis* cum quinque vertebris simul coniunctis, quae *os sacrum* conficiunt, et 5° *reg. caudalis* seu κοκκυγα cum quatuor, aliquando quinque vertebris item simul plus minus coniunctis.

Columna vertebralis non est rectilinea, sed praebet quatuor curvaturas, scilicet *curv. cervicalem, c. dorsalem, c. lumbarem,* et *c. sacralem.* Corpus vertebrarum lumbarium maioris evolutionis est et ideo est locus maioris soliditatis (fig. 49).

b') *Costae.* — Columnae vertebrali regionis dorsalis adhaerent duodecim paria *costarum*, quarum singulae habent formam arcus. Prima septem paria directe *in medio pectoris coniunguntur* ossi, quod dicitur *sternum* (στέρνον = pectus), per *cartilaginem costalem;* tria paria sequentia uniuntur septimae costae utrinque per cartilaginem communem; duo vero ultima paria sunt valde brevia et libera (*costae fluctuantes*). — *Sternum* constat tribus partibus; superius parte lata (*manubrium*), in medio corpore (*mucro*), et inferius *processu ensiformi* vel *appendice xiphoide* (ξίφος = ensis). Longitudo sterni est circit. 20 centim.

121. *c*) **Sceletus membrorum** comprehendit: *a'*) *membra superiora*, quae trunco coniunguntur per *scapulam* et *b'*) membra *inferiora*, quae eidem trunco coniunguntur per *pelvim.*

a') *Scapula* constat duobus ossibus, quorum alterum anterius est situm, quod est *clavicula*, longum, cum forma S, transversum, articulatum cum manubrio sterni; alterum est *omoplata* (ὦμος = clavicula; πλατύς = latus), situm in regione dorsali, utrinque thoracis, cum forma triangulari.

Membra superiora constant: — 1° brachio constituto ex osso (*humero*), quod est longum, cylindricum, cum capite articulari in extremitatibus, quorum superius articulatur in cavitate *glenoide* scapulae, inferius vero (*trochlea*) sulcum praebet in eius facie posteriore, qui dicitur *cavitas olecranica;* — 2° *ante-brachio*, quod conficitur duobus ossibus, i. e.: *a''*) *cubito* seu *ulna*, longa, quae capite superiore articulatur cum trochlea; hoc caput prae se fert in parte posteriore *appendicem olecranicam*, quae, in extensione brachii, accipitur in ca-

vitate olecranica et impedit flexionem *posteriorem* brachii: et *b'*) *radio,* longo, quod articulatur in parte superiore cum humero, in parte inferiore cum duobus ossibus pulsi; — 3° *manibus* quarum utraque constat: *a*) *carpo* (vulgo *pulsus*) constituto octo ossibus dispositis in duplicem seriem quatuor ossium unaquaeque; *b*) *metacarpo* (*palma manus*) cum quinque ossibus metacarpianis; singuli digiti constat tribus ossibus, excepto pollice, cum duobus *phalangibus;* haec ossa dicuntur, iuxta ordinem superpositionis *phalanges, phalanginae, parvae phalanges* (ital. *falangette*); ultima phalanx fert *unguem.*

b) *Pelvis* conficitur duobus ossibus latis, quae sunt: — *a*) *ossa iliaca* seu *coxalia,* quae parte posteriore coniunguntur cum osse sacro et parte anteriore efficiunt ob eorum unionem *simphysim pubicam;* utrumque os iliacum constituitur tribus ossibus simul coniunctis, quorum superius est *ilion,* et duo sunt inferiora, quorum *pubis* est anterius et *ischion* posterius.

Membra inferiora constant: — *a*) *femore* quod est os longum, maius ceteris ossibus sceleti, cum ipsum debeat sustinere fere totum pondus corporis erecti; superius habet *caput* sphaericum, quod articulatur cum cavitate (*acetabulum*) ossis iliaci; inferius praebet duplicem eminentiam (*condyli,* a κόνδυλος = eminentia, nodus), cum qua articulatur tibia et efficitur *genu;* ante genu adest os rotundum, quod est *rotula,* sita inter ligamina articularia; — *b*) *tibia,* quae superius articulatur cum *femore* et inferius cum *tarso;* parallelum *tibiae* et in parte externa est aliud os subtile, quod *peroneum* (περόνη = fibula, acus) vel *fibula* dicitur, cuius extremitas inferior constituit *malleolum externum;* — *c*) *tarso* (in pede) cum septem ossibus; — *d*) *metatarso* cum quinque ossibus, quae articulantur cum serie ultima ossium tarsi; demum veniunt digiti cum tribus phalangibus singuli, uti in manibus, excepto magno digito interno, quod habet duas tantum phalanges.

122. Ad ossa sceleti addenda sunt: os *ioide,* quod regit laryngem et linguam, triginta duo *dentes* et quatuor *ossa auris mediae,* de quibus inferius.

123. **De articulationibus.** — Dicuntur articulationes partes ossium, per quas ossa inter se invicem coniunguntur. Si duo vel plura ossa inter se ita coniunguntur ut omnino immobilia sint, articulatio est immobilis et dicitur *sutura* vel *synarthrosis* (σύν = simul; ἄρθρον = articulatio), ex. gr. ossa calvae; cum vero ossa, etsi sint fortiter coniuncta inter se, tamen possunt aliquantulum moveri, articulatio

dicitur *symphisis* (συμφύω = unio, coniungo) vel *amphiarthroses* (ἀμφί = circum; ἄρθρον = articulatio), ex. gr. symphisis pubis; si demum articulatio sit omnino mobilis, dicitur *diarthroses,* (δία = per). In articulationibus mobilibus necesse est ut effectus motus quantum fieri potest vitentur; ad hunc finem invenitur superficies articulationum contegi cartilaginibus elasticis et compressibilibus; praeterea membrana vel lamina fibrosa circumdat articulationes ita ut efficiat *cavitatem articularem* inter facies duorum ossium et hanc capsulam, cuius epithelium (*epithelium synoviale*) secernit liquidum, cui nomen *synovia* cum adspectu albi ovi (σύν = cum; ὄων = ovum), quod reddit faciliores motus articulationum.

Praeter capsulam articularem et epithelium articulare, circa articulationes adsunt etiam *ligamina* texti fibrosi, quae limitant motum ossium. Ligamina inserviunt ad statuendum contactum duorum ossium, cum sunt inter bina ossa ut in casibus symphiseos; in articulationibus mobilibus contactus ossium efficitur per pressionem aëris.

B. — De musculis seu organis activis motus.

124. **Musculi** (vulgo *caro*) habent formas laminae, vittae, fasciae et fusorum, prout diversas occupant partes corporis; hinc distinguuntur in musculos *longos, latos* et *breves.* Simul numerantur, iuxta nonnullos anatomicos, circiter viginti quatuor et quingenti musculi in toto corpore hominis, iuxta alios circit. quadringenti.

Musculi, in eorum extremitatibus, adhaerent ossibus vel per partes quasdam subtiles, albidas, sat robustas, minime elasticas, quae vocantur *tendines*; tunc musculi sunt forma fusorum, quorum pars lata dicitur *venter;* musculi huius formae possunt in extremitate habere duos tendines (ex. gr. *musc. biceps*) vel tres (ex. gr. *m. triceps*); aliquando musculi paralleli adhaerent eidem ossi per communem tendinem; tendines sunt, generatim loquendo, proprii musculorum cum forma fusorum. — Cum musculi sunt forma laminarum, adhaerent ossibus per laminas eiusdem naturae ac tendines, quae sunt *aponeuroses insertionis* (ex. gr. *m. temporalis*). — Nomina musculorum accipiuntur vel ex eorum usu (m. extensores, flexores), vel ex eorum forma (m. deltoides, pyramidalis), vel ex divisionibus eorum terminalibus (m. biceps, triceps), vel ex eorum directione in organo (m. recti, obliqui, transversi), vel ex eorum magnitudine (m. magnus, medius, parvus), vel ex eorum situ (m. radialis, m. cubitalis), vel ex eorum

adhaesionibus (m. sterno-hyoideus, m. sterno-cleido-mastoideus) etc.

Pauci musculi adhaerent pelli; reliqui fere omnes adhaeaent ossibus.

Iuxta *motum* quem, sese contrahendo, possunt inducere in corpore, musculi distinguuntur in *m. extensores,* si extendunt organa, in *m. flexores* vel *adductores,* si organa extenta provehunt, in *m. rotatorios,* si motum plus minus rotatorium, instar rotae, in organis imprimunt, in *m. constrictores* seu *sphincteria,* si naturalia ostia claudunt, in m. *congeneres,* si concurrunt in eodem motu producendo et in *m. antagonistas,* qui exequuntur motum contrarium; ita ex. gr. m. flexores sunt m. congeneres, m. extensores vero sunt antagonistae.

Distinguuntur musculi etiam, ob positionem, in *m. superficiales* et *m. profundos* (fig. 50).

125. **De physiologia musculorum.** — Musculi distinguuntur essentialiter ob proprietatem *elasticitatis* et *contractilitatis.*

Musculus statu *quietis* est elasticus; protrahitur enim sub actione vis, et dein, hac cessante, ad pristinum statum redit. Statu *activitatis* musculus magis extensibilis est, quam statu quietis. Elasticitas et extensibilitas maxime favent motum muscularem.

Musculus irritatus *contrahitur,* scilicet fit illico maior in medio et valde brevis; quae contractilitas locum habet per causas voluntarias vel involuntarias (*contractio reflexa*).

Musculi, sicut ceterae partes corporis, sedes sunt chemicarum actionum; statu quietis absorbent oxygenum et emittunt acidum carbonicum; statu activitatis idem accidit, at maiore intensitate; productus huius activitatis chemicae plures sunt, quales ex. gr. creatina, creatinina, acidum uricum, acidum lacticum et acidum carbonicum. Hac ratione, sanguis, qui provenit ex musculis, continet maiorem quantitatem acidi carbonici statu activitatis, quam statu quietis. Hae operationes chemicae gignunt calorem.

Post mortem musculi amittunt contractilitatem et fiunt *rigidi* (*rigiditas cadaverica*); hoc procedit ex coagulatione substantiae albuminosae musculorum, i. e. *myosinae.*

Omnia haec pro musculis cum fibris *striatis.*

Etiam musculi cum fibris *levibus* gaudent *elasticitate* et *contractilitate;* at contractilitas valde lente procedit post irritationem, et semel incepta diutius protrahitur. In hoc musculi leves distinguuntur a musculis striatis, qui cito et fortiter contrahuntur.

Praeterea musculi, tum statu quietis, tum statu contractionis, producunt electricitatem, quae per apta instrumenta physica cognoscitur.

Fibra muscularis potest agere, ad producendos motus et laborem, duplici modo i. e. per *pressionem* vel per *tractionem*. In *primo* casu fibrae dispositae sunt sub forma annuli, aut cavitatum aut aliter, ita tamen ut compressio organorum, quae includunt fiat omni latere; ex. gr. sphincteres, canales musculares (pharynx, esophagus), cor etc. Per eorum compressiones liquida vel materiae molles progrediuntur in organis. In *altero* casu fibra muscularis adhaeret, per tendines, organis, quae trahere debet ad inducendos motus; hac ratione fit motus corporis, de loco ad locum, in quo motu inducendo locum habent leges mechanicae.

2. — De sensibilitate.

126. Hoc nomine intelligitur facultas percipiendi actiones externorum obiectorum eisque respondendi. Sicut motus non potest obtineri nisi per actionem nervei systematis, ita sensibilitas est functio propria eiusdem systematis.

Relatio inter corpus et externa obiecta statuitur per organa sensus, quae sunt: *A*) **tactus,** *B*) **gustus,** *C*) **olfactus,** *D*) **auditus** et *E*) **visus.**

Priora tria organa, ut suo munere rite fungantur, necesse est ut a corporibus externis *directe* afficiantur, ideoque *imperfecta* vel *inferiora* dicuntur; reliqua vero excitantur a corporibus plus minus distantibus, ideoque *perfecta* seu *superiora* appellantur.

A) — De tactu.

127. Organum sensibilitatis tactilis est tota superficies **pellis** corporis et nonnullae mucosae. Supra vidimus structuram pellis. In qua, praeter *corpuscula Meissner, Krause* et *Pacini-Vater,* adsunt etiam in profunditate epidermidis et in mucosa oris *terminationes liberae nerveae,* in quibus absunt involucra fibrae nerveae, quae finem habet cum axe cylindri.

Per tactum recipimus *sensationes pressionis* et *thermicas* seu *temperaturae. Primae* sunt sensationes contactus, si pressio est debilis; sunt vero sensationes contactus proprie dicti, si pressio est

fortis. Pressio simplex videtur locum habere in strato papillari dermatis, in corpusculis Meissner, pressio vero proprie dicta in corpusculis Pacini-Vater. *Alterae* sensationes nobis indicant temperaturam corporum relate ad temperaturam nostri corporis, cum quo fit contactus. Non omnes partes corporis habent eamdem sensibilitatem quoad temperaturam ; labia enim, genae et dorsum manus maioris sensibilitatis sunt (fig. 45).

Hinc facile intelligitur tactum delicatiorem et perfectiorem esse in locis corporis, in quibus abundant papillae, sicut palma manuum, apex linguae, etc., et minorem, in quibus pellis magis crassa est.

Per tactum cognoscimus formam corporum eorumque superficiem, temperaturam et pondus. Cum vero sensibilitas tactilis nimia vi excitatur, oritur sensus doloris ; ita advertimus dolores stomachi, viscerum, vel impressiones potus, vel cibi nimis frigidi vel nimis calidi.

B) — De gustu.

128. Organum gustus, est *lingua*, essentialiter naturae muscularis, cui naturae referenda est facilitas eius motuum ; adhaeret ossi « *ioide* » (fig. 51).

Superficies linguae habet plurimas eminentias, quae dicuntur *papillae*, quaeque, ob eorum formam, distinguuntur in *papil. filiformes*, prope apicem linguae sitas, in *pap. fungiformes*, quae iacent prope margines linguae, in parte media et earum nonnullae etiam inter filiformes, et in *pap. caliciformes*, quae sunt ceteris maiores et partes posterioris linguae locum occupant, dispositae sub forma litterae V. Papillae caliciformes praesertim et aliquantisper etiam fungiformes inserviunt ad gustum, filiformes vero tantum ad sensibilitatem tactilem linguae. Omnes hae papillae teguntur membrana mucosa oris et habent specificos nervos.

Ut habeatur *sensus* gustus necesse est ut corpus sit solutum, saltem in saliva, et excitet papillas.

Nervi gustus sunt : *nervus lingualis*, proveniens ex trigemino, qui distribuitur in parte anteriore linguae, et inservit, praeter gustum, etiam pro sensibilitate generali et tactus, et *n. glosso-pharingeus*, in basi linguae et inservit praesertim pro sensibilitate lingualis. Sensationes gustus, praesertim quae proveniunt ex saccaris., transmittuntur per fibras *cordae tympani*, qui est ramus nervi facialis.

Sapores vero, qui linguam afficiunt, sunt tantum sapor *dulcis*, *amarus*, *salsus* et *acidus*.

C) — De olfactu seu odoratu.

129. Organum *odoratus* seu *olfactus* sunt *fossae nasales*, quae anterius communicant cum *naribus*, posterius cum pharynge.

Nares constant quinque cartilaginibus, quarum una impar et in medio sita est, reliquae duae utrinque. *Nasus* vero constituitur ossibus et est velut vestibulum fossarum nasalium. Mucosa nasi habet epithelium pavimentosum, plures glandulas sebatas et pilos rigidos in ostio. — *Fossae nasales* constituunt cavitatem divisam simmetrice lamina verticali; earum partes inferiores habent plurima vasa capillaria sanguinea cum epithelio cylindrico vibratili et nervis sensibilitatis (rami *n. trigemini*) et inserviunt ad vocem et respirationem; mucosa vero partis earum superioris habet minorem quantitatem capillarium et glandularum et epithelium cylindricum caret ciliis; distinguitur praesertim ob plurima filamenta nervea (*nervi olfactivi*), quae inter cellulas epitheliares fiunt fusiformia, longa, cum nucleo in parte dilatata (*cellulae olfactivae*), quarum pars libera, divisa in plura minima filamenta, pervenit usque ad superficien liberam mucosae; haec elementa nervea sunt continuatio *nervi olfactorii*, qui provenit ex encephalo. Cellulae cylindricae sunt cellulae sustinentes cellulas olfactivas. (fig. 52, 53, 53 a).

Conditio necessaria, ut sensibilitas olfactus habeatur, requirit ut moleculae odorosae corporum in aëra diffudantur et, ob inspirationem, tangant mucosam. Si aër quietus est, nullus odor habetur. Liquida odorosa, quae impleant fossas nasales, nullum odorem praebent. Olfactus videtur inservire ad noscendam puritatem aëris inspirandi, cum aër non aptus respirationi varios odores habeat.

D) — De auditu.

130. Omnes rumores, voces et sonus percipiuntur per *auditum*, cuius organa sunt *aures*.

131. Utraque auris constat tribus partibus, scilicet: 1° *aure externa*, 2° *aure media*, et 3° *aure interna* (fig. 54).

132. 1° *Auris externa* comprehendit: — *a*) *pinnulam*, essentiali-

ter cartilagineam, quae est instar conchae, quae inferius finit in quadam appendice adipata, quae dicitur *lobus;* pinnula, ob eius formam specialem in superficie interna, inservit partim ad colligendos sonus, partim vero ad eorum indicandam directionem; — *b*) *auris cavernulam* seu *ductum auditivum,* qui est species canalis, in os temporale aliquantulum penetrantis, cuius apertura seu *meatus auditivus* protegitur *pilis auricularibus;* superficies vero huius canalis habet glandulas secernentes humorem satis densum (vulgo *cerume*), cuius officium est impedire ingressum in cavernulam parvorum animalium et, generatim, extraneorum corporum; dupliciter inservit ad transmissionem sonus, videlicet per columnam aëris quem continet et per parietes cartilagineas et osseas, quae, ob externos sonus vibrantes, directe transmittunt undas sonoras ad ossa capitis et per haec ad liquidum labyrinthi auris internae.

133. 2° *Auris media* seu *cassa tympanica* sequitur aurem externam, et est parva cavitas sita in arce ossis temporalis, quae habet quatuor aperturas (quarum tres sunt perfecte clausae), quaeque sunt: *tympanum, fenestra rotunda, fenestra ovalis* et *tuba eustachiana* seu *Eustachii* [1]; primae tres sunt aperturae semper clausae a membrana tensa (fig. 54).

Ductus auditivus in facie externa cavitatis tympanicae occlusus est particulari membrana fere rotunda, quam maxime tensa, quae dicitur *membrana tympani,* et constat fibris connectentibus et elasticis cum multis capillaribus sanguineis. Habet formam conicam valde brevem cum apice internum versus. Quae convexitas servatur per seriem ossium, quae sunt in cassa tympanica.

Forma *fenestrae rotundae* et *fenestrae ovalis* respondet earum nominibus.

Tuba vero *eustachiana* est brevis canalis communicans cum parte postica oris seu pharynge, cuius officium est servare et renovare aërem in aure media, et efficere ut aër, hic conclusus, eamdem pressionem habeat ac aër externus; quae omnia fiunt per motus deglutionis. Tuba Eustachii et cassa tympanica teguntur epithelio vibratili, exceptis locis ubi sunt tres aperturae, clausae membrana tensa.

Insuper in aure media adsunt quatuor parva *ossa* in seriem disposita et inter se contigua, quae sunt, iuxta ordinem, *malleus, in-*

---

1 Eustachi (Barthol.) anatomicus italus sec. XVI.

cus, os orbiculare et *stapes*. *Malleus* dividitur in *manubrium*, quod aptatur in spissitudine tympani et in *caput* adherens *incudini*. *Incus* similitudinem habet dentis molaris cum binis radicibus, cuius corona recipit caput mallei. Radix longior, per *os orbiculare* (parvum et rotundum) articulatur cum stape, quae adhaeret membranae tensae fenestrae ovalis. Per hanc cetenulam quatuor ossium fit transitus undarum sonus. Haec ossa ita articulatione connectuntur per parvos musculos striatos, ut simul efficiant systema sat rigidum et satis elasticum (fig. 55).

134. 3° *Auris interna*, appellata etiam *labyrinthus*, quia constat organis quam maxime complexis, sequitur aurem mediam, cum qua communicat per utrasque fenestras. *Labyrinthus* (fig. 56) invenitur in excavatione ossis temporalis (in parte petrosa huius ossis) et efficit cavitatem (*labyrinthum osseum*) valde irregularem ob naturam organorum, quae ibi continentur. Per ductum auditivum internum transit nervus specificus auditus, i. e. *n. acusticus*. In hoc labyrintho osseo adest saccus membranosus clausus eiusdem formae, qui adhaeret tantum fenestrae ovali et rotundae; reliquum spatium situm inter labyrinthum osseum et membranam repletur liquido seroso, quod est *perilympha* (περί = circa) vel *liquidum Valsava* [1]; saccus ipse demum seu *labyrinthus membranosus* continet similem humorem, qui dicitur *endolimpha* (ἔνδον = intus) vel *humor* τοῦ *Scarpa* [2]. — Labyrinthus constat tribus partibus, quae sunt: *a*) *vestibulum*, quod media pars est, *b*) *canales semicirculares* et *c*) *helix;* canales semicirculares et helix communicant utrinque cum vestibulo.

a) *Vestibulum* osseum continet vestibulum membranosum; hoc constat duobus sacculis i. e. *utriculo* (v. fig. 56) et *sacculo*, qui inter se communicant per tenuem *ductum endolimphaticum;* utriculus elypticus est et communicat cum canalibus semicircularibus; sacculus sphaericus est et minor et communicat cum helice; canalis unionis sacculi et utriculi praebet ductum clausum, qui dicitur *aquaeductus vestibuli*.

b) *Canales semicirculares* sunt tres tubi orientes ex dilatatione utriculi (*ampulla*) et ad perpendiculum invicem se gerunt. Hi canales membranosi continentur in tribus canalibus osseis, quae sunt

---

[1] Valsava, anatomicus italicus universitatis Bononiae saec. XVII.

[2] Scarpa (Antonius) chirurgus et anatomicus italicus (1747–1832).

prosecutio vestibuli ossei, et finem habent in utriculo. Praeterea utriculus, sacculus et canales semicirculares prae se ferunt in locis, ubi filamenta nervea penetrant, parvas eminentia, quae pro utriculo et sacculo dicuntur *maculae acusticae* et pro ampullis canalium vocantur *crestae auditivae;* tum maculae tum crestae teguntur cellulis cylindricis, inter quas sunt cellulae fusiformes praeditae filamentis, quae in parte eorum inferiore continuantur cum fibrillis nerveis nervi vestibularis, et continent corpuscula calcarea chrystallina, quae sunt *otolithes* (οὖς = auris; λίθος = petra).

c) *Helix* (fig. 57) est canalis excavatus in osse, conicus, cum paullo amplius duabus spiris, cochleatim retortus circa axim osseum et cavum, qui dicitur *columella;* canalis internus helicis per laminam osseam (*lso*), orientem ex columella, dividitur in duos canales, qui sunt *scala vestibuli* (SV) et *scala tympani* (ST) (fig 58); quae ultima communicat cum sacculo vestibuli; summitas helicis dicitur *cupula* vel *apex;* ibi utraque scala communicat, cum desit lamina dividens. E margine libero laminae spiralis osseae proficiscitur lamina membranosa spiralis seu *membrana basilaris* (b), ex qua statim ortum ducit altera membrana, *membrana Reissneri* (R), formans cum prima angulum acutum; utraque membrana gignit alium canalem cum parte externa ossea helicis, qui dicitur *canalis cochlearis* (CC), interne habentem endolympham, cum communicet cum sacculo. Supra membranam basilarem adest *organum Corti* [1] valde implexum, (fig. 59) quod constat essentialiter *arcubus* et *cellulis ciliatis.*

Arcus singuli constituuntur (CC) duobus pilis (anatomice *pilastri*), quae eriguntur e membrana basilari et supra coniunguntur efficientes arcum; numerus arcuum computatur circit. 3000. Pila interna, propior axi helicis, est brevior quam altera externa. Prope pilam internam adest cellula cum circit. 25 ciliis (*cellula ciliata interna*) et prope pilam externam notantur aliae cellulae ciliatae (*cell. ciliatae externae*) (h), quae sustinentur aliis cellulis intermediis, quae sunt *cellulae Deiters* (d); hae superius prae se ferunt appendicem aliquantulum spissam, et omnes hae appendices conficiunt *membranam reticutarem* (M f); e latere cellularum cum ciliis internarum adest epithelium pavimentosum *canalis spiralis interni*, et, post ultimas cellulas Deiters, adsunt *cellulae Hensen* (g), quae

[1] Corti (1474-1544), medicus italicus, docuit medicinam Patavii, Bononiae et Pisae.

postea immutantur in epithelium canalis cochlearis. Supra organum Corti et sulcum spiralem adest *membrana tectoria* vel *tegumentalis*, natans in endolympha.

135. *Nervi* auditus proveniunt ex *nervo acustico* (ακούω = audio), qui est nervus encephalicus; penetrat per ductum auditivum internum, dividitur in *nervum vestibularem*, qui mittit ramos ad utriculum, ad sacculum et ad canales semicirculares et in *nervum cochlearem*, qui penetrat in columellam helicis et in plurimis resolvitur ramis in membrana basilari (n) pro cellulis ciliatis (h), in quibus fibra nervosa constat tantum axe cylindri.

136. Sensationes auditivae transmittuntur per aures hac ratione: cum corpus sonorum vibrationes producit, eius vibrationes ad aërem transmittit, et postea, canalem auditivum ingressae, vibrare faciunt membranam tympanicam, quatuor parva ossa et aërem auris mediae; hae vibrationes vero auris mediae vibrationes respondentes gignunt in membrana fenestrae ovalis et fenestrae rotundae, quae statim transvehuntur ad varia organa auris internae, scilicet trium canalium et helicis, in quibus rami nervi acustici afficiuntur pro diversitate vibrationum respondentium varietati sonuum. At organum Corti inservit pro perceptione sonuum, vestibulum pro perceptione in genere omnium audibilium (rumores, ictus), et canales semicirculares videntur inservire ad aequilibrium corporis et variarum positionum capitis, cum eorum laesio vel ablatio non minuat auditum, sed gignat graves perturbationes in aequilibrio corporis, quarum causa sunt vertigines. Excitationes, hoc modo a nervo acustico receptae et ad encephalum traductae, percipiuntur.

E) — De visu.

137. Organum, per quod excitationes lucis, forma et corporum colores percipiuntur, est *oculus;* in quo distinguendae sunt: 1° **partes essentiales**, quae constituunt *globum oculi*, et 2° **partes accessoriae**, quarum officium est defendere globum oculi eiusque motus producere. De utrisque igitur res erit.

138. 1° **De partibus essentialibus seu de globo oculi.** — *Globus oculi* habet formam fere sphaericam et iacet in cavitate orbitae. Constat sequentibus partibus: — 1° membrana externa, opaca, solida, valde crassa, coloris albi, quae dicitur *schlerotica* (σκληρός = durus) (*album* oculi); quae in parte anteriore habet aliam mem-

branam rotundam, satis transparentem, velut vitrum, extrinsecus magis convexam, cui nomen est *cornea;* in parte vero posteriore, globi, schlerotica exhibet foramen, per quod intrat in oculum nervus specificus visionis, h. e. *nervus opticus;* cornea constat essentialiter fibris connectentibus dispositis in lamellas; antea et retro tegitur epithelio; epithelium posterius dicitur *membrana Demours* [1] vel *membrana Descemet* [2]; epithelium vero anterius idem est ac epithelium connexivae; schlerotica vero constat fibris connectentibus vario modo contextis; — 2° subtus schleroticam, alia membrana, fere nigri coloris, quae appellatur *coroides* (χορίον = corium; εἶδος = forma), quae est maxime vascularis et in superficie interna habet cellulas exagonas, plenas *pigmento* praefati coloris; — 3° post corneam, membrana plana quae dicitur *iris,* in cuius parte media adest parvum foramen, cui nomen *pupilla;* color iridis varius est in singulis hominibus; pupilla habet parvos musculos partim circulatim, partim vero radiatim dispositos et nervos; prout primi vel alteri musculi contrahuntur, pupilla maior vel minor fit; qua re radii lucis maiores numero vel minores ingrediuntur in oculum; — 4° *reticulata tunica* (italice *retina*) seu membrana subtili, cuius anatomica structura est valde complexa, et conficitur extremitatibus nervi optici, et ipsa una afficitur excitatione lucis; locus, ubi nervus opticus ingreditur in oculum, minime afficitur excitatione lucis, et ubi visio tunc non habetur, dicitur communiter *punctum coecum,* anatomice vero *papilla nervi optici;* prope quam adest locus maximae sensibilitatis, qui dicitur *macula lutea;* — 5° Subtus retinam, membrana quadam valde subtili, quae dicitur *hyaloides,* plena particulari humore, aliquantulum denso, instar albi ovi crudi, cui nomen *humor vitreus;* — 6° post iridem habetur corpus solidum, rotundum, bis convexum, cum convexitate vero maiore prospiciente centrum oculi, satis transparens, instar lentis chrystallinae, quod dicitur *corpus chrystallinum;* totum spatium inter corneam et hoc corpus chrystallinum continet humorem valde liquidum, instar aquae, qui est *humor aqueus* et producitur *corpore ciliari,* quod est pars anterior coroidis, magis densa, quae constat 70-80 plicaturis, quae dicuntur *processus ciliares* (fig. 60, 61).

---

[1] Demours (Petrus), chirurgus et medicus ocularius gallus (1702-1795).

[2] Descemet (Ioannes), medicus et scientiarum naturalium cultor gallus (1732-1810).

139. 2° **De partibus accessoriis oculi.** — Harum partium: *a*) nonnullae *defendunt* oculos, *b*) nonnullae vero illos *movent.*

a) *Partes defendentes oculos* sunt: — 1° *cavitas orbitae,* quae constituitur ex ossibus sequentibus: frontali, sfenoidali, maxillari superiore, zigomatico et lacrymali; — 2° *textum adipatum* in imo orbitae situm, supra quod iacet globus ocularis; officium habet reddendi faciliorem motum oculorum; — 3° *supercilia,* quae sunt pili ad arcum dispositi, prope basim frontis et supra palpebras, quorum officium est impedire ingressum sudoris frontis in oculum et actionem minuere lucis directae; — 4° *palpebrae,* quae sunt binae plicaturae pellis, praeditae particulari musculo, subtiles, circumscriptae anterius parva cartilagine, valde mobiles, quae inserviunt ad defendendos oculos tempore quietis, ad diffundendas uniformiter lacrimas in parte anteriore globi oculi, ut semper globus humidus sit, ad illum lavandum, ob faciles motus proprios et ideo ad auferendum pulverem et cetera corpora extranea, quae ob contactum aëris ibi deponuntur; — 5° *cilia,* quae sunt pili, siti in margine palpebrarum, qui, clausis oculis, impediunt ingressum corporum extraneorum; — 6° *connexiva,* quae est pellis subtilis, tegens inferius superficiem palpebrarum et antea globum oculi, quae, cum sit semper humefacta humore lacrimali, faciliorem reddit motum palpebrarum et lotionem oculi; hinc distinguitur in *connexivam palpebralem* et *connexivam ocularem:* — 7° *apparatus lacrimalis,* qui constat praecipue binis glandulis, *lacrimas* secernentibus, una pro utroque oculo; lacrimae, ob motus palpebrarum, colliguntur in duo *puncta lacrimalia,* ex quibus transeunt in binos *ductus lacrimales* prope nasum, et demum, ex his, per *ductus nasales,* in cavitatem respondentis fossae nasalis fluunt.

b) *Partes moventes oculos* sunt *sex musculi;* quorum quatuor (*musculi recti*) adhaerent orbitae ex uno latere, schleroticae ex altero; quintus et sextus sunt musculi *obliqui.* Ex his musculis pendent omnes motus oculorum (fig. 62).

140. **Modus fungendi seu physiologia** oculorum, valde implexus est. Essentialiter ad hoc reducitur: radii lucis, qui e variis corporibus luminosis proficiscuntur, permeant pupillam et chrystallinum corpus, quod proprietatem habet efficiendi, ut illi in unum coeant, donec, per humorem vitreum traducti, super retinam efformant imaginem corporum externorum, iis minorem, realem (id est vere existentem) et inversam, ut facile per varia experimenta probari

potest. Causa vero ob quam nos non videmus obiecta inversa, etsi eorum imagines in oculis inversae sint, sed recta, uti in se sunt, non plane constat (fig. 63).

141. Hinc facile patet, ut visio sit bona, necesse esse ut imagines decidant super retinam, quod requirit certam densitatem humorum oculi et certam convexitatem corporis chrystallini; ac proinde, si humor vitreus nimis densus sit vel corpus chrystallinum nimis convexum, imagines non cadunt super retinam, sed paulo *ante*, et oculus debet tunc magis proximus fieri obiectis, ut visio sit distincta; casus hic est *myopum*. Si vero dictus humor parum densus esset vel corpus chrystallinum parum convexum, imagines tales essent, ut formarentur *post* retinam, et oculus deberet tunc removeri ab obiectis ut visio esset distincta; casus hic est *presbyopiorum*.

142. Ut imago obiectorum igitur sit distincta, opus est ut decidat super maculam luteam; cum vero obiecta sint variis distantiis, requiritur ut oculus aliquid habeat ut imago semper eodem puncto fiat. Iam visio est distincta pro radiis, qui veniunt distantia maiore quam 65 metr. (*punctum remotum*), et non est amplius distincta pro distantia minore 15 centim. (*punctum proximum*). Visio distincta pro distantia, quae sit inter metr. 65 et centim. 15, eo fit, quia chrystallina lens potest mutare suam curvaturam ac ideo efficere ut imago decidat super maculam luteam; quod evenit per actionem musculi ciliaris, qui subiicitur actioni centri ganglionaris (*plexus ciliaris*), cuius origo est in nervo motore oculari communi et in sympatico; excitatio primi nervi auget curvaturam corporis chrystallini, excitatio vero alterius ducit minutionem curvaturae.

143. Etsi lux illico agat in retinam, tamen mutationes ibi inductae aliquo tempore persistunt (circit. $^1/_{40}$ minuti secundi), etsi obiectum non amplius adsit; hac ratione, si carbo igneus rapide in circulum feratur, habetur effectus circuli ignei. In hoc consistit *persistentia impressionum retinae*, in qua tot ludi nituntur.

CAPUT IX.

DE PHONATIONE.

144. Homo potest cum rebus externis habere relationes non solum per organa sensus, sed etiam per vocem seu per *verba.*

Organum vocis est **larynx,** de cuius structura breviter supra loquuti sumus. In larynge adsunt tres partes restrictae, quarum superior circumscribitur *plicis aryteno-epiglotticis* (fig. 64-65-66-67), altera cordis vocalibus, quae sunt simplices plicaturae mucosae et tertia *veris cordis vocalibus;* haec ultima pars tantum constituit veram *glottam* (γλῶττα = lingua) seu *verum orificium vocis* (fig. 63). In hac abest epithelium vibratile et invenitur epithelium pavimentosum, quod magis aptum est ad impediendum quominus labia glottae siccentur ob expulsionem aëris, quae fit quadam vi. Sub mucosa adest textum elasticum, ut in tota trachea, quod in glotta fit magis spissum et constituit *cordam vocalem;* sub texto elastico invenitur textum musculare cum fibris striatis.

Ex *musculis* laryngis, notandi sunt *m. thyro-arytenoides,* qui, in linea mediana interna adhaerentes, horizontaliter diriguntur ad arytenoides cartilagines et efficiunt stratum muscularem in spissitudine labiorum glottae.

Orificium glottae, ex alto inspectum, praebet fissuram triangularem, cuius apex antea est, basis vero retro (fig. 67).

145. His praemissis, ex experimentis institutis super animalia, in larynge ablata ab animalibus et per examen directum laryngis hominis, constat *glottam* esse vere *organum* sonus vocis; cum sonus producitur, glotta coarctatur. At non est aër qui vibrans gignit sonus, sed *margines glottae,* qui vibrant ob aërem, qui emittitur quadam vi. Tensio vero marginum glottae, necessaria ut sonus gignantur, pro-

ducitur musculo tyro-aritenoide, qui capax est magnae tensionis, et hac ratione hic musculus est, physiologice inspectus, vera corda vocalis.

Ut patet, ad habendum sonum, requiritur: — 1° ut aër expiretur cum sufficienti pressione ad producendas vibrationes glottae; — 2° ut apertura glottae sit minima; quod efficitur per musculum crico-arytenoidem; — 3° ut cordae vocales sint tensae, quod habetur per actionem musculi tyro-arytenoidis.

Sonus vero, ita producti, augentur vi ob vibrationem synchronam totius canalis aërei, qui est sub et super glottam, fossarum nasalium, sinuum frontalium, etmoidalium et maxillarium (scilicet cavitatum ossium: frontalis, etmoidis et maxillaris). Etiam bronchia, pulmones et cassa thoracis vibrant ad augendos sonus laryngis. Hac ratione notum est vocem immutari ob affectiones tracheae, bronchiorum et pulmonum.

Sonus, ita producti, fiunt *articulati* seu *verba,* quia concurrunt ad eos mutandos, pharynx, os et fossae nasales.

146. Elementa loquela sunt **vocales** et **consonantes.** *Vocales* sunt *sonus* orti in labiis glottae et corroborati vibratione pharyngis et oris; *consonantes* vero producuntur vibrationibus singularibus et sunt potius *rumores,* quam sonus; producuntur vibrationibus supra-laryngeis et augentur sonu laryngis; nequeunt proferri absque vocalibus. — Iuxta *locum* productionis, distinguuntur in *gutturales* (in isthmo faucum), *linguales* (in arcu palati et lingua), *labiales* (per labia). — Iuxta *modum* productionis, i. e. prout obstaculum tubi vocalis articulationis superatum est ab aëre expulso cum fricatione, explosione, tremitu etc., habentur: — *a*) gutturale *explosivae* (k, g), *linguales* (t, d), *labiales* (b, p); — *b*) gutturales *resonantes* (j), *linguales* (s, n, l), *labiales* (f, v, m); — *c*) *tremulae* (r) etc.

Adsociatio vocalium cum consonantibus efficiunt *syllabas;* sillabae vero efformant *verba.*

Cantus sunt sonus emissi cum magnis variationibus altitudinis.

Ventriloquium est ars ita immutandi vocem, ut videatur provenire e locis plus minus longinquis. Iuxta Colombet, artificium consistit in impediendo exitum aëris e naribus, in contrahendo omnia organa vocis et exspirando lente aërem in pulmonibus contentum; ita vox videtur velut suffucata et sonus e longinquo venire.

147. *Characteres physici* vocis, sicut omnium sonuum, sunt: *a*) *intensitas, b*) *altitudo* et *c*) *tymbrus.*

a) *Intensitas* pendet *amplitudine* vibrationum cordarum vocalium, ac proinde vi, qua afficiuntur in expulsione aëris exspirati. Hac ratione intensitas respondet evolutioni pulmonum et amplitudini thoracis.

b) *Altitudo* pendet *numero* vibrationum cordarum vocalium; sonus eo *acutior* est quo maior est numerus vibrationum, i. e. quo magis cordae sunt tensae, breves et contractae; sonus vero est *gravior*, quum contrariae conditiones locum habent. Vox humana potest a sonibus gravibus pervenire ad sonus acutos per *gammas;* at nequit descendere nec ascendere ultra certos sonus; intervallum inter duos extremos sonus constituit *extensionem vocis*, quae, ordinarie et in media, est duarum octavarum et tantum raro trium octavarum vel trium octavarum cum dimidio. Cum vero limites inter notam initialem et notam ultimam non sint iidem pro singulis hominibus, quum nonnulli incipiant cum nota valde infima, alii cum nota magis elevata, alii demum cum nota etiam superiore, voces humanae in plures classes dividuntur, quae sunt: *pro viro — voce di basso*, quae incipit cum *fa* et pervenit ad *re;* — *vox barytoni*, quae extenditur a *la* usque ad *fa* et — *vox tenoris* a *do* usque ad *la;* pro *muliere:* — *contralto*, quae extenditur a *mi* usque ad *do;* — *mezzo soprano*, a *sol* usque ad *mi;* — *soprano* a *si* usque ad *sol.* — Nota infima respondet 163 vibrationibus, vox elatior respondet 2112 vibrationibus. Discrimen inter classes vocum pendet longitudine cordarum vocalium, quae in muliere est $^4/_5$ longitudinis, quae habetur in viro adulto. Singuli homines duplicem habent seriem voluntariam sonuum, scilicet seriem *gravem*, quae est *vox pectoris* et seriem *acutam*, quae est *vox capitis;* quod significat in primo casu vibrationes *concomitantes* fortiores esse, in parietibus thoracis, in altero vero vibrationes fortiores esse quae habentur super glottam; at vox semper oritur ex vibrationibus glottae.

c) *Tymbrus* pendet *numero* et *intensitate sonuum harmonicorum.* Sonus, simplices apparenter, re constant *sonu fundamentali* et *pluribus* sonibus concomitantibus seu *harmonicis.* Hinc non tantum producuntur sonus fundamentalis in larynge et plures etiam harmonici, sed hi diverso modo *resonant* in cavitatibus supra-laryngeis, fossis nasalibus, ore etc.; quae differentiae gignunt *tymbrum* vocis. Hac re voces singulorum hominum semper bene distinguuntur, quia absque limite sunt huiusmodi variationes.

CAPUT X.

DE FUNCTIONIBUS RELATIONIS SEU DE MODO AGENDI NERVORUM IN CORPUS (*innervazione*).

148. **Notiones generales.** — Ex hucusque expositis, vidimus corpus consistere numero maximo cellularum, per quas officia valde differentia complentur; hinc sequitur omnes cellulas harmonice vivere cum ceteris et rite suo officio fungi, cum ex earum recta functione sequatur perfectus status tum physicus tum psychicus hominis. Oportet etiam ut omnes differentes functiones organorum ita coordinentur, ut eorum fini perfecte respondeant; ita ex. gr. opus est ut stomachus secernat succum gastricum tempore opportuno; ut diaphragma ita et ita contrahatur ut respiratio rite fiat; ut sanguis circulet per corpus uti necesse est; ut adsimilatio succedat qualis requiritur pro nutritione textorum; ut glandulae excrementiae ita se gerant ut sanguinem liberent a noxis substantiis etc.; omnia haec peraguntur per actionem systematis nervei; et functiones ipsae spirituales non exercentur nisi concursu eiusdem systematis, ut *conditio, sine qua non*, in hoc mortali hominum statu. Et re quidem vera, partes nerveae inveniuntur in omnibus corporis partibus, in quibus sunt parva filamenta alba, in intimitate textorum, quae, paullatim simul inter se coniungentes, efficiunt fasciculos (nervi), qui omnes finem habent vel in medulla spinali vel in encephalo vel in systemate τοῦ *sympatico;* in decursu plurium nervorum inveniuntur etiam nonnullae partes inflatae, quae sunt *ganglia* seu *centra nervea*. Medulla vero spinalis ingreditur forum occipitale et prosequitur cum encephalo, cuius structura anatomica valde implexa est. Tum medulla, tum encephalum constat parte nervea *grisea* et parte nervea *alba*. Nervi, qui proveniunt ex medulla spinali dicuntur *nervi spinales*

vel *rachidici*, nervi, quae ortum ducunt ex encephalo vocantur *nervi encephalici* vel *calvariae*. Post haec patet systema nerveum confici *fibris nerveis*, quae constituunt *partem albam* et *cellulis nerveis*, quae constituunt *partem griseam*. Fibrae nerveae non confunduntur in nervis, sed tantum simul sunt et procedunt coniunctae per laminam connectentem, quae est *neurilemma* (fig. 68).

Quum externa aliqua excitatio physica vel chemica agit in puncto aliquo corporis, filamentum nerveum, ibi existens, ducit hanc excitationem ad centrum nerveum, cum quo communicat; centrum vero, ob excitationem receptam, excitatur in sua activitate, et, per aliud filamentum nerveum, promovet vel suspendit functionem eiusdem puncti corporis nuper considerati. Hoc idem accidit in in omnibus corporis partibus, in quibus fit excitatio aliqua; hinc fibrae, quae ducunt excitationem externam ad centra, dicuntur *fibrae centripetae;* quae vero ducunt excitationem seu mutationes centri ad organa dicuntur *fibrae centrifugae*. Sensationes possunt esse *internae* seu *generales*, si proveniunt ex phaenomenis, quae accidunt in organismo, et *externae* seu *specificae*, si proveniunt ex organis sensuum.

Summa nervorum et centrorum nervosorum dicitur *systema nerveum*.

149. Hoc systema constat: 1° **medulla spinali,** 2° **encephalo,** qui simul cum medulla constituit *axim cephalo-rachidicum* et est pars *centralis* huius systematis, 3° **nervis**, qui a praefatis centris ortum ducunt et constituunt partem *periphericam* eiusdem systematis et 4° alia classe nervorum, qui inserviunt ad vitam vegetativam, i. e. « **sympatico** ». Axis cephalo-rachidicus protegitur, praeter columnam vertebralem et calvariam, tribus membranis, quae dicuntur *meninges* (μήνιγξ = membrana) (fig. 68).

1° De medulla spinali.

150. **Medulla spinalis** occupat canalem vertebralem usque ad secundam vertebram lumbarem, ubi finem habet acuminuta, et dein continuatur per ligamen, quod illam coniungit cum coccige (*ligamen coccigeum*). *Formam* habet in parte eius media fere cylindricam, cum diametro circit. unius centimetri. In quarta, quinta et sexta vertebra cervicali et in ultimis vertebris dorsalibus, tumefit, et ori-

ginem dat *plexui brachiali* (i. e. nervis pro brachiis) et *plexui crurali* et *sciatico* (i. e. nervis pro cruribus) (fig. 69).

Praebet duos *sulcos* medianos profundos, quorum alter *anterior*, alter *posterior; sulcus medianus anterior* latior est at minus profundus, quam *sulcus medianus posterior*, qui minus latus est et magis profundus. Utraque pars medullae habet alios duos sulcos longitudinales fere superficiales et sunt *sulcus lateralis anterior* et *sulcus lateralis posterior;* qui sulci respondent lineis insertionis radicum anteriorum et posteriorum nervorum spinalium. Hac ratione distinguuntur in utraque dimidia parte medullae tres *regiones*, scilicet pars (italice et anatomice *cordone*) *anterior*, *media* et *posterior*. Si medulla spinalis transverse incidatur, conspicitur confecta parte *grisea centrali*, quae formam habet litterae X, quae omnino circumdatur parte *alba* peripherica. Utraque dimidia pars substantiae griseae coniungitur *commissura* grisea transversa. Ob formam litterae X, pars grisea producitur antea et retro in quatuor productiones, quae dicuntur *cornua anteriora* et *cornua posteriora*. In centro medullae, in commissura grisea, adest parvum canalem, (*canalis centralis*), qui protrahitur in tota eius longitudine et repletur liquido speciali *cephalo-rachidico*. E cornibus medullae nascuntur nervi spinales (fig. 70).

151. Medulla spinalis separatur a pariete ossea canalis vertebralis per textum adipatum et per *meninges spinales*, quae constituunt triplex involucrum. Meninges sunt: interne *pia mater*, externe *dura mater*, inter has *arachnoides*.

Pia mater est involucrum fibrosum cum multis capillaribus sanguineis; adhaeret medullae in omnibus eius partibus.

Dura mater est membrana fibrosa, consistens; adhaeret strato adipato canalis vertebralis et per filamenta fibrosa coniungitur cum pia matre. In lateribus mittit parvas laminas fibrosas, quae sunt *ligamina dentelata* (fig. 69).

Arachnoides (ἀράχνη = tela araneae), intermedia praefatis membranis, est membrana serosa confecta sacco omnino clauso cum duabus foliis, quorum alterum est super altero plicatum; folium externum coniungitur cum dura matre, folium internum sequitur piam matrem, ita tamen ut inter hanc et arachnoidem sit parvum spatium, in quo continetur *liquidum cefalo-rachidicum;* in cavitate vero constituta utroque folio arachnoidis adest *liquidum arachnoideum*.

In parte inferiore medullae, meninges prosequuntur et se se coniungentes formant *ligamen coccygeum*, quod, post transitum per os sacrum, adhaeret coccygi.

152. Substantia *grisea* constat *cellulis* nerveis multipolaribus ; substantia alba vero constat *fibris* nerveis cum myelina *absque involucro Schwann;* super myelinam adsunt nuclei circumdati protoplasmate. Haec elementa nervea coniunguntur per textum connectentem (*nevroglia*).

2° De encephalo.

153. *Encephalus* (εν = in; κεφαλή = caput) comprehendit: *a*) **bulbum rachidicum,** *b*) **isthmum encephali,** *c*) **cerebellum,** *d*) **cerebrum** (fig. 71-75).

154. *a*) **De bulbo rachidico.** — Medulla spinalis penetrat in calvam per forum occipale, tumefit usque ad protuberantiam annularem et format *bulbum rachidicum*. Qui habet formam coni superius decussati, in quo prosequuntur sulci medullae spinalis, qui illum dividunt in regiones, quae dicuntur *pyramides*. In parte dorsali, partes (cordoni) posteriores medullae, cum perveniunt ad bulbum, videntur sese disiungere et conficere cavitatem, quae dicitur *quartus ventriculus*, communicantem cum canali centrali medullae spinalis. Bulbus constat, ut medulla, substantia grisea et substantia alba; at pars (cordoni) alba fibrosa in bulbo se gerit instar crucis hoc sensu, quod scilicet fibrae nerveae partis dextrae ad sinistram pergunt et vice versa.

155. *b*) **Isthmus encephali** comprehendit: *a'*) *protuberantiam annularem, b'*) *peduncula cerebralia, c'*) *tubercula quadrigemina*.

a') *Protuberantia annularis* seu *pons Varolii* [1] est velut lata vitta annularis transversa, complectens productionem bulbi rachidici. Partes laterales albae dicuntur *peduncula cerebellaria media*. Interne est grisea, externe alba.

b') *Peduncula cerebralia* sunt magnae partes (cordoni), quae diriguntur ad haemispheria cerebri.

c') *Tubercula quadrigemina* sunt quatuor parvae eminentiae, quarum duae anteriores maiores sunt quam duae posteriores; in sulco, qui eas dividit, adest *glandula pinealis* (fig. 71-72).

---

[1] Varolius, anatomicus italicus saec. XVI.

156. *c*) **De cerebello.** — *Cerebellum* (fig. 73-74) occupat partem posteriorem cavitatis calvariae; eius volumen magnum est relate ad isthmum et bulbum. Constat tribus partibus, quarum media dicitur *vermis* ob plures lineas transversas et duae laterales maiores, quae sunt *haemispheria cerebellaria;* superficies cerebelli praebet multos sulcos, qui illam dividunt in *circuitiones cerebellares.* Constat externe substantia *grisea,* interne substantia *alba,* ita disposita in parte grisea ut formam habeat parvae arboris, quae ob id dicitur *arbor vitae.* In centro partis albae adest nucleus griseus, quod est *corpus rhomboidale* seu *dentelatum.* E praefato nucleo ortum habent *pedunculа cerebellaria superiora,* quae coniungunt cerebellum cum cerebro, *pedunculа cerebellaria media,* quae communicationem statuunt utriusque lobi cerebelli inter se et *pedunculа cerebellaria inferiora,* quae coniungunt cerebellum cum bulbo rachidico. Inter cerebellum et faciem posteriorem pontis Varolii et bulbi adest quartus ventriculus, de quo iam diximus.

157. *d*) **Cerebrum** est pars nervea magis evoluta, quae occupat circit. $^{8}/_{10}$ totius cavitatis calvariae et extenditur a fronte usque ad partem posteriorem capitis. Eius superficies praebet multos sulcos vel *scissuras* irregulares, quae illud dividunt in plurimas *circuitiones,* item irregulares, generatim symmetricas, in utraque parte cerebri (fig. 75). In parte media cerebri notatur sulcus profundus, totam massam cerebralem dividens in duas partes, quae sunt *haemisphaeria cerebralia;* sulcus ipse dicitur *sulcus interhaemisphaericus;* adsunt praeterea etiam alii sulci maximi momenti, uti sulcus *Sylvii, Rolandi,* etc.; ex his sulcis oriuntur *lobi* cerebrales, qui sunt *lobus frontalis, parietalis, occipitalis* et *sfenoidalis* (fig. 74) ob eorum positiones.

Utrumque haemisphaerium nonnisi imperfecte dividitur a sulco interhemisphaerico; nam inferius utrumque coniungitur per quamdam laminam albam, quae dicitur *corpus callosum* (fig. 73).

Utrumque hemisphaerium dein constat duplici parte, quarum altera externa (*cortex*) e colore cinereo (*pars cinerea*), altera vero interna seu medullari e colore albo (*pars alba*); pars corticis constat praecipue *cellulis nerveis;* pars vero medullaris resultat *fibris nerveis.* In centro utriusque haemisphaerii adest *nucleus cerebralis,* a quo proficiscuntur fibrae albae circuitiones versus, et comprehendit *thalamos opticos,* qui sunt duae massae sub-rubrae et *corpora striata,* quae sunt duo corpora symmetrica relate ad scissuram inter-hae-

misphaericam. Variae partes cerebri statuunt nonnulla spatia libera, quae dicuntur *ventriculi*; horum, *ventriculus medius* vel *tertius ventriculus* est cavitas parva sita inter thalamos opticos, ante tubercula quadragemina, et communicat in parte eius anteriore cum ventriculis lateralibus per *forum* τοῦ *Monro* et in parte eius posteriore cum quarto ventriculo per *aqueductum Sylvii; ventriculi laterales* sunt duae maiores cavitates iacentes in haemisphaeriis cerebralibus.

158. **De meningibus encephalicis.** — *Meninges encephalicae* sunt continuatio meningum spinalium, quae involvunt encephalum, et eadem nomina retinent.

Pia mater, cum multis capillaribus sanguineis, tegit omnino superficiem externam encephali et penetrat in ventriculos.

Arachnoides est semper membrana serosa, ut in medulla, cuius folium viscerale extenditur supra circuitiones et basim cerebri, instar pontis.

Dura mater adhaeret directe ossibus calvariae absque texto adipato, quod erat in medulla, praesertim in suturis, in partibus eminentibus et foraminibus osseis. Ad impediendos effectus cuiuslibet mutationis situs encephali, ex ipsa ortum ducunt nonnullae productiones, quarum maximi momenti sunt: *falx cerebri,* quae est lamina fibrosa sita inter haemisphaeria, *tentorium cerebelli,* quod interponitur inter cerebellum et lobos posteriores cerebri et *falx cerebelli,* quae est parva lamina verticalis sita inter haemisphaeria cerebellaria, cuius extremitas inferior dividitur in duas partes, quae circumdant forum occipitale.

3. — De nervis.

159. **Nervi** sunt fasciculi albi, qui ex encephalo et medulla spinali oriuntur, et ad omnes corporis partes divergunt. Singuli nervi constant pluribus filis nerveis, quae a cellulis nerveis gignuntur; in primis fibrae ad instar fasciculi procedunt ab axe cerebro-spinali, dein paullatim fila separantur et ad singulas partes distribuuntur. — Eorum *origo apparens* est locus, ex quo exeunt uti radices ex axe cerebro-spinali; *origo* vero *realis* est locus ubi cellulae nerveae emittunt fila nervea; de hac origine pauca noscuntur (fig. 68).

160. Prout nervi ortum ducunt ex encephalo vel a medulla spinali

distinguuntur: *a*) nervi **encephali,** (qui dicuntur etiam **nervi calvae,** quia e calva exeunt) et *b*) **nervi spinales.**

161. *a*) **De nervis calvae seu encephalicis.** — Ex encephalo oriuntur duodecim paria nervorum, ita disposita ut duodecim nervi sint in parte dextra et duodecim in parte sinistra encephali. Haec paria nervorum sunt sequentia: (fig. 74).

1. *Nervi olfactus;* inveniuntur sub lobis frontalibus, et, transacto osse etmoide, in membranam pituitariam fossarum nasalium distribuuntur; inserviunt ad sensationes odoratus; ortum ducunt ex *lobo olfactivo.*

2. *Nervei optici;* bini hi nervi subtus cerebrum modo crucis se gerunt, formantes quod dicitur *chiasma opticum,* cuius causa nonnullae fibrae partis dextrae ad sinistram pergunt et vice versa; penetrant in globulum oculi, in quo efficiunt retinam et inserviunt ad visionem (fig. 41 et 74). Oriuntur ex tuberculis quadrigeminis et thalamis opticis.

3. *Nervi oculo-motores communes*; ramos mittunt praesertim ad oculorum musculos, exceptis recto externo et obliquo superiore, ad iridem et palpebram superiorem; inserviunt ad motum oculorum.

4. *Nervi trocleares* seu *pathetici;* movent musculum obliquum superiorem oculorum.

5. *Nervi trigemini;* ita appellantur, quia uterque dividitur in tres magnos ramos; oriuntur cum binis radicibus, quarum minor mittit fibras ad motus gignendos, maior vero constant fibris ad sensationes transvehendas. Tres rami sunt: — 1. *ophthalmicus Villis,* qui pergit ad frontem, in summitatem capitis et praebet filamenta *secretoria* glandulis lacrimalibus et filamenta *vaso-motoria* iridi, choroidi et retinae; — 2. *maxillaris superior* pro sensibilitate faciei, nasi, genarum et pro labio superiore; mittit fibras *secretorias* glandulis nasalibus et palatinis; — 3. *maxillaris inferior* pro sensibilitate pellis genarum et labii inferioris, mucosae oris, linguae et dentium; ex ipso proficiscuntur rami *motores* pro musculis commanducatus. — Nervus trigeminus est nervus sensibilitatis totius faciei; per ipsum patimur nevralgias faciei et dolores dentium.

6. *Nervi abducentes* seu *oculo-motores externi;* inserviunt ad motum musculi recti externi oculorum.

7. *Nervi faciales;* feruntur ad musculos faciei; sunt nervi *motus* faciei; per ipsos potest immutari totus aspectus faciei ob varios motus animi.

8. *Nervi acustici;* feruntur ad aurem internam et mittunt ramos ad vestibulum, ad canales semicirculares et ad helicem; inserviunt ad physiologiam auris.

9. *Nervi glosso-pharingei;* inserviunt: pro *sensibilitate generali* mucosae basis linguae et cassae tympanicae, pro *sensibilitate gustativa* basis linguae, et pro *motu* musculi constrictoris pharyngis, etc.

10. *Nervi pneumogastrici;* sunt nervi *mixti,* scilicet pro sensibilitate et motu; dat: *a*) *sensibilitatem* toti mucosae canalis aërei ab epiglottide usque ad ultimos ramos bronchiorum, cordi, pharyngi, esophago et stomacho; *b*) *motum* musculis laryngis, pharyngis, esophago et stomacho. Nonnulli eius rami pergunt etiam ad hepar. In cavitate abdominis et thoracis nonnulli rami huius nervi connectuntur cum pluribus aliis nervis encephalicis et spinalibus et cum nonnullis του « *simpatico* » (fig. 76).

11. *Nervi accessorii* seu *recurrentes* vel *spinales;* feruntur ad pharyngem, ad laryngem et ad musculos respirationis. Sunt mere *motores* et *nervi vocales* modo praecipuo.

12. *Nervi hypoglossi;* feruntur ad musculos extrinsecos laryngis et ad musculos linguae, quorum ducit motus; praesidet etiam articulationi sonuum.

162. *b*) **De nervis spinalibus.** — Ex medulla spinali et praecise ex eius cornibus anterioribus et posterioribus oriuntur unum et triginta paria nervorum, scilicet unum et triginta nervi ex eius parte dextra et unum et triginta ex parte eius sinistra. Singuli nervi vero oriuntur cum duplici radice, quarum una gignitur ex cornu anteriore, altera ex cornu posteriore; ambae radices, paullo post earum exitum e medulla, simul coniunguntur, formando unum tantum nervum. Omnes nervi spinales, per apposita foramina vertebrarum columnae, procedunt ad varias corporis partes (fig. 68).

Notandum, certo constare ex innumeris experimentis in animalibus et in homine ipso, radices anteriores inservire tantum ad motus producendos ac proinde *radices motrices* seu *centrifugae* dicuntur, et radices posteriores inservire tantum ad sensationes seu excitationes transvehendas ad medullam vel ad encephalum ac proinde *radices sensitivae* seu *centripetae* appellantur.

Nervi spinales distinguuntur, iuxta loca columnae vertebralis, in quibus apparent, in plures *regiones,* quae sunt: — 1° *r. cervicalis,* quae habet octo paria nervorum; — 2° *r. dorsalis* seu *thoracis,* cum

duodecim p. nervor.; — 3° *r. lumbaris,* cum quinque p. nervor.; — 4° *r. sacralis*, cum quinque p. nervor. — et 5° *r. caudalis,* cum uno, et rarius cum duobus p. nervor. — Plures nervi spinales, post exitum e columna vertebrali, inter se connectuntur, fere instar retis, efformantes *plexus nervosos,* quorum praecipui sunt *plexus brachialis* (praesertim pro brachiis), *pl. cervicalis, plexus lumbaris,* et *pl. sacralis,* praesertim pro organis internis trunci et pro cruribus (fig. 77). Nervi spinales sunt nervi mixti.

Nervi spinales non semper exeunt e foraminibus coniugationum sitis ante eorum originem apparentem, sed aliquando descendunt prope medullam; id evenit praecipue pro nervis, qui exeunt ex inflatione crurali, qui, antequam egrediantur foramine praefato, utrinque medullae descendunt in canali vertebrali et efficiunt, circa ligamen coccigeum, fasciculum filamentorum nervosorum, qui indicatur sub nomine *cauda equina* (fig. 78).

4. — De systemate nerveo « simpatico ».

163. Hoc systema constat *gangliis* et *fibris nerveis*, quae fibrae sunt partim motrices, partim vero sensitivae; ex his fibris nonnullae inserviunt ad communicationem inducendam cum cellulis nerveis, nonnullae ad varia organa feruntur, nonnullae vero coniunguntur cum pluribus nervis encephalicis et spinalibus, nonnullae demum vario modo inter se connectuntur, *plexus* varios efficientes.

Hoc systema constituit velut binas catenas laterales, quae decurrunt ex utroque latere colli et columnae vertebralis in cavitate thoracis et abdominis a prima vertebra cervicali usque ad ultimam vertebram sacralem; et dividitur in plures regiones, quibus inest certus numerus gangliorum nervosorum. Regiones vero sunt sequentes pro utraque parte corporis: — 1° *regio cervicalis* cum tribus gangliis nerveis; — 2° *regio thoracica* cum duodecim gangliis nerveis; — 3° *regio lumbaris* cum quinque gangliis nerv.; — 4° *regio sacralis* cum quatuor gangliis nerv. Ultimum ganglion mittit filamentum, quod modo arcus coniungitur cum respondente filamento lateris oppositi; in loco coniunctionis saepe notatur *parvum ganglion coccigeum*, ex quo ortum ducunt alia filamenta nervea (fig. 79).

Plexus vero potiores sunt: *ex portione cervicali, — plexu spha-*

ryngeus et *laryngeus* et *pl. cardiacus;* ex *portione thoracica,* — *plexus solaris,* ex quo oriuntur *plexus diaphragmatici inferiores, pl. hepaticus, splenicus, mesentericus superior, renalis* et *coeliacus,* ex quo ortum ducit *plexus coronarius* stomachi et cum portione lumbari sympatici efficit *plexum lumbo-aorticum;* ex *portione lumbari,* — partim *plexus mesentericus inferior* et *pl. haemorrhoidalis superior, plexus hypogastricus dexter* et *sinister;* ex *portione sacrali,* — *plexus hypogastricus,* qui est maximi momenti, ut infra dicemus.

CAPUT XI.

DE PHYSIOLOGIA NERVEI SYSTEMATIS.

164. Paucis notionibus praemissis de anatomia et structura nervei systematis, oportet nunc procedere ad cognoscendum officium dicti systematis, seu qualis sit huius systematis physiologia; et hic tractatus eo magis interest, quia omnes corporis humani functiones, quas hucusque exposuimus, scilicet vitae vegetativae et motus et omnes aliae, quae ad servandam speciem referuntur, nec non facultates spirituales ipsae concursu huius systematis exercentur adeo ut, si aliquo modo pars quaedam nervea destruatur, functiones, quae ab hac pendent vel ea mediante, omnino cessent. Expositionem dividimus iuxta singulas nervei systematis partes principales.

165. Attamen in primis praemittendae nobis sunt nonnullae *notiones generales*, quae maximi momenti sunt ad rite intelligendam physiologiam huius systematis.

Omnes *physicae* manifestationes nerveae reducuntur ad *sensibilitatem* et *motum;* ad utrumque fibrae nerveae inserviunt, scilicet *sensitivae* et *motrices*, ut iam innuimus.

Omnes fibrae nerveae cum cellulis nerveis communicant.

166. Motus quicumque in corpore fiunt, possunt produci *voluntate* vel *causa aliqua*, quae nostram conscientiam effugit; primos motus *voluntarios* dicimus, alteros *involuntarios* vel melius physiologice *reflexos* appellamus.

Ut motus *reflexus* sit possibilis, necesse est, ut adsint nonnullae conditiones, quae sunt: 1° *causa excitans externa;* 2° *fibra nervea sensitiva,* quae hanc excitationem transmittat; 3° centrum seu cel-

lula nervea dictam excitationem recipiens: 4° *fibra nervea motrix*, quae effectum excitationis seu motum externe efferat (fig. 80 (1, 2)),

Ita ex. gr. motus cordis sunt *reflexi*; nam sanguis (causa *externa*) excitat fibras *sensitivas* cordis, quae excitationem transmittunt ad *centrum* motuum cordis; quod quidem huic excitationi respodet, adducendo *contractionem* (effectum excitationis) musculorum cordis per fibras *motrices*.

Omnes motus reflexi producuntur, nullo modo voluntate concurrente.

Hinc liquet: 1° nervos motores ex una parte cum aliquo centro nervoso, ex altera cum aliquo musculo communicare; qua re, excitato centro, musculus contrahitur; 2° nervos sensorios ex uno latere cum parte aliqua externa, ex altero cum aliquo centro communicare; qua re, excitatio terminalis huius nervi ad centrum transmittitur.

Conditiones requisitae, ut habeatur motus reflexus, scilicet fibra sensitiva, centrum nerveum et fibra motrix, constituunt *arcum reflexum*.

Motus reflexus potest afficere partem valde limitatam corporis (ex. gr. tactus connexivae oculorum producit *tantummodo* casum palpebrae) vel partem plus minus diffusam corporis, sicut fit in convulsionibus, in quibus contractionem patiuntur *etiam omnes* corporis musculi; hic postremus casus fit hac de causa: excitatio quaedam externa, ad proprium centrum nerveum transmissa, ab hoc centro ad plura alia centra transcurrit, quae omnia centra per proprias fibras motrices, contractionem afferrunt ad plures musculos (fig. 80 (3)).

Omnes hi nervi tunc dicuntur *nervi intercentrales*.

Ex physiologia nervorum constat, tempore perfectae valetudinis, motus reflexos locum habere regulari modo; at, si arcus reflexus morbose afficitur, sive ob excessivam sensibilitatem, sive ob nimiam debilitatem, effectus pathologici tunc oriuntur; in primo enim casu frequentes et vehementes erunt motus reflexi; in altero vero debiles evadent aut omnino deficient. Haec notio maximi momenti est pro pathologia nervorum.

167. Attamen notandum, motus reflexos posse *impediri* vel *suspendi* per aliquas causas, quarum actio fortior sit quam causa motum ipsum producens; hae causae *mechanisma inhibentia* dicuntur et sunt:

a) *Voluntas*, quae agere potest in dictis motibus, sive arcus reflexus locum habeat per cerebrum, sive per medullam spinalem;

ita ex. gr. si tangatur globus oculi, potest voluntas impedire casum palpebrae; si titillatio fiat in planta pedum vel in axillis, voluntas valet omnem motum impedire. Attamen advertendum hanc actionem voluntatis certos limites habere, quibus habitis, nihil amplius potest in motibus reflexis, uti videri facile potest augendo vim excitationis in praefatis casibus. Praeterea nonnulli arcus reflexi adsunt, qui impediri nullo modo per voluntatem possunt et multo minus voluntarie produci. Ita ex. gr. est de motibus cordis, de erectione genitalium, de iaculatione seminis, de partu, de motu iridis oculi, etc.; qui motus penitus actionem voluntatis effugiunt.

b) *Vehemens excitatio alicuius nervi sensitivi*, quae potest impedire motus reflexos; idem obtinetur irritando quosdam nervos sensitivos motus reflexos producentes; ita ex. gr. vehementes dolores intestinorum, renum, uteri, hepatis, vesiculae urinariae motum crurum impediunt; irritando fortiter externe nasum, sternutatio impeditur.

c) *Nonnulla venena*, quae item valent motus reflexos impedire vel minuere; talia sunt chlorophormium, chinina, bromurus kallii, digitalis, etc.

168. **De proprietatibus nervorum.** — Nervis inest *irritabilitas* seu possunt fieri activi ob actionem causae alicuius excitantis; eorum *excitabilitas* est vis excitationis necessariae ut fiant activi seu irritabiles.

Causae excitantes nervorum aliae sunt *physiologicae*, quae sunt centra nervea, quae agunt via reflexa vel actione voluntatis; aliae sunt *mechanicae, chemicae, electricae* et *thermicae*.

Nervi non sunt *sedes* sensationum nec motuum, sed tantum *ducunt* excitationem e peripheria ad centra nervea aut a centris nerveis ad peripheriam. Haec *conductio* tribus legibus subiicitur, quae sunt: 1° *lex integritatis organi*, scilicet opus est ut nervus sit intactus et continuus; 2° *lex conducibilitatis* liberae, scilicet excitatio transmissa a nervo non diffunditur in nervis proximis; 3° *lex conducibilitatis in utroque sensu*, scilicet excitatio puncti alicuius in decursu nervi transmittitur in duas directiones, h. e. centripetam et centrifugam; quod significat nervos motores et sensoriales esse eiusdem naturae et differentiam in effectibus eorum excitationum pendere a differentia organorum (centra vel musculi), in quibus finem habent.

Etsi nervi sint tantum conductores excitationum, tamen necesse est ut aliqua immutatio in eis locum habeat et propagetur tempore ex-

citationis; haec immutatio, cuius naturam omnino ignoramus, constituit *vibrationem nerveam, influxum nerveum* vel *currentem nerveam,* cum comparata fuerit undae vel currenti. Quoad *velocitatem* huius vibrationis, experientia tribuit metr. 30-35 in singulis minutis secundis pro nervis motus et metr. 50-60 pro nervis sensus.

Tempore quietis et tempore functionis, nervi percurruntur currente *electrica.*

169. *Constitutio chemica* nervorum est fere eadem ac centrorum nervosorum; et mutationes chemicae, quae fiunt tempore functionis, fere omnino ignorantur.

170. *Nutritio* elementi nervosi est valde activa in cellulis nerveis, et fit ob maiorem usum albuminoidum; et re quidem vera, cum augetur activitas cerebralis, augetur etiam quantitas ureae, ob eorum combustionem, emissae cum urina. Cerebrum ob eius desassimilationem producit etiam cholesterinam, quam hepar eliminat cum bile.

171. Spectato vero *officio,* quod habent in corpore, seu ratione habita *physiologica,* fibrae nervosae nervorum distinguuntur in plures species, prout sunt sensitivae vel motrices.

Fibrae sensitivae possunt esse: *a*) *fibrae sensus,* cum, ipsis excitatis, sensatio aliqua producitur; tales sunt fibrae sensus generalis corporis, sensus tactus, caloris, visus, auditus, odoratus et gustus; *b*) *fibrae reflexionis,* cum earum excitatio gignit motus reflexos ob irritationem cellularum nervosarum (centra); *c*) *fibrae suspensionis* vel *impedimenti* alicuius motus, ut fit in mechanismis inhibentibus.

Fibrae vero motrices possunt esse: *a*) *fibrae motus,* cum motum, seu contractionem musculorum producunt in musculis, in quibus finem habent; *b*) *fibrae secretoriae,* cum earum excitatio producit secretionem alicuius glandulae; ex. gr, acor limonis secretionem salivae adducit; *c*) *fibrae constringentes vel ampliantes* vasa sanguinea, cum earum excitatio affert restrictionem vel ampliationem vasorum sanguinis; ex. gr. pallor per pavorem, vultus ruber ob pudorem; *d*) *fibrae trophicae,* quae praesident nutritioni cellularum, moderando processum earum nutritionis; amputato enim nervo, notatur atrophia partis nerveae externae amputatae musculi et glandularum, in quibus nervus amputatus finem habebat.

Demum notatu dignum est, adesse nonnullos nervos, qui tantum fibris sensitivis constant, alios, qui tantum fibris motricibus, alios vero, qui ex utrisque fibris conficiuntur.

172. **De centris nerveis.** — Dicuntur *centra nervea* loca quaedam

nervei systematis centralis, quae, cum sint excitata, producunt aliquem effectum, scilicet motus vel sensationis vel secretionis; qui effectus, contra, omnino deficiunt, si illa centra auferantur aut quoquo modo impediantur quominus agant. In scholis physiologicis huiusmodi experimenta instituuntur excitando, pluribus modis, physicis et chemicis, varia loca nervei systematis centralis in animalibus et diligenter effectus observando; scientia vero horum effectuum perficitur per notiones, quae acquiruntur per medicos, chirurgos et physiologos in variis morbis hominum et in studio anatomico cadaveris, quum morbi lethales particularia symptomata prae se ferunt. Physiologia nervei systematis, fere exclusive nostris temporibus, mirifice progressa est. Centra nervea exsistunt tantum in toto systemate nerveo centrali.

173. **De centris nerveis medullae spinalis.** — In medulla spinali inveniuntur centra nervea pro organis trunci et extremitatum. Ita *in regione cervicali* et *thoracica superiore* adsunt centra pro motibus respirationis, pro organis pectoris et pro brachiis; item notantur centra τοῦ « simpatico », quae sunt in collo, et fibrarum, quae accelerant motum cordis, et secretionis glandularum salivae; *in regione thoracica* sunt centra pro motibus costarum, organorum ventris, et vasorum, qui in his sunt; *in regione lumbari* inveniuntur centra pro motu crurum, alvi eorumque vasorum, pro deiectionibus alvi, pro expulsione urinae, pro conceptione, partu, erectione genitalium et seminis iaculatione. Praterea in medulla adsunt sparsa *centra coordinationis motuum*, quae scilicet praesident motibus locomotionis (ambulatio, saltus, natatio etc.).

Adverte omnia haec centra posse excitari *via reflexa*.

Insuper quoad haec centra, principaliter haec notanda:

Centrum defaecationis potest tamen aliquantulum subiici voluntati, hoc sensu scilicet, quod voluntas potest impedire faecum emissionem, donec excitatio, ob ipsarum praesentiam magis aucta, adeo vehemens evadat, ut vis centri omnino actionem voluntatis superet et relaxationem sphincteris analis producat ob actionem sensitivam reflexam ex excrementis ortam. Quod quidem obtinet etiam cum motus intestinales valde vehementes sint.

Idem dicendum pro emissione urinae.

Centrum erectionis genitalium potest excitari etiam voluntarie per cerebrum, cum scilicet quis ideas vel obiecta turpia sibi in mente repraesentat; hoc fit, quia excitatio sensitiva turpium, ob dictas causas, decurrit a cellulis nerveis cerebri ad medullam spinalem, in qua irritat

centrum erectionis, ex cuius irritatione pendet turgor genitalium. Potest etiam excitari idem centrum per contrectationes mechanicas voluntarie vel involuntarie; quod fit hac ratione: sensus mechanicus localis transmittitur per fibras sensitivas genitalium ad centrum, quo irritato, per reactionem reflexam, motus genitalium oritur. Sed de hoc et sequenti diffusius inferius.

Centrum iaculationis potest tantum reflexe excitari.

174. Quoad **conductionem sensibilitatis** medullae notandum est: 1° partes (cordoni) posteriores medullae transvehere ad cerebrum impressiones tactus et frigoris, quia, excisa transverse tota medulla spinali, exceptis partibus (cordoni) posterioribus, in animalibus amittitur sensibilitas contactus et frigoris; 2° fibras sensitivas existere etiam in latere posteriore partium (cordoni) lateralium, quia oritur vehemens dolor excitando hanc regionem; at 3° *substantiam griseam medullae esse viam praecipuam, per quam transmittuntur impressiones sensitivae,* cum sectio partis (cordoni) tollat tantum partialiter sensibilitatem; insuper haec conductio sensibilitatis fit indifferenter in substantia grisea, cum, exsecta transverse magna parte medullae, sensibilitas persistat; hinc dicendum sensibilitatem transmitti per substantiam griseam, per partes (cordoni) posteriores et partim per partes (cordoni) laterales (Lefert).

175. Quoad vero spectat **conductionem mobilitatis** medullae, dicendum, ex experientiis, *motus voluntarios transmitti per partes* (cordoni) *antero-laterales,* quia excisa transverse medulla, exceptis partibus (cordoni) anterioribus et portione anteriore partium (cordoni) lateralium, partes, quae sunt post sectionem, servant motus voluntarios.

176. **De functionibus bulbi rachidici.** — *Bulbus* est medulla protracta usque ad protuberantiam; ipse est *conductor* et *centrum*; *conductio* fit per substantiam albam; *centra* sunt in substantia grisea. In ipso inveniuntur *viae conductionis motricis voluntariae* et *viae conductionis sensitivae conscientis,* quae relationem habent cum cortice cerebri. — Pars grisea bulbi sequentia habet centra: *centrum respirationis* seu *nodum vitalem,* cuius destructio fert cessationem motuum respirationis, *centrum cardiacum,* cuius laesio adducit suspensionem motus cordis, *centrum vaso-motor, centra secretoria, centra deglutitionis* et *phonationis* et *centrum thermicum.*

177. **De functionibus protuberantiae annularis.** — Si animali tolluntur omnes partes sitae supra protuberantiam et fiunt plures rumo-

res, singulis rumoribus illico patitur succussionem; si pungitur eius pes, gemit, agitatur et clamores edit; si vero destruitur protuberantia, nullum horum symptomatum locum habet; quod significat protuberantiam esse *centrum sensibilitatis auditivae excito-reflexae* et, generatim, *expressionum emotivarum excito-reflexarum inconscientium*.

178. **De functionibus pedunculorum cerebralium.** — Laesio pedunculi cerebralis affert motus irregulares partis oppositae laesionis, amissionem plus minus perfectam sensibilitatis generalis lateris oppositi sectioni, destruit motus voluntarios eiusdem lateris oppositi; adducit etiam casum palpebrae et strabismum oculi lateris laesi. Hinc deducitur impressiones sensitivas cerebrales transmitti per peduncula.

179. **De functionibus tuberculorum quadrageminorum.** — Sunt *centra visionis;* abscissis enim ipsis, sequitur coecitas absoluta. Sunt etiam *centra motus pupillae* et *globi oculi;* nam eorum destructio gignit dilatationem et immobilitatem pupillae; eorum excitatio vero ducit motus oculi. Inserviunt etiam ad *ordinandos motus locomotionis,* cum eorum sectio afferat motus rotatorios.

180. **De functione cerebelli.** — Circa officium huius centri nervosi, quamplurima experimenta peracta fuere, ex quibus constat graves laesiones cerebelli secum ferre graves perturbationes in ordine et harmonia motuum; quod etiam evincitur ex morbis humanis huius organi. Haec facta omnibus physiologis perfecte nota sunt et probantur; at eorum interpretatio non una est apud ipsos. Nonnulli enim (Flourens) putant perturbationes, quae sequuntur graves cerebelli offensas, pendere ex absentia ordinis in motibus voluntariis; nonnulli (Schiff) opinantur cerebellum munus habere augendi vim contractionis musculorum columnae vertebralis; nonnulli (Ferier) retinent cerebellum esse centrum aequilibrii generalis corporis; doctor Luciani, qui quamplurima experimenta ad hoc instituit, docet cerebello inhaerere facultatem servandi, per aliquot temporis, contractionem musculorum (*tonus muscularis*); doctor vero Stefani, ex relationibus anatomicis existentibus inter cerebellum et canales semicirculares auditus interni, putat cerebellum officium habere servandi capiti debitum aequilibrium, quod fit per excitationes, quas ex dictis canalibus recipit; haec doctrina innititur etiam pluribus factis pathologicis. At nobis magis arridet doctrina doctoris Albertoni, qui omnes praefatas expositas doctrinas simul coniungit. Hic enim doctor tradit cerebellum esse organum sensus et motus, quod vi excitationum omnium, scilicet quae proveniunt ex animo, musculis, labyrintho

aurium, quinque sensibus, etc., utitur ad servandum aequilibrium totius corporis, inducens ad actionem omnes corporis musculos et praesertim capitis et columnae vertebralis. Haec doctrina, quam hic nobis sufficit innuere, complectitur omnia facta per experimenta et in morbis habita et innititur insuper omnibus illis argumentis, quae afferri solent ad probandas ceteras sententias. — At est etiam centrum coordinationis motuum voluntariorum. Eius excitatio non gignit sensibilitatem; nullam partem habet in actibus intelligentiae.

181. **De functionibus cerebri.** — De physiologia huius organi nervei in homine maximi momenti satis pauca noscuntur; in homine enim nequeunt directe institui experimenta, et necesse est expectare examen immutationum cerebri in cadaveribus, cum rari sint casus, in quibus, ob vulnera vel alias causas, pars aliqua cerebri in homine detecta appareat, ita ut experientiae peragi queant. Certo autem constat partem griseam corticalem circuitionum cerebralium esse *centra perceptionum, motuum voluntariorum et operationum spiritualium*. Utrum vero particularia loca in cerebro adsint ad particulares facultates psychicas exercendas, an tota massa cerebralis *simul* ad dictas facultates implendas inserviat, ignoratur. Tamen, ex pathologia, videtur admittenda sententia, quae docet facultates psychicas exerceri per particularia loca hemisphaeriorum; hoc tamen sensu quod, offenso uno hemisphaerio, alterum eius functiones suppleat, et utroque male affecto, pars reliqua cerebri functionem vicariam gerat (Landois).

Nostris hisce temporibus, instituta experimenta in animalibus, scientia acquisita in nonnullis morbis centrorum nervosorum et comparatio peracta laesionum, quae inventae fuerunt in cerebro post mortem, demonstrarunt adesse in cerebro nonnulla *centra* seu *areas*, quae, cum sint excitata, inducunt motum seu contractionem musculorum faciei et variorum artuum corporis; haec centra habentur ut loca, per quae voluntas agit, ad dictos motus producendos et dicuntur *centra psycho-motoria:* destructis enim his centris, vel morbose affectis, apparent plures paralyses, quibus vel motus impossibilis fit, vel motus ipse plus minus impeditur. Praeterea adsunt etiam alia centra, quae, cum sint excitata, nullum motum producunt et habentur ut *centra psycho-sensitiva*. Ceterum varii casus morbosi, qui haec statuerunt, non semper ita inter se cohaerent, ut determinari possint semper exacte singula centra motus vel sensus. Centrum, rite compertum, est *centrum motus loquelae*, quod dirigit motus voluntarios

linguae, mandibulae et oris, et invenitur in tertia circumvolutione frontali sinistra; morbose enim hoc centro affecto vel aliqua causa destructo, difficultas loquendi oritur vel etiam impossibilitas pronuntiandi verba (aphasia).

Certum tamen est, uti diximus, cerebrum et praecise eius partem cineream externam esse organum, per cuius centra anima suas operationes psychicas exercet; pars enim cerebri, plus minus lata, morbose laborans, immutat vel impedit facultates spirituales, quae per eam exercebantur. Actus voluntatis, per centra partis cinereae, transmittuntur ad fibras partis albae, et, ab his, ad varias partes corporis, quae tunc voluntarie moventur; item sensationes, ab externo receptae, per fibras sensitivas, directe vel indirecte, transmittuntur ad centra partis cinereae, ac dein a nobis percipiuntur. Ratio vero, qua fit ut actus voluntatis valeant excitare centra cerebralia et agant ut excitationes, et externae excitationes seu sensationes, cum ad centra pervenerint, perceptiones fiant vel inducant, omnino ignoratur. Quae vero sit convenientia animae cum cortice cerebri, seu eius parte cinerea, item perfecte ignoratur.

Tamen certo constat cerebrum esse instar instrumenti, necessarii in hac mortali vita, ut anima suas facultates explere possit. Ac ideo ea ratione, qua omnes corporis partes per laborem paullatim defatigantur et egent quiete et conveniente cibo ad reficiendas vires, ita cerebrum, per studium et mentis applicationem, subiacet vehementiori circulationi sanguinis et augmento caloris, consumit maiorem quantitatem oxygeni et producit maiorem quantitatem ureae, quae albuminoidum corporis immutatio est; hinc oriuntur calor capitis et faciei, lassitudo, capitis dolor et cetera symptomata, quae omnes advertimus et ob quae impossibilis evadit continuatio laboris. Omnia haec significant cerebrum consumi et lassari, sicut cetera alia organa, quae nimio labori subiiciantur. Etsi hae relationes physiologicae rite noscantur, *cogitatio,* seu actus psychicus, non producitur a materia cerebrali, ut materialistae autumant, sed est actus perfecte a materia distinctus; omnes enim actus psychici penitus subtrahuntur omnibus legibus, quibus materia eiusque activitates reguntur et naturam habent penitus aliam ac activitates materiae; actus enim psychici sunt omnino immateriales et effugiunt omnes conditiones et experimenta, quibus materia subiici potest.

182. **De functionibus systematis nervei " simpatico „.** — Paucae notiones nobis sunt, in praesenti, de physiologia huius systematis. Diu

existimatum fuit nullam relationem ipsum habere cum systemate encephalico et spinali; at recentiora experimenta plene demonstrarunt, etsi hoc systema habeat nonnulla centra non dependentia a systemate centrali, eius activitates potiores a systemate centrali omnino pendere ac dirigi.

Ex functionibus igitur huius systematis, nonnullae sunt *automaticae,* nonnullae vero *dependentes* a systemate centrali; primae habentur in cellulis nerveis cordis, in plexu mesenterico et in plexibus, qui ramos nervosos mittunt ad organa genitalia externa et interna in utroque sexu; hae functiones habentur ut automaticae, quia perseverant etiamsi impediatur quaecumque communicatio cum systemate centrali. Alterae vero pendent a parte centrali hoc sensu, quia nonnullae fibrae τοῦ *simpatico* tunc tantum ad actionem moventur, cum communicant cum systemate centrali, et quia nonnullae fibrae systematis nervei centralis excitationes transmittunt ad cellulas nerveas τοῦ *simpatico*, quae dein propriam actionem motus vel inhibitionis ad relativa organa transmittunt (Albertoni et Stefani).

Praeterea hoc systema habet fibras *centripetas* et *centrifugas;* primae sunt *sensitivae,* alterae sunt *motrices* (musculi leves viscerum et vasorum) vel *secretoriae* (glandulae). Praecipuae functiones huius systematis referuntur ad innervationem cordis et vasorum, ac ideo ad ordinandum calorem animalem et ad *secretiones* et demum ad ampliationem pupillae (Lefert) [1].

---

[1] Pro re physiologica, quam hucusque valde summatim exposuimus, cfr. Landois, *Tratt. di fisiolog. dell' uomo;* trad. sull' 8ª ediz. tedesca del dr. Ard. Bocci; Albertoni-Stefani. *Man. di fisiol. um.;* Luciani L., *Fisiol. dell'uomo* (nondum tota edita); Beaunis, *Nouveaux élém. de physiol. hum.*, Paris; Schenck et Gürber, *Guida allo studio della fisiologia dell'uomo,* Roma; Lefert P., *Aide-memoire de physiologie.* 5ª edit. Parisiis 1905; eiusdem A., *Aide-memoire d'histologie.* Parisiis 1898; Math. Duval, *Traité élément. de physiol.*, Parisiis; M. Duval et Constantin, *Anatomie et physiologie animales*, Parisiis 1894, 2ª edit.; Vigouroux H., *Traité complet de médecine pratique*, Paris, tom. I.

CAPUT XII.

DE FUNCTIONIBUS SPECIEI

183. Omnipotens Deus voluit ut species humana, sicut perfectiores omnes species animales, per duos sexus propagaretur, idest per marem et feminam, qua re instituit matrimonium, quod in Veteri Lege tantum contractus erat, in Nova vero contractus simul et Sacramentum esse voluit; adeo ut, in praesenti oeconomia, matrimonium christianum utrumque necessario esse debet, cum non possit contractus a Sacramento separari. Attamen omnino procul a veritate abiret, qui existimaret feminam a viro ob sexum solummodo discrepare, in reliquis omnibus eamdem penitus esse ac virum. At aliter res est. Quum enim mulier, in se spectata et quoad vitam, quam ducere debet relate ad procreationem, gestationem, partum, lactationem prolis, sensibilitatem, affectus, mentis capacitatem etc., officium habeat sibi exclusivum, et vita viri omnino diverso modo se explicet, sequitur omnes partes corporis mulieris omnino similes non esse respondentibus partibus viri.

184. Maximum quidem discrimen inter corpus viri et feminae in organis generationis invenitur, quia relate ad procreationem prolis non idem officium habet uterque, ac proinde necessario haec organa diversa esse debent, ex qua diversitate ortum ducit sexus diversus. Quum vero quaestiones omnes de consummatione matrimonii, de affinitate, impotentia et plures aliae huius generis, et omnia carnalia crimina, ad haec organa semper referantur, necessarium est nonnulla de hisce summatim exponere tum quia hoc requirit physiologia, quae circa functiones omnes hominis versatur, tum quia haec materia valde utilis, immo necessaria, est confessariis in variis et aliquando implexis

casibus, qui eis occurrunt et curiis ecclesiasticis in pertractandis quaestionibus causarum matrimonialium. Hinc agemus: 1. **De organis generationis viri,** 2. **De organis generationis mulieris.**

1. — De natura et officio organorum generationis in viro.

185. Haec organa sunt: *a*) **testes** seu **testiculi,** *b*) **canales deferentes,** *c*) **vesiculae seminariae,** *d*) **ductus iaculantes,** *e*) **uretra** seu **canalis uretralis,** *f*) **membrum** (**penis, virga, mentula, veretrum**), quibus acccedunt *g*) **prostata** et *h*) **glandulae a Cowper** dictae. — De singulis nonnulla (fig. 83-85).

186. *a*) **Testes** seu **testiculi** sunt bina corpora, forma fere ovali, verae glandúlae, quae continentur involucro seu bursa, quae anatomice *scrotum* appellatur. Scrotum duplici involucro constat, altero externo, quod continuatio est pellis circumstantis, altero vero, huic subiecto, fibris muscularibus praedito, quibus contractio scroti debetur, cui nomen *dartos*. Nervi scroti proveniunt partim ex plexu sacrali, partim ex plexu lumbari (fig. 77), Duplex dartos habetur, dextrum et sinistrum; ambo in parte media interna scroti coniunguntur et ita dividunt capacitatem scroti in duo spatia seu cavitates, ut utraque cavitas unum testem contineat.

Dum infans adhuc in utero matris vivit, testes remanent in abdomine, absque scroto, prope columnam vertebralem, in regione lumborum, sub renibus. Prope finem tertii mensis vitae intrauterinae, testiculi descendere incipiunt canalem inguinalem versus, donec, cum infans nascitur, in scroto iam inveniuntur. Aliquando tamen descensio testium serius evenit, aut unus tantum descendit in scrotum, altero permanente in ventro vel in canali inguinali tota vita, aut, si neuter descendit, uterque manet rudimentalis in partibus vicinis (*ectopia testiculorum*).

Uterque testiculus involucro circumdatur, cui nomen *tunica albuginea*, cum pondere circiter viginti ad viginti duo gram. In parte vero superiore testiculi haec tunica praebet quamdam eminentiam, cui nomen *corpus Hygmori* (fig. 82); ab hoc corpore dicta tunica mittit nonnullas laminas in testes, quae hos dividunt in plures lobulos, et dein singulae laminae coniunguntur cum reliqua albuginea externa. Singuli lobuli inter se communicant in corpore Hygmori, et constant magno numero canaliculorum seu tubulorum tenuissi-

morum, qui pluries super se ipsos revolvuntur, quorum latitudo seu lumen est $^1/_{10}$ – $^2/_{10}$ millim. et longitudo circit. 80 millim.; dicuntur *tubi seminiferi*. In his canaliculis circuit sanguis arteriosus et venosus et adsunt vasa lymphatica et nervi; in his, per divisionem cellularum eorum parietum, originem habent corpuscula, quibus nomen *nemaspermata* (*spermatogenesis*), necessaria ad generationem, quae nemaspermata sunt ideo verae cellulae. Canaliculi deinde paullatim inter se confluunt, minuuntur numero maioresque lumine fiunt, donec in corpore Hygmori quamdam retim efficiunt (*rete vasculosum testis*); et postea, cum e testiculis exeunt, efformant decem usque ad quindecim canaliculos (*canales* seu *conos efferentes*), qui iterum coniunguntur et *epididymum* constituunt (fig. 82).

187. *Sperma*, seu semen virile, est substantia liquida, colore albido, aliquantulum densa et odore alliaceo particulari. Constat 900 $^0/_{00}$ aqua et parte speciali organica, cui nomen *spermina*, cui debetur odor eius particularis. Quum vero semen observatur per microscopium, resolvitur in plurima corpuscula, se moventia in liquido, ut parva animalia, quae sunt *spermatozoa* seu *nemaspermata* [1] et a veteribus anatomicis, sicuti vera animalia, ob eorum motum, habebantur et variis nominibus appellabantur, ut *animalia spermatica, zoospermata* etc. Tamen, praeter motum, nihil habent commune cum animalibus et sunt verae cellulae. Singula nemaspermata constant parte maiore, cui nomen *caput*, et filamento quodam subtili, longo, quod producit motum, et dicitur *cauda*. Longitudo totalis singulorum nemaspermatum est 45-50 μ (fig. 81).

Motus nemaspermatum est relative satis rapidus (circit. millim. 3 singulis minutis) et perdurat per multas horas in canaliculis testium post mortem et in vagina mulieris etiam per plures dies (v. inf.), quam percurrunt spatio trium horarum, iuxta Sims [2].

In liquido spermatico etiam nonnulla alia corpuscula adsunt, ex. gr. *cellulae spermaticae*, quae proveniunt ex tubulis seminiferis, et *cellulae epitheliares*, quae, cum semen varios canales permeat ut emittatur, a mucosa horum canalium auferuntur. Nemaspermata sunt elementa *essentialia* ad fecundationem; quapropter, si in liquido seminali absunt vel sunt immobilia, fecundatio nullo modo fieri

---

[1] Nemaspermata primus invenit Aloisius Hamm anno 1677.

[2] L. Testut, *Trattato di anatom. umana*, vol. III, P. II, Torino 1896, pag. 125.

potest. Liquidum, in quo nemaspermata natant, provenit partim a vesiculis seminariis, partim a diversis glandulis, quae sunt prostatica, Cowper et ex aliis, quae occurrunt in viis, per quas oportet ut semen transeat.

188. Testiculi tantum tempore *pubertatis* incipiunt conficere semen, quod velut novam vitam in adolescentulis infundit, primos sensus amoris sexualis excitando. Pubertas pro masculis, ex iure canonico, incipit decimo quarto aet. anno; physiologice, computatur a tempore, quo testes conficiunt sperma, et transcurrit a decimo tertio ad decimum sextum aet. annum [1]; externe pubertas cognoscitur ex maiore volumine organorum generationis (testium et membri), ex pilis, qui incipiunt obtegere pubim, ex praesentia barbae et ex mutatione vocis. Notandum tamen plures causas posse accelerare vel retardare tempus pubertatis et data fuisse exempla adolescentium, qui nono [2] et decimo aetatis anno feminas fecundarunt [3]. Elaboratio seminis, semel incepta, tota vita perseverat, etiam in tardiore senectute, ut ex historia et quotidiana praxi docemur. Castratio, seu ablatio utriusque testiculi, inhabilitatem ad generationem perpetuo adducit, minime vero inhabilitatem ad copulam, neque secum fert absentiam venerei sensus; unius tantum testiculi praesentia ad generationem sufficit.

In emissione spermatis, quamplurima nemaspermata emittuntur, quorum unum tantummodo ad fecundationem sufficit [4].

189. *b*) **Canales deferentes** (fig. 84-85). Sunt bini canales, qui ortum ducunt a parte inferiori epididymi, ubi non amplius epididymus adhaeret testiculo; uterque testiculus habet proprium canalem deferentem. Canales deferentes sunt subtiles, lumen angustum habentes, cum longitudine triginta quinque ad quadraginta quinque centim. et diametro tantum duorum ad duo millim. cum dimidio; magis augentur prope vesiculas. Constant tribus membranis, quae sunt externe membrana cellularis, in medio muscularis, interne mucosa seu epitheliari; in hac adsunt plures glandulae, quarum liquidae secretiones inserviunt ad diluendum semen; nervi canalium

---

[1] Landois, *Tratt. di fisiol. dell'uomo*, vol. 2, p. 1031; Albertoni e Stefani, *Op. cit.*, p. 711.

[2] Brouardel, *Le Mariage*, Paris 1900, pag. 127.

[3] Abbas, *In lib. decret.*, Venetiis 1588, pag. 252, nn. 13, 14.

[4] Balfour M. F,. *Traité d'Embryologie et Organogénie comparée*, Paris 1883; vol. I, pag. 77; P. Gillis, *Précis d'Embryologie*, Paris 1897, pag. 34; Cuzzi, *Trattato di Ostetricia e Ginecologia*, Milano, Fr. Vallardi, P. I, pag. 153, (v. etiam inf.).

deferentium proveniunt ex plexu hypogastrico. Hi canales [1] ascendunt primum a testiculis abdomen versus, penetrant in canalem inguinalem, deinde in abdomen, ubi magnam curvationem praebent e lateribus vesiculae urinariae et dein in canalem excretorium *vesicularum* spermatis finem habent.

190. *c*) **Vesiculae seminariae** binae sunt: iacent inter intestinum rectum et vesiculam urinariam et debent considerari velut loca ad colligendum semen, dum paullatim conficitur, donec emittatur. Constant quadam specie sacci, cuius media longitudo est quinque ad sex centim., et latitudo sexdecim millim.; earum tamen volumen sat variabile est; post castrationem paullatim atrophia afficiuntur; parvae sunt in pueris, qui nondum pubertatem sunt assecuti; item in senibus volumine minuuntur, etsi testes adhuc semen conficiant. Vesicularum superficies apparet pluribus sulcis consparsa. Earum nervi ortum ducunt a plexu hypogastrico. Cum ergo in hisce semen adservetur, patet virum posse quocumque tempore illud emittere et feminam fecundare (fig. 83-85).

Insuper canales deferentes praetergrediuntur vesiculas seminarias, et efformant binos canales angustos, qui sunt *canales iaculatorii*.

191. *d*) **Canales** sive **ductus iaculatorii** confluunt in *uretram* seu *canalem uretralem e*), per quem emittitur sperma et urina. Eorum nervi proveniunt ex plexu hypogastrico.

His summarie praemissis, facile intelligitur sperma in testiculis confici, per epididymum, vasa (*coni*) efferentia et deferentia in vesiculas seminarias colligi, et, ex his, per ductus iaculatorios et uretram, emitti.

192. *f*) **Membrum** est organum virile copulae, situm in parte anteriori et inferiori pubis. Constituitur duobus partibus inter se coniunctis, quae dicuntur *corpora cavernosa*, sub quibus adest *uretra*, quae communicat cum vesiculis seminariis et cum vesicula urinaria (fig. 85). Potest erigi ob affluxum sanguinis.

Extremitas anterior membri turget aliquantulum, *glandem* efficiens, in cuius basi species quaedam sulci (corona) adest; in summitate vero glandis, uretra aperitur.

Externe glans tegitur quodam involucro seu calyptra, quae con-

---

[1] Anatomice dicitur *funiculus spermaticus* pedunculus, cui suspenditur testiculus, et conficitur praecipue canale deferente, arteriis, venis, vasis lymphaticis et nervis testiculi.

tinuatio pellis membri est, minime glandi adhaerens, cui nomen *praeputium*, parte anteriori perforatum. Tota facies glandis praebet multas papillas nervosas, quae illam efficiunt valde aptam ad sensationes sexuales recipiendas, quaeque referuntur ad sensationes tactiles; quod quidem maxime interest ad producendam emissionem seminis in copula. Prope basim glandis, sub praeputio, adsunt plurimae glandulae sebatae [1], quae adipem secernunt, qui, simul cum cellulis, quae ab epithelio glandis continuo decidunt, producit corpus molle, album, quod in sulco (corona) glandis colligitur, sat foetidum, cui nomen *smegma praeputii*, quod, nisi saepe per lotiones aut aliter amoveatur, fermentationem quamdam patitur, qua sat acre ac irritans fit, et saepissime causa est mansturbationis. Nervi, qui ad membrum feruntur, proveniunt partim ex plexu lumbari, partim ex plexu sacrali (fig. 77).

193. *g*) **Prostata** glandula est, sita ante rectum intestinum, sub vesicula urinaria et vesiculis seminariis; ductus iaculatorii et uretra transeunt per eam; eius nervi proveniunt ex plexu hypogastrico (fig. 84-85).

194. *h*) **Glandulae Cowper** binae aliae glandulae sunt, quae confluunt in uretram (fig. 84-85).

Glandulae prostatica et Cowper et canalis uretrae conficiunt mucum diaphanum, aliquantulum densum, qui inservit ad reddendam lubricam uretram et efficit ut semen, tempore iaculationis, facilius fluat, et impedit, hoc modo, quominus sperma faciei uretrae adhaereat; insuper diluit paullisper semen ipsum. Notandum tempore iaculationis vesiculam urinariam ita clausam esse, ut urina expelli nequeat et cum semine misceri, quia, si aliter fieret, semen ab urina privaretur vi fecundationis, cum in ipsa urina nemaspermata moriantur. In erectione, aliquando, fluit ex uretra liquidum mucosum, orientem ex prostata, ex glandulis Cowper et canali uretrali, qui constituit eam, quam theologi vocant, *distillationem;* quod quidem, ut patet, nihil habet commune cum semine.

---

[1] Recentes observationes statuunt unam vel plures harum glandularum (a Tyson dictarum) posse permanere in adulto et smegma praeputii nonnisi epithelium esse, quod sub forma squamarum continuo decidit probabiliter e mucosa praeputii. (Cfr. Taylor, *Patolog. e cura della funzione sessuale nell' uomo e nella donna.* Torino 1902, pag. 5).

2. — De natura et officio organorum generationis in muliere.

195. Organa generationis in muliere sunt:

a) **Ovaria** seu **testes muliebres,** *b*) **tubae falloppianae,** *c*) **uterus** seu **matrix,** *d*) **vagina,** *e*) **vulva** et *f*) **mammae.** Hae postremae tantum nutritioni infantis inserviunt, ut supra vidimus et iterum inferius de iis loquemur, agentes de lactatione infantis. De ceteris organis nonnulla summatim (fig. 86-88).

196. *a*) **Ovaria** [1] sunt binae glandulae, quarum altera invenitur ad dextram, altera ad sinistram partem uteri, ante rectum intestinum, quarum officium est conficere *ovum*, ex quo, post fecundationem, modo prorsus admirabili, novus producitur homo. Eorum situs in cavitate abdominis varius est pro aetate mulieris et pro plenitudine vel vacuitate uteri. Sistunt proprio loco per nonnulla ligamina, quae dicuntur *ligamina ovarii*. Etiam eorum volumen variabile est. Notandum has glandulas ductu excretorio carere, qui in ceteris glandulis ordinarie non deest (fig. 86, 88 et 89).

Ablatio utriusque ovarii castrationem mulieris constituit, cuius effectus sunt: 1° suppressio menstrui fluxus, 2° atrophia uteri et 3° impotentia absoluta ad generandum, minime vero ad copulam [2], neque ad desideria venerea et ad sexuales excitationes [3].

Interne ovaria irrigantur arteriis et venis et habent multa vasa lymphatica et nervos, qui proveniunt ex *plexu ovariorum*.

Intus ovaria constant essentialiter epithelio particulari, texto cellulari et vesiculis, quae sunt variae magnitudinis, et dicuntur *vesiculae* Graaf [4] (quia hic doctor primus diligenter studuit), quarum

---

[1] Notio existentiae ovariorum inservientium ad generationem antiqua est; Hippocrates enim de his loquitur, cum tuetur ex ovario dextro ortum ducere mares, ex sinistro feminas; idem tenent Anaxagoras (500 an. a. Ch.) et Galenus (131–203 (?) post Ch.); diffuse de ovariis loquitur Zacchia scientifice pro tempore suo, in Op. *Quaest. medico-legales*, lib. VII, tit. 3, q. 1, n. 16 et ss.

[2] Martin dr. Aug., *Traité clynique des maladies des femmes*, trad. par Varnier et Weiss Fr., Paris 1889, pag. 629; Beclard, *Traité élémentaire de physiologie hum.*, 4ª edit., Paris 1862, pag. 1061.

[3] Garnier P., *Les anomalies sexuelles*, pag. 156. — *La stérilité humaine et l'hermaphroditisme*, Paris, pag. 197.

[4] Regnerus de Graaf primus invenit vesiculas, quas habuit pro ovis (Cfr. eius *Opera omnia*, Lugduni Batavorum 1678, et *De mulierum organis generationi inservientibus; tractatus novus*). Etiam Marcellus Malpighi loquitur de ovis mulieris (Cfr. eius opus: *De formatione pulli in ovo*. Opera omnia, Lugduni Batavorum 1637, tom. 2).

singulae continent unum *ovulum* (rarius duo ovula, (Van Beneden)), quod est *elementum essentiale* procreationis in muliere, ut iam innuimus. Ex hoc patet ovulum in muliere omnino respondere nemaspermati in viro, et ovaria testiculis; hac ratione ovaria dicuntur etiam *testes muliebres*. Vesiculae Graaf valde variant numero et magnitudine; ovulum vero multo minus est, forma spherica et diametro 200 μ (fig. 90-91).

Singulae *vesiculae* Graaf constant involucro quodam externo (*capsula, tunica, theca*), quod continet liquidum aliquantulum flavum, diaphanum, in quo adsunt multae granulationes; faciei internae singularum vesicularum adhaeret stratum cellularum, cui nomen *membrana granulosa*, quam sequuntur multae aliae cellulae, quae dicuntur *cumulus proliger*, circumdante *ovulum*. Ovulum [1] est vera cellula, quae constat membrana subtili externa, cui nomen *membrana vitellina*, quae continet *protoplasma* viscosum cum multis parvis granulis, colori flavi, quod dicitur (in casu ovi) *vitellus; vitellus* vero intus includit nucleum, quod appellatur *vesicula germinativa;* haec aliud parvulum corpus intus habet, quod est nucleolus, cui nomen *macula germinativa* (fig. 91). Vesicula germinativa seu nucleus est pars una ovuli, quae, post nonnullas mutationes, miscebitur cum nemaspermate. Nervi ovariorum proveniunt ex plexu ovarico, qui procedit ex plexu renali.

197. *b*) **Tubae falloppianae** seu **oviductus** sunt bini ductus liberi in cavitate abdominis, inter ovaria et eorum ligamina, quorum officium est, statuto tempore, recipere ovulum ex ovariis et in matricem seu cavitatem uteri perducere; hi ductus sunt partim recti, partim flexuosi, longitudinis circiter decem ad duodecim cm.; ex uno latere communicant cum utero, per ostium, cui nomen *ostium uterinum*, ex altero sunt liberi et finem habent ampliati instar tubae, cum margine valde fimbriato. Tubae non adhaerent ovariis, nisi tempore, cum vesiculae Graaf, iam perfecte evolutae, erumpuntur; tunc ovula exeunt ex ovariis et ingrediuntur tubas. Tubae triplici involucro constant, uno externo seroso, uno medio musculari

---

[1] Ovulum primo inventum fuit in muliere a C. v. Baer anno 1827 (cfr. eius opus « *De ovo animalium et hominis genesi* », Lipsiae 1827. Ceterum constat etiam saec. XVIII medicos novisse existentiam ovuli, nisi ovulum habuerint pro vesicula. Pichler enim, celeber canonista (1750), loquens de humana generatione, ait: « Recentiores et moderni medici admittunt *ovula* in feminis, et hinc generationem explicant aliter et non improbabiliter. (Cfr. *Summa iurisprudentiae*, tit. XIII, n. 2).

et uno interno epitheliari vibratili. Nervi tubarum proveniunt ex plexu qui circumdat arterias uteri et ovariorum (fig. 86 et 88).

198. *c*) **Uterus** seu **matrix** est locus physiologicus evolutionis ovuli fecundati; iacet (fig. 87) inter vesiculam urinariam et rectum intestinum; eius volumen variat pro aetate; minimum est ante pubertatem; in praegnatione valde augetur et postea numquam redit ad volumen pubertatis, cum paullo maior semper persistat. Formam retinet fructus pyri, aliquantulum superius depressi. Constat duabus partibus, una superiori, forma fere triangulari, cui nomen *corpus uteri*, una vero inferiori, quae proëminet in vaginam et dicitur *collum uteri;* pars dein inferior colli *musus tincae* appellatur, in cuius parte media parvum os adest ad statuendam communicationem uteri cum vagina. Facies interna uteri multas venas et arterias praebet cum vasis lymphaticis et nervis; tempore praegnationis sanguis in hisce arteriis augetur ad nutriendum fetum. Hinc patet in parte superiori et laterali uterum communicare cum tubis, in parte vero inferiori cum vagina. Uterus triplici tunica constituitur: una externa, serosa, quae a peritoneo pendet, una media musculari, valde evoluta et crassa, cum fibris muscularibus in triplici strato dispositis, quibus inest officium, ob proprias contractiones, expellendi fetum, et interne epitheliari seu mucosa, confecta cellulis *ciliis vibrantibus* praeditis; praeterea in mucosa adsunt etiam plures glandulae. Nervi potiores uteri sunt plexus uterinus, qui provenit ex plexu hypogastrico et plexus utero-ovaricus, qui ortum ducit ex plexu lumbari (fig. 77).

199. *d*) **Vagina** est organum copulae mulieris, et officium habet recipere membrum virile in coitu, expellere fetum, secretiones uterinas et menstrua; formam habet fere cylindricam et parietes adeo elasticae et contiguae sunt ut semper clausa sit. Constat tribus involucris, idest uno externo connectenti, uno intermedio musculari et uno interno mucoso. Iacet inter vesiculam urinariam et rectum intestinum. Interne praebet plicas et glandulas secernentes mucum, qui inservit ad lubricandas eius parietes. Eius nervi proveniunt ex plexu hypogastrico (fig. 86, 87, 102).

In virginibus, inferius, vagina habet membranam, plus minus resistentem et perforatam, quae dicitur *hymen;* aliquando vero hymen est imperforatus [1]. Cum virgo primum patitur coitum, ordinarie

[1] In hoc casu, cum nequeant fluere menstrua, possunt plura incommoda oriri ob retentionem sanguinis menstrui. At hic defectus facile per chirurgum aufertur.

membrum virile lacerat hymenem, cum dolore et plerumque cum parva effusione sanguinis (aliquando cum vera haemorrhagia), et virgo tunc dicitur virginitatem amisisse; fragmenta dein hymenis partim gangraena afficiuntur et decidunt, partim vero permanent, cicatricibus obducta et constituunt *carunculas myrtiformes*, quae sunt ordinaria signa pro consummatione matrimonii. Aliquando membrana haec adeo tenuis evadit, ut facile per coitum aut corpora mechanica rumpatur; alias adeo mollis et elastica est ut permittat introductionem penis, quin laceretur [1]; adde insuper mulieres nonnullas, tempore partus, et plures puellas, post repetitas copulas, praebuisse adhuc hymenem intactum, ut in nota iam diximus.

Ceterum notatu dignum est multas causas, praeter copulam et corpora mechanica, posse lacerationem hymenis inducere, quin mulier id advertat, uti sunt saltus, equitare more virorum, casus, repentina divaricatio crurum, conatus primi menstrui, sanguis coagulatus, ulcera, fluores albi, prolapsus uteri et vaginae et plures aliae [2]. Ex his facile deduces hymenis lacerationem non posse *semper* et *tuto* testari mulierem non esse virginem, eo modo quo hymen mollis et elasticus non valet *certo* testari copulam locum non habuisse et proinde mulierem esse virginem [3].

Ex formis variis, quas hymen praebere potest, speciali nota dignus est hymen plus minus *dentatus* vel *fimbriatus* [4], cuius dentes vel fimbriae aliquando carunculas myrtiformes simulare possunt. Quod quidem maxime prae oculis ab advocatis in causis matrimonialibus habendum est, ne mulier deflorata iudicetur, cum e contra indicia haec hymenis a natura proveniant.

---

[1] Hic casus valde frequenter observatur. Doctor enim Budin, in tribus mensibus observationum, ex septuaginta quinque primiparis, tredecim invenit cum hymene intacto. Quod quidem prae oculis habendum est a doctoribus legalibus, cum de alicuius mulieris virginitate iudicium ferre teneantur, praesertim circa consummationem matrimonii (cfr. Testut, *Op. cit.*, vol. III, P. II, pag. 281).

[2] Orfila, *Lezioni di medic. leg.*, trad. G. Prato, Livorno 1835, vol. I, pag. 53.

[3] Cfr. Guerard, *Sur la valeur et l'existence de la membrane hymen comme signe de virginité*, in *Annales d'hygiene*, 1872, ser. 2ª, tom. 38, et Garimond, *De l'hymen et de son importance en medicine legale* in *Annales d'hygiène*, 1874, ser. 2ª, tom. 42, pag. 380. — Omnia haec, prae oculis esse debent advocatis ecclesiasticis et medicis in curiis, cum aguntur causae de consummatione matrimonii, quia, his neglectis, possunt consummata declarari matrimonia, quae nullo modo consummata fuere et versa vice: quae vero damna sequi possint ex his decisionibus, neminem latet.

[4] Cuzzi A., *Op. cit.*, vol. I, pag. 11.

Absentia perfecta hymenis a nativitate aliquando observata fuit [1].

200. *c*) **Vulva.** — Nomine *vulvae* comprehenduntur omnes partes externae genitalium mulieris, quae praecipue sunt: (fig. 86, 87).

a) *Magna labia*, idest binae plicae pellis externae, quarum nervi partim proveniunt ex nervo *pudendo* interno, partim ex plexu lumbari.

b) *Parva labia* vel *nymphae*, idest binae aliae parvae plicae sitae inter magna labia, quae abundant glandulis sebatis, secernentibus quemdam adipem eiusdem naturae ac smegma praeputii in viro, qui, nisi frequenter per lotiones auferatur, affert in genitalibus irritationes, quae saepe causa sunt mansturbationis. Eorum nervi proveniunt ex nervo pudendo interno.

c) *Clitoris*, quae potest considerari velut penis minimus sine uretra. Eius officium est augere voluptatem copulae et nervos habet procedentes e nervo pudendo interno.

d) *Meatus urinarius* est os, per quod emittitur urina; per uretram communicat cum vesicula urinaria.

Ex glandulis muciparis, quae inveniuntur in facie externa genitalium, magni momenti sunt glandulae *Bartolinii*, sitae in partibus lateralibus vaginae, volumine plerumque ciceris aut fructus amygdali, quae liquidum emittunt densum, viscosum, forti ac speciali odore [2] praeditum, excitans in viro veneris aestum. Aliquando,

---

[1] Testut, L., *Op. cit.*, vol. III, part. 2ª, pag. 290.

[2] Oportet nonnulla hic addere de quibusdam *odoribus* in utroque sexu, de quibus tam mares quam feminae saepe gaudent ob speciales sensationes sexuales, quas secum ferunt. Praemittendum est ex omnibus corporis partibus particulares odores in aërem effluere ob pellis transpirationem; quod fit tum in statu sanitatis seu physiologico, tum in statu morbi seu pathologico. Quod hic interest et frequentius in praxi accidit, est *odor sexualis*, de cuius complacentia aliquando poenitentes agunt. In *viro*, iam diximus, semen ipsum particulari odore pollere; ad quod accedit *smegma*, quod sub praeputio colligitur, ex odore piscis vel astaci cocti; quod, si non frequenter amovetur per lotiones simplicis aquae aut aliter fermentationem patitur cum odore forti, acri ac foetenti; dein *sudor* ipse inguinum (et in viro etiam scroti) specialem aromaticum odorem habet in utroque sexu. In *femina* vero mucus vulvo-vaginalis, qui praesertim ex glandulis Bartolinii secernitur, maxime tempore menstruationis, forte ac characteristicum odorem prae se fert, cui nomen *odor femineus*, quam maxime ad copulam excitans. Vis huius odoris potest aliquando vehementer augeri ob nonnullas morales affectiones mulieris (pavor, timor, etc.) et ob copulam et mansturbationem et in nonnullis morbis generalibus et modo speciali in diabete. *Smegma* ipsum, quod inter labia colligitur, particularem odorem emittit, valde diversum ab eo, qui est in viro, similem odori adipis fermentati seu rancidi. *Sanguis menstruus* idem habet parvum, sed particularem odorem, qui aliquando in feminis circ. 45 ann. potest valde nausea-

cum aestus venereus est valde vehemens, hae glandulae emittunt liquidum eo fere modo, quo vir patitur iaculationem seminis, cui tamen, ut patet, nihil est commune; ipsi spectat tantum reddere lubricam vaginam, ut facilior evadat copula et augeatur voluptas tactus.

---

bundus evadere cum fluxu e vagina; quod tamen significat initium cancri uterini. Particulares odores item notantur in variis vitae mulieris statibus, sicut paullo post fecundationem, tempore partus, etc. — Quum poenitentes sese accusant de complacentia accepta ex his odoribus, utrum graviter vel leviter peccaverint in singulis casibus iudicandum est; insuper nullo modo oportet confessarium noscere de quibus specialibus odoribus poenitens sese complacuerit.

CAPUT XIII.

DE OVULATIONE ET MENSTRUIS

201. In physiologia **ovulatio** dicitur eiectio ovulorum e vesiculis Graaf, in quibus ortum habuerunt. Haec ovulatio omnino *naturalis* et *spontanea* est et absque sensu venereo, etsi hic sensus eiectionem accelerare possit. Vesiculae Graaf non conficiuntur tantum tempore pubertatis, sed inveniuntur iam in ovariis statim ac ovaria adsunt in fetu, vitam intrauterinam degente; quare dicendum, vesiculas produci una cum ovariis. Usque ad pubertatem vesiculae imperfecte evolutae sunt; tempore vero pubertatis earum volumen augetur et perfectam evolutionem assequuntur; idem evenit de ovulo, quod in eis continetur. Quare paullatim una vesicula accedit superficiem versus ovarii, in quo producit quamdam prominentiam; interea maior quantitas sanguinis fluit per vasa vesiculae, augetur liquidum internum, donec vesicula, hoc modo tumefacta, laceratur et ovulum eiicitur simul cum cumulo proligero; postea cicatrix vesiculae coit; interim, usque dum cicatrix perfecte coiverit, in loco, ab ipsa occupato, invenitur parvum corpus luteum, granulare, quod appellatur *corpus luteum* (fig. 89).

Dum haec fiunt, cilia fimbriarum tubae respondentis quemdam motum inducunt in liquido seroso, qui ordinarie adest in peritoneo; qui motus ovum transfert, donec in tubam recipitur, ex qua, sive ob proprietatem vibratilem ciliorum tubae ipsius, sive etiam probabiliter ob contractionem musculorum eiusdem tubae, in uterum perducitur [1].

---

[1] Cuzzi, *Op. cit.*, P. I, pag. 149 et seq.

202. Omnia haec in muliere copiam sanguinis in vasa uteri adducunt; cuius causa eius superficies tumefit. Ovulum, per tubas in uterum perducendum, si semen virile ei occurrat, fecundatur; alias, depravatum, expellitur una cum sanguine, qui fluit partim propter lacerationem vasorum uteri, partim per quamdam exsudationem [1]. Haec emissio sanguinis ex ore vaginae constituit *menses, regulas, menstrua* vel *molimina menstrualia*. Hoc tempore etiam epithelium seu mucosa uteri et eius colli (quae tamen multo minore quantitate) partialiter decidit; hinc fit ut primo fluat liquidum densum ac albidum. In nonnullis morbis, haec resolutio mucosae permanens est et ex ea originem ducit morbus constituens *fluores albos*. Aliquando vero membrana uterina tota renovatur; sic explicatur quare in menstruis aliquando emittantur vel falsa membrana, perfecte retinens formam uteri (*dismenorrhaea membranosa exfolians*), vel laminae huius membranae, ut pluries observatum fuit in virginibus innuptis et in mulieribus coniugatis, quibus menstrua erant regularia et debitum coniugale interruptum [2].

Sanguis menstruus e vagina non fluit cito; ordinarie primum mucus, postea mucus cum sanguine, demum sanguis; paullatim deinde emissio minuitur, donec paucos post dies omnino deficit.

203. Menstrua igitur respondent et congruunt lacerationi unius ovuli, cuius sunt effectus [3]. Quapropter absentia, quacumque de causa,

---

[1] Cuzzi, *Op. cit.*, P. I, pag. 123.

[2] Kuss et Duval, *Cours de physiologie*, pag. 622.

[3] Antiquiores plures, qui Hyppocratis sententiam tuebantur de aliquo semine necessario ad generationem ex parte mulieris suppeditando, putabant hoc semen esse sanguinem menstruum, quia pluries debuerunt notare fecundationem factam fuisse *etiam* circa hoc tempus et ipsis innotuerat tempore praegnationis menstrua deficere. Ob defectum physiologiae generationis tunc temporis, hic error per plura saecula in scriptis canonistarum et theologorum invenitur, uti videri potest in meo opusc. *De Conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrimonium*. Relationes inter dehiscentiam vesicularum Graaf, hyperemiam uteri et menstrua primo scientifice demonstratae fuere a doctoribus Coste (cfr. P. A. Pouchet, *Theorie positive de l'ovulation spontanée*, Paris 1847) et Raciborski (*Traité de la menstruation et de ses rapports avec l'ovulation, la fécondation, l'hygiène de la puberté et de l'âge critique* etc. Paris 1868) et postea pluries confirmatae in autopsia mulierum tempore menstrui defunctarum et ex comparata anatomia et physiologia animalium; qua re hae relationes sunt omnino certae. Plures alii antiqui, philosophi praesertim, qui admittebant concursum alicuius elementi omnino necessarii ex parte mulieris ad generationem, putabant hoc esse mucum vulvo-vaginalem, quem *ordinarie* mulieres emittunt in actu copulae, quodque appellabant muliebre *semen*, opinantes semen mulieris *debere* esse simile semini virili; et hoc etiam per plura saecula, usque ad recentissimos nonnullos auctores de re morali et canonica relate ad matrimonium disserentes, in libris invenitur

ovariorum (et idcirco vesicularum Graaf) absentiam fluxus menstrui adducit, ut supra diximus. Utrum vero ovulatio praecedat menstrua vel sequatur, adhuc plane non constat. Tamen, cum in mulieribus menstruatis inveniatur semper folliculus, sive vesicula Graaf iam erupta, valde probabile est ovulationem praecedere menstruationem. Hac ratione potest facile intelligi, quare in mulieribus, mortuis tempore menstrui, repertus sit corpus luteum. Quam ob causam retineri potest ovulum fecundatum non pertinere ad ovulationem ultimi menstrui, sed ad illam ovulationem, quam menstrua nondum sunt sequuta; menstrua in hoc casu locum non haberent, quia ovulum fecundatum alio deviaret cursum sanguinis in utero. Hoc optime reddit etiam rationem praegnationum in mulieribus numquam menstruatis aut in puerperio. Ad explicandas vero haemorrhagias, quae aliquando eveniunt in principio praegnationis, sufficit ut ovulum fecundatum in uterum perveniat incepta iam resolutione membranae uterinae [1]; vel, cum serius apparent, considerari possunt velut haemorrhagiae speciales [2].

204. Quantitas vero sanguinis menstrui variat pro indole, valetudine, multa vel parva quantitate et qualitate victus mulieris et plerumque est a 150 ad 200, rarius etiam ad 300 et 500, grammata. Fluxus inceptus plerumque per duos vel tres dies aut per integram hebdomadam vel octo dies perdurat.

205. Prima menstrua ordinarie apparent circiter decimum tertium ad decimum quintum aetatis annum, idest tempore *pubertatis*, cum genitalia pilis teguntur et ubera turgent; in regionibus vero calidioribus et infimis apparent prius quam in locis frigidis et mon-

---

expositum. At dictus mucus nec semen, nec aliquid necessarium est ad generationem. Nonnulli vero alii philosophi, duce Aristotile, noscentes aliquando mulieres in actu copulae non emittere illum humorem et tamen concipere, sententiam tuebantur, quae docebat mulieres nullum semen praebere necessarium ad generationem, ad quam tantum sufficiebat semen virile, ipsis mulieribus tantum materiam ad concipiendum et alendum fetum administrantibus. Et hanc opinionem, quam eius fautores rationibus mere philosophicis tuebantur, ob auctoritatem Stagyritae, fere omnes theologi et canonistae per plura saecula defenderunt uti *probabiliorem*, prae alia requirente semen femineum, quam simpliciter *probabilem* appellabant. Omnes hae opiniones, quae non philosophice, sed physiologice tractandae sunt, ex dictis sunt omnino falsae ac ideo reiiciendae.

[1] Schroeder C., *Man. d'Ostetricia*, 3ª edit. sulla 9ª tedesca, pag. 26; Valenti G., *Lez. di embriolog. umana e compar.*, Siena 1881. pag. 17; Schroeder C., *Maladies des organes génitaux de la femme*, 2ª edit., Bruxelles 1890, pag. 343 et ss.

[2] Cuzzi, *Op. cit.*, pag. 355.

tanis [1]. Apud nos media menstruatio primo apparet a decimo primo ad decimum octavum aetatis annum [2], et plerumque prima menstra tempore verno locum habent [3]. Aliquando prima menstrua multum praecurrunt tempus medium indicatum; nam habentur exempla puellarum, quae paullo post ab ortu, in primo aetatis anno et deinceps usque ad tempus medium ordinarium, menstrua regularia passae fuerunt. Coitus praecox illa accelerat [4]. Item puellae e temperamento lymphatico et capillis flavis serius menstrua patiuntur, quam quae habent temperamentum sanguineum, colorem pellis nigricantem capillosque nigros. — Reditus menstruorum spatio viginti octo dierum circiter transcurrit.

206. Tempore vero, significato in media quadraginta ad quinquaginta annos et etiam paullo serius, fluxus perturbari incipit, irregularis evadit, minuitur, donec omnino deficit. Quod tempus cessationis menstrui *menopausa* dicitur. Haec media tamen variabilis est pro variis regionibus; ita ex. gr. iuxta Raciborski, in Gallia dicta media est circ. 45-50 ann. etc. [5].

Omnibus tamen inspectis casibus, qui et plurimi sunt, cessationis menstrui, dicta media *latissime* accipi debet; noscuntur enim plurima exempla certa, in quibus menstruatio cessavit etiam tardissima aetate, quae transcurrit a dicta media usque ad ann. 106 vitae muliebris; et item plurima existunt exempla fecundationum usque ad tardam aetatem, in qua absque spe fecundatio apud omnes habebatur. Notandum insuper, semel cessata menstrua, tempore medio ordinario, posse denuo reapparere perfecte regularia, quae regula-

---

[1] In regionibus mexicanis et brasiliensibus (inter 33° et Equatorem) menstrua apparent media aetate duodecim annor., et regulariter mulieres partus edunt decimo secundo vel decimo tertio aetatis anno; in Norvegia vero prima menstrua raro apparent ante decimum sextum et decimum septimum aet. ann. (Cfr. Richard D., *Des Rapports conjugaux*. Paris 1898, pag. 139 et seq.). In regionibus calidis puellae iam octavo aetatis anno menstrua patiuntur et aptae sunt ad generationem. Cfr. Landois, *Op. cit.*, pag. 1031.

[2] Cuzzi, *Op. cit.*, pag. 124.

[3] Idem, ibid., pag. 156.

[4] Dr. Castellani Lucae affirmat se invenisse puellulam 8 annorum, quae propter illicita commercia, menstrua iam patiebatur. — In carcere S. Lazari Parisiis, ex 58 puellis, quae ad coitum se dederunt inter 9-11 annos, 27 menstrua habebant ante 10 aetatis annum, 19 inter 10 et 11, 10 inter 11 et 12 et duo tantum inter 12 et 13 annos. (Bonucci F., *Sommario della fisiol. dell'uomo*, Perugia 1859, pag. 465). Inferius plura alia exempla minimae aetatis habebis.

[5] Steinhaus, *Menstruation und Ovulation*, Leipzig 1898, pag. 86.

ritas excludit omnino quamcumque ideam anormalis seu pathologicae haemorrhagiae, uti testantur observationes *de visu* peritorum, qui in hisce casibus nullum vestigium ulcerum notare potuerunt. De causis vero, ob quas menstrua adeo protrahi possunt, aut, semel cessata, denuo reapparere, ita loquitur doctor Tilt, qui in hac re particulari gaudet auctoritate: « Ovaria, ipse ait, possunt paralysi affici ante tempus ordinarie statutum pro eorum atrophia, et possunt *sponte* consuetam suam vitalitatem denuo acquirere ob moralem concussionem subitaneae anxietatis, ob vehementes impressiones systematis glanglionaris vel ob accessum febris vel ob morbum visceris alicuius maximi momenti » [1]. Quo fit ut mulier, etiam valde protracta aetate, retineat per se capacitatem fecundationem patiendi, etsi de facto ordinarie sterilis evadat [2].

207. Hic fluxus sanguinis mulieris valde utilis est eius valetudini, et, si aliquo modo impediatur vel a natura, vel studio, vel incaute, ex. gr. tempore menstrui balnea frigida sumendo usque ad medium corpus (semicupio), immergendo diu pedes in eadem aqua, fortis pavor etc., haemorrhagia potest fieri ex alio loco, sicut e naso, pulmonibus, intestinis, uretra, uberibus, etc.; et, nisi suo ordini sponte sua restituatur, medicus debet obtinere arte, ut salus redeat mulieri. Tempore vero praegnationis et lactationis fluxus ordinarie suspenditur, quia sanguis tunc temporis ad nutritionem fetus et ad formationem lactis a natura adhibetur. Dein notandum, gravia anima pathemata, ut pavor, vehemens gaudium praeter expectationem, graves impressiones morales, suspendere posse menstrua [3]. Suspensio vero fluxus aut eius irregularitas quam maxime in puellis nervosis ac hystericis in cerebrum influit et debilitationem visionis et auditus aliquando inducit cum oculorum congestione, tempore, quo iis utuntur [4].

208. Causa fluxus cum sit in organis internis generationis et consistat in eorum magna excitatione, tota natura mulieris moralis

---

[1] Tilt, *Dell' età critica*, Torino 1872, pag. 25.

[2] Cfr. exempla, quae ad dicta referuntur in meis opusc. « *De Conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrim.* », Romae 1900, pag. 81-83; « *Pro Conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrim.* », Animadversiones in opus P. Eschbach « *Disputationes* » etc. II edit., Romae 1901, pag. 56-57; *De mulieris excisae impotentia ad matrimonium*. Romae 1903, pag. 99 et ss. — Schurig, *Parthenologia historico-medica*, Dresdae et Lipsiae 1729, pag. 139 et seq.

[3] Garnier P., *La Génération universelle* etc., pag. 339.

[4] Idem, ibid., pag. 340.

et physica afficitur nonnullis symptomatibus specialibus (*molimina menstrualia*), quae sunt gravitas in lumbis, lassitudo crurum, debilitas generalis, gyrus nigro-violaceus circum oculos, maior irritabilitas ac sensibilitas, et aliquando etiam magnae perturbationes nervorum, levis alteratio vultus, turgor et maior sensibilitas uberum; non desunt languor, tristitia, inertia, despectus, suspiciones, et, si tanta sit irritatio genitalium, possunt perfici tactus in genitalibus ad eam sedandam, qui non sunt certo omnino et aliquando nullo modo, voluntarii. Hoc tempore, quod facile dignoscitur, mulieres et praesertim puellae, egent patientia et studio speciali; non sunt redarguendae, nec male tractandae, sed consolandae ac earum mens alio est divertenda; id requirit status earum specialis; hoc tempus enim vere criticum pro ipsis est. Aliquando cessassio fluxus restituit illico pristinam sanitatem et laetitiam, et subito tollit statum deprimentem animi et corporis, etsi pro ipsis menstrua physiologicum quid sint. — Addendum insuper non raro, primo tempore menstrui, puellas hystericas, nervosas vel ex parentibus nevropathicis exortas, habere magnam facilitatem lacrymas absque causa effundendi, perturbationes varias stomachi et intestinorum pati, et, si omnes menstruationis perturbationes ingravescunt, posse oriri plures graves mentis morbos, ex quibus notantur delirium, mania occidendi, ignem immittendi in vestes, ligna etc., hallucinationes mysticae visionis et auditus, quo fit, ut ipsae puellae videre et audire putent angelos, chorosque angelorum canentes, etc.

Etiam tempore, quo incipit menopausa, notantur in praefatis mulieribus nonnullae perturbationes in valetudine, quae praesertim afficiunt nervorum systema. Tunc temporis enim illas occupat tristitia, melancholia, magna irritabilitas et sensibilitas; instinctus genitalis ita pervertitur, ut facile plura possint patrare crimina carnalia; possunt accedere etiam nymphomania, delirium persecutionis, depressio animi cum mania suicidii; quae omnia tamen ordinarie per paucos menses perdurant [1].

209. Cum fluxus sanguinis *extraordinarie* abundans sit, qui saepe a debilitate generali pendet, quique maximam lassitudinem, capitis dolores ac lumborum praesertim gravitatem producit, sedari facile potest, applicando in imo ventris pannos in frigida aqua antea immissos, qui renovandi sunt statim ac calefiunt, pluries deinde repe-

[1] Brouardel, *Le Mariage*, Paris 1900, pag. 273 et ss.

tendos. Cum vero fluxus sanguinis non fit, cum tempus ordinarium iam multum decurrerit, quod quidem non parva incommoda mulieri affert, potest hic fluxus obtineri ponendo pluries pannos calidos in imo ventris. Quod si in hisce anomaliis, haec nihil prosunt, ad medicum debet fieri statim recursus, ne quid grave accidat in valetudine.

210. Ex hucusque dictis de relationibus inter ovulationem et menstrua, dici potest, cum doctore Power, mulierem pati menstrua, quia non concepit. Tamen notandum, si menstrua significant aptitudinem mulieris ad fecundationem, absentiam menstrui non secum ferre *necessario* incapacitatem ad praegnationem habendam. Nam plurima noscuntur exempla, etsi non nimis frequentia, mulierum numquam menstruatarum, quae optime conceperunt, et quarum nonnullae, nonnisi tempore praegnationis, menstrua habuere. At haec exempla uti exceptiones haberi possunt; et si, iuxta doctorem Cuzzi, mulier viginti annor. nunquam menstruata evasit, putandum est illam habere nonnullas anomalias in organis internis generationis [1], et medicus est consulendus, antequam matrimonium contrahat, ad praecavendas illusiones secuturas et damna, quae ex matrimonio cum impotente oriuntur.

---

[1] Cuzzi, *Op. cit.*, pag. 125; Garnier, *Le Mariage*, pag. 208.

CAPUT XIV.

DE COPULA SEU DE COITU ET DE LOCO FECUNDATIONIS OVULI

211. Necessariis praemissis de natura et officio organorum generationis in utroque sexu, remanet ut aliquid dicamus, et quidem breviter, quomodo semen virile ovulum fecundare valeat. Ad hoc a natura *ordinarie* destinatus est coitus, qui *copula* dicitur a *copulari,* quia in coitu uterque sexus coniungitur, et per quam unionem Deus voluit speciem humanam propagari et servari super terram; unde huius coniunctionis effectus immediatus, nisi aliqua obstet causa, est procreatio prolis. Omnes optime norunt quot dolores, aerumnas ac angustias secum ferant partus, filii ipsi ac recta eorum institutio; et quomodo permulti, post matrimonium, acerbe conquerantur de suo statu, quem comitantur illusiones, vanitates, frigiditas, liberorum saepe debilitas, miseria et tot alia mala et incommoda, quae vitam matrimonialem multis tristem ac satis gravem reddunt. His malis omnibus inspectis, non multi certe matrimonium inirent et species humana quam maxime diminuta et fortasse iam extincta evasisset. Attamen providentissimus Deus, ne hoc fieret, posuit in viro organa tam sensibilia et tam faciliter excitabilia, coniuncta quadam vehementi ac grata voluptate, cuius plenitudinem consequi non possit, nisi coëundo cum femina, cuius organa item generationis easdem affectiones patiuntur, ita ut et femina non possit plenitudinem voluptatis, quam natura ipsa ei suadet, habere, nisi admittendo ad se virum. Ita in hac re, utraque humana natura completur ac unitur, in qua unione videtur fere uterque sexus oblivisci omnia et tantum vitae speciei incumbere. Vaeh illis, qui in hac santa unione, a Deo stabilita, tantum supremam voluptatem quaerunt et fines ab Eo in-

tentos impediunt! Haec tamen coniunctio licita evadit tantum in matrimonio.

212. Studium physiologicum copulae nullo modo praebemus; sed tantum dicimus quod in copula, aucta summo gradu sensibilitate glandis, canalia secernentia sperma vehementer contrahuntur simul cum musculis proximis et semen (cuius quantitas est unius usque ad octo gram.) in vaginam emittitur. In femina hoc tempore collum uteri, spasmice sese contrahendo, aperitur et clauditur et paullo inferius descendit, ut facilius semen hauriatur.

Tempore coitus glandulae muciparae vaginales et vulvo-vaginales, idest Bartolinii, magnam muci copiam secernunt ad lubricandum canalem vaginae, ad reddendam faciliorem immissionem penis et voluptatem augendam. Hoc tempore insuper augetur calor in encephalo et medulla spinali, frequentiores fiunt pulsationes cordis et exspiratio convulsa evadit; quod quidem significat magnam actionem nervei systematis in hoc opere. Peracta copula, sensus lassitudinis ac fatigationis aggreditur virum magis quam feminam et organa cito ad statum normalem redeunt. In coitu maiorem voluptatem accipit femina.

213. His positis, notandum, ex experientia:

1° sensum voluptatis nullo modo esse necessarium ad efficiendam fecundationem [1] neque in mare, neque in femina, quia multae mulieres potuerunt fieri gravidae absque hac sensatione, immo etiam in statu syncopis [2], vi compressae, aut sommo datae aut narcosi, aut ebriae vino et etiam per fecundationem artificialem (de qua inferius) aut in statu mortis apparentis, vel sommi artificialis per chlorophormium, hypnosim etc.; item viri potuerunt habere iaculationem absque hac commotione, immo contra voluntatem et cum dolore [3]. Quamvis vero hic sensus excitationis physicae et moralis non sit necessarius, tamen aliquid confert ad fecundationem, et amplexus, nimio ardore desiderati voluptatesque vehementissimae, ex iis exortae, fecunditatem minuunt.

2° Nullo modo, ad fecundationem, necessaria est erectio genitalium in muliere, et etiam frigidae et animum ac mentem alio om-

---

1 Beclard, *Op. cit.*, pag. 1076.

2 Garnier P., *Impuissance* etc., pag. 381.

3 Bonucci F., *Op. cit.*, pag. 475; Kuss et Duval, *Cours de physiologie*, Paris 1883. pag. 614; Cuzzi, *Op. cit.*, pag. 139.

nino divertentes, aut omnino passive se habentes, optime concipiunt; immo frigidae et parum deditae voluptati copulae plures edunt filios, quam calidae, ardentes ac libidinosae, quae plerumque steriles evadunt [1].

3° Ad fecundationem, *absolute et per se*, nullo modo requiritur introductio penis et iaculatio in vaginam ; sufficit tantum ut semen virile aliquo modo deponatur [2] prope *os vaginae*, inter magna labia [3], aut simpliciter in vulva [4]. Hoc peracto, *certum est* nemaspermata, ob motum vibratilem, quo gaudent, in vaginam, adiuvante huius muco, introire et ulterius progredi posse, donec fecundent ovulum, si adsit; eo magis, quod vitalitas nemaspermatum protrahitur etiam per quindecim dies [5]; et, toto hoc temporis spatio, optime possunt usque ad interna organa mulieris progredi. Omnia haec ex experientia constant.

214. Addendum insuper, collum ipsum uteri habere plures glandulas secernentes liquidum diaphanum, albuminosum, viscosum, simile humori prostatico in viro, quod emittitur e collo uteri modo intermittenti et *iaculationem femineam* constituit [6], eodem fere modo, quo fit emissio e glandulis Bartolinii. Haec emissio, ut facile liquet, etsi utilis, nullo prorsus modo necessaria est ad fecundationem.

215. Motus nemaspermatum velocior fit in muco vaginali et uterino aliquantulum alcalino, ut evenit ordinarie, et deficit in liquido

---

[1] Garnier P., *La Génération universelle*, pag. 359.

[2] Hoc etiam apud S. Thomam invenimus (*Quodl.* 6, q. 10); ipse enim ait: « Posset forte absque miraculo mulier, salva omnimodo virginitate, concipere, sicut dicitur accidisse de quadam puella pubescente, quam propter pudoris custodiam in lecto suo pater habebat, qui, dum somno polluereturr, semen ad matricem descendit et puella concepit ». — Item notum est aliquando mulieres praegnantes evasisse, dum in eadem aqua tepente balnea caperent, in qua aliquo modo antea semen effusum fuerat; huius facti, quod nonnulli ad minus in dubium revocant, certa notitia mihi est ob casum quemdam non mihi tantum notum, in quo puella concepit post calidum balneum in eadem aqua, ubi eius mater, statim post copulam cum eius viro, corpus abluerat. Puella vero, ob familiae circumstantias, semper erat sub custodia parentum. Ceterum similes casus plures a medicis recensentur.

[3] Albertoni P. e A. Stefani, *Manuale di fisiologia umana*, Milano, Vallardi, pag. 713; Cuzzi, *Op. cit.*, pag. 145 et ss.; Garnier, *La Génér. univ.*, pag. 350; Kuss et Duval, *Op. cit.*, pag. 626; Richard, *Des rapports conjugaux*, Paris 1898, pag. 104.

[4] Schauta Fed., *Trattato completo di ginecologia*, Torino 1897, pag. 91; Borri L., *Nozioni element. di medicina legale*, Milano 1900, pag. 348-349; Strassmann, *Medicina legale*, Torino, pag. 69.

[5] Valenti G., *Lez. element. di embriologia*, Torino 1893, pag. 9.

[6] Kuss et Duval, *Op. cit.*, pag. 626.

acidulo; sanguis menstruus, iuxta doctorem Godard, robur addit eorum motibus; et, iuxta doctorem Sims, nemaspermata possunt vivere etiam in pure et ceteris liquidis, dummodo aciditate careant [1]. Aqua frigida et liquida acida eis nocent [2].

216. Semen emissum in copula, aut quovis modo in vaginam penetratum, si postea offendit in ovulum, illud fecundat. Fecundatio consistit in penetratione nemaspermatis in ovulum et in commixtione eius substantiae cum substantia ovuli. Hinc agendum de loco organorum internorum mulieris, ubi talis fecundatio locum habet.

Quo loco fecundatio praecise fiat, plane non constat; certe vero scimus, fecundationem posse habere locum in ovariis, in tubis et vix aliqua probabilitate in cavitate uteri. Quod fecundatio fieri possit in ovariis, evincitur ex hoc, quod ibi inventa fuere nemaspermata in animantibus postero die a coitu excisis et quod praegnatio potest esse etiam extra uterum. Si vero ovulum proiectum iam fuerat a vesicula Graaf ante coitum et iam progredi per tubas inceperat, cum fit coitus, semen potest illud fecundare in tubis.

217. Lentus est progressus ovuli per tubas et coitus potest perfici etiam antequam ovulum maturum sit. Cum ovulum uterum ingreditur, ordinarie (dubie quidem sec. Schröder [3], certe sec. Landois) [4], non potest amplius fecundari propter mutationes, quas passum est toto tempore progressus et illico emittitur aut dissolvitur in muco uterino; et proinde, nisi fecundatio fiat in tubis vel ovariis, in utero ovulum resolvitur. Frequentius tamen fecundatio fit initio tubae.

218. Motus nemaspermatum, etsi *relative* sat rapidus sit, tamen sat lentus *re* est; et progressus ovuli per tubas item lentus est. Et si licet arguere ex iis, quae fiunt in ceteris mammiferis, ex. gr., in cane, in qua, iuxta Bischoff, octo usque ad decem dies descensus ovuli perdurat, in muliere tenendum est descensum ovuli ab ovario, per tubas et eius ingressum in uterum fieri post duodecim aut

---

1 Kuss et Duval, *Op. cit.*, pag. 614.

2 Lefert P., *Aide-memoire de physiologie*, 5ª edit., Parisiis 1905, pag. 283.

3 Schroeder, *Op. cit.*, pag. 27-28.

4 Landois Dr. L., *Tratt. di fisiol. dell'uomo*, trad. Ard. Dr. Bocci, Milano, Vallardi, pag. 2039.

quatuordecim dies ab exitu ovuli e vesicula Graaf [1]; immo, sec. Landois, etiam post tertiam hebdomadam [2].

Ex hoc facile deducitur fecundationem posse effici etiam plures post dies a coitu, et non posse amplius sustineri opinionem, quae instantaneam et contemporaneam copulae fecundationem esse docebat.

---

[1] Valenti G., *Op. cit.*, pag. 15.
[2] Landois, *Op. cit.*, pag. 1039.

CAPUT XV.

DE TEMPORE MELIORI AD FECUNDATIONEM

219. Haec quaestio maximi momenti est in praxi, et cum de hac re in libris Theologiae moralis nihil, aut, si quid, parum et non semper exactum inveniatur, pretium operis ducimus eam aliquantulum dilucidare.

Ante omnia statuendum putamus, tamquam principium, quod experientia constat, testibus doctoribus Béclard [1], Albertoni et Stefani cum Bergeret [2], Schauta [3] et ceteris, nemine excepto, *feminam fecundari posse quovis tempore, quod intercedit ab una menstruatione ad alteram, et aliquando non posse fecundari temporibus, quae aptiora communiter habentur ad fecundationem,* ut ait doctor Roubaud [4].

220. *A priori* re spectata, videretur tempus, quod sequitur evolutionem et exitum ovulorum e vesiculis et proinde menstrua, ut antea habebatur, aptius esse ad fecundationem. Attamen quod ita non sit, multa suadent. Nam diligenter notandum, multas causas posse mutare tempus maturationis et exitum ovulorum, ut sunt coitus, excitatio genitalium, societas periculosa virorum, etc.; insuper optimae rationes suasionem inducunt expulsionem ovuli e vesiculis Graaf locum habere quocumque tempore [5] et praesertim ante men-

---

[1] Beclard, *Op. cit.*, pag. 1086.

[2] Albertoni e Stefani, *Op. cit.*, pag. 713; Bergeret, *Le frodi* etc., pag. 128.

[3] Schauta, *Op. cit.*, pag. 86.

[4] Roubaud, *Traité de l'impuissance et de la stérilité*, Paris 1876, pag. 49.

[5] Doct. Martin Aug., *Traité clinique des maladies des femmes*. trad. p. dd. Varnier H. et Weiss Fr. Paris 1889, pag. 41; Cuzzi, *Op. cit.*, P. I, pag. 156; Schauta, *Op. et loc. cit.*

strua; de qua re convenit et dr. Landois, qui videtur sequi doctores Kundrat, Engelmann, Reichert et alios, iuxta quos, etiam antequam ovulum expellatur a vesicula, mucosa uterina abundantia sanguinis inflatur et tunc potest recipi ovulum fecundatum. Si vero ovulum, cum in uterum pervenit, nondum fecundatum est, resolvitur et eiicitur, et mucosa uterina dissolvitur, producendo haemorrhagiam, h. e. menstrua. Quapropter haec haemorrhagia significaret non factam praegnationem, et resolutio mucosae uteri non eius utilitatem ad fovendum ovulum; ac proinde, ut iam diximus, praegnatio ortum duceret non ab ultima menstruatione cum fluxu, sed ab ultima nondum incaepta et ideo sine fluxu [1]. Ad haec referenda sunt exempla, iam indicata, mulierum scilicet, quae gravidae evaserunt, numquam menstrua passae, aut in statu puerperii; item casus mulierum mortuarum tempore menstrui, in quibus inventum fuit corpus luteum [2]. Potest ceteroquin fecundatio fieri et tempore menstrui.

In hoc assentit et doctor Schröder in ultima editione sui operis pluries citati; de qua re notandum, praedictum auctorem in praecedentibus editionibus sui operis indicasse etiam tempus aptius ad certam fecundationem habendam, quod putabat esse ultimis quindecim diebus a menstruis expletis, et tempus minus aptum, quod statuebat post expleta menstrua, non quidem certo, sed tantum probabiliter. In recentiori editione (3ª ital. ex 9ª germanica, pag. 23) omnia haec abstulit et de proposita quaestione omnino silet.

221. In hac re oportet semper habere prae oculis longam vitalitatem nemaspermatum (etiam plurium dierum) [3], tempus duarum vel trium hebdomadarum descensus ovuli per tubas (quo tempore potest semper fecundari) et exempla relata a medicis Hirsch, Leuckart, Wagner et aliis, ex quibus constat fecundationem factam fuisse etiam post decem octo, viginti duos et viginti quatuor dies a menstruis inceptis; quae facta omnino inexplicata evaderent, si tantum statutis temporibus praegnatio foret possibilis. Verum tamen est doctorem Valenti affirmare, praesertim ex relationibns inter ovulationem et menstrua, fecundationem certiorem esse, quando coitus

---

[1] Landois, *Op. cit.*, pag. 1034. — Cfr. etiam Martin, *Op. cit.*, pag. 41, qui idem sentit.

[2] Valenti, *Op. cit.*, pag. 17.

[3] Debierre, *Les vices de conformation des org. génit. et urin. de la femme*, Paris 1892, pag. 194.

fiat quindecim post dies et ultra ab inceptis menstruis et difficiliorem tantum reddi statim post menstrua, quia ovulum tunc temporis adhaerere non potest membranae uterinae iam resolutae et ovulatio sequens nimis remota est, ut nemaspermata virtutem fecundantem tanto tempore servare possint; attamen hanc hypothesim dr. Valenti [1] accepit ex primis editionibus d.ris Schröder, qui in ultima edit. nullam amplius de ea mentionem facit.

222. Insuper praetermittendum non est, experientias directas in muliere non posse, nisi raro, effici, ut facile intelligitur, ex multis causis. Tamen rationes et facta, quae exposuimus, ad quaestionem, utrum adsint nonnulla tempora, in quibus fecundatio impossibilis evadat, responsionem negativam praebent [2].

223. Addimus praeterea menstrua non esse omnino necessaria ad fecundationem, ut iam diximus, quum haec tantum significent mulierem aptam esse ad fecundationem, et ovula existere in ovariis ante menstrua; quapropter fecundatio fieri potest ante fluxum, sicut plurima exempla testantur [3]. Immo notandum plurima exempla adesse mulierum, quae, etsi aetate quadraginta octo annor. usque ad an. sexagesimum quintum menstruis iam carerent ob menopausam a pluribus annis, tamen post hoc tempus praegnationem regularem passae fuerunt; quod quidem denotat ovulationem in hisce feminis prosecutam fuisse, absque fluxu menstruo [4].

224. Quare, cum res ita sit et nullo modo statuta tempora dici possint adesse ad fecundationem mulieris non operandam, si *forte* et *vix probabiliter* excipias tempus immediate consequens cessationem menstrui (dum hebdomada antecedens menstrua propitior esset ad fecundationem) [5], patet non posse amplius sustineri coitum sterilem evadere, fere absolute, a decima quinta die post menstrua incaepta usque ad sequentem menstruationem, ut admittit Ballerini in adnotationibus ad Gury [6], doctor Capellmann [7] et adhuc nonnulli alii auctores, qui, veterem sententiam secuti, recentiora studia ignorare aut nihili facere videntur.

---

1 Valenti, *Op. cit.*, pag. 17.
2 Hoc absolute docet dr. Martin in *Op. cit.*, pag. 41.
3 Garnier P., *La Génération universelle*, pag. 340.
4 Cuzzi, *Op. cit.*, P. I, pag. 130.
5 Idem, ibid., pag. 156.
6 Gury I. P., *Compend. Theol. moralis*, edit. 5ª, Romae, pag. 917.
7 Capellmann, *Op. cit.*, pag. 134-139.

CAPUT XVI.

IN QUO CONSISTIT ESSENTIALITER FECUNDATIO DEQUE MULIERIS ARTIFICIALI FECUNDATIONE.

225. Peracta copula, si semel attingit ovulum maturum, fit fecundatio. Haec diu fuit causa maximi studii apud physiologos, qui fecundationem in pluribus animalibus propriis oculis inspexerunt, et modus, quo in his fit, idem est, ob analogiam, in homine. Tempore fecundationis nucleus ovuli (*vesicula germinativa*) nonnullas mutationes patitur, post quas *pronucleus femineus* appellatur (fig. 93). Cum unum tantum nemasperma, primum, ovulum tangit, ovulum quamdam eminentiam ante illud praebet (*conus attractionis*) (fig. 92), quae statim cum illo coniungitur. Coniunctione effecta, illico eminentia intus flectitur, secum adducens caput nemaspermatis, cuius cauda tunc immobilis fit et paullatim evanescit; ingressus capitis nemaspermatis in ovulum fit per parvum ostiolum (*micropylus*), quod in ipso existit. Dein dictum caput, cum ovulum sit ingressum, a protoplasmate ovuli circumdatur et parvum corpus efformat, cui nomen *pronucleus masculinus* (fig. 93); post haec, uterque pronucleus simul coniungitur et compenetratur adeo, ut ex iis unum corpus conficiatur, quod dicitur *nucleus divisionis* seu *segmentationis* (fig. 93). Hic nucleus statim dividitur in duas cellulas, quarum utraque in alias duas et ita prosequitur divisio, donec dictum ovulum plenum sit novis his cellulis. Ovulum nunc dicitur *morula* (fig. 94, (4)). Habita morula, eius cellulae in peripheria ovuli disponuntur, et in eius parte media interna spatium quoddam efficitur, instar spherae, quae nuncupatur *vesicula blastodermica* (fig. 95). Dein paullatim pars huius vesiculae intus flectitur (fig. 96), donec partem non intus flexam attingit, formam accipiens fere dimidiatae lunae; hoc in statu dicitur *gastrula* (fig. 97); stratum cellularum internum gastrulae dicitur

endoblastum vel *endoderma*, stratum vero externum appellatur *epiblastum* vel *ectoderma*; interea inter utrumque stratum conficitur tertium stratum cellularum, quod dicitur *mesoblastum* vel *mesoderma;* tria haec strata cellularum *blastoderma* nuncupantur; ex hoc, processu temporis, omnes partes corporis ortum ducunt. Modum vero, quo ex dictis tribus stratis cellularum singula corporis organa producuntur, et qui plene noscitur, assequitur *embryologia* humana. Fecundatio igitur essentialiter consistit in fusione utriusque pronuclei; qua peracta, ovulum vitam propriam iam vivit, cum multiplicatio et nutritio cellularum consectarium sit earum vitae. Fecundatione hinc effecta, ovulum ex utero non amplius plerumque emittitur, sed adhaeret plicis mucosae uteri, quae paullatim circum crescit et demum illud omnino obtegit; haec membrana *decidua reflexa* dicitur (fig. 98).

226. Ex tribus praefatis foliis, sequenti syntetico modo, oriuntur omnes partes corporis. Ex *ectodermate* ortum ducunt: *a*) integrum systema nervosum tum centrale tum periphericum et του « simpatico; *b*) epithelia omnium organorum sensuum (oculorum, aurium, olfactus); *c*) epithelium pellis seu epidermis cum organis ipsi adnexis (pili, glandulae sebatae et sudoriparae, gl. mammariae, dentes). — Ex *endodermate* ortum ducit epithelium cavitatis digestivae ab arcu palati usque ad anum cum omnibus glandulis relativis; hepas enim et pancreas sunt primitus simplices intus-flexiones intestinorum; canalis ipse bronchio-pulmonaris non est primitus nisi intus-flexio partis anterioris esophagi. — *Mesoderma*, iuxta Herwig, dividitur in duas laminas seu folia, quorum alterum constat texto epitheliali et est *mesoblasta* vel *mesothelium*, alterum conficitur texto laxo cum cellulis stellatis et est *mesenchima*. Ex *mesothelio* ortum ducunt musculi striati voluntarii, epithelia organorum genito-urinariorum et endothelia membranarum serosarum (peritoneum, pleurae, pericardium). Ex *mesenchimate* oriuntur tantum texta connectentia (textum connectens proprie dictum, textum fibrosum et textum sceleti) et textum musculare leve. — Iuxta nonnullos systema vasculare seu circulatorium oriretur ex hoc mesenchimate; iuxta alios vero probabile est gigni e germinibus specialibus a mesenchimate proprie dicto distinctis [1].

---

[1] Testut, *Op. cit.*, vol, 3, P, II, pag. 398 et ss.; Balfour, *Op. cit.*; Valenti, *Op. cit.*, et tot opera embryologiae humanae et comparatae.

227. Quamvis multa nemaspermata tempore fecundationis circumstent ovulum, tamen, iuxta communem DD. sententiam, experientiis probatam, unum tantum nemasperma in ovulum ingreditur, fecundationem efficiens; cetera vero omnia moriuntur [1].

---

[1] Landois, *Op. cit.*, pag. 986; Albertoni P. e Stefani A., *Op. cit.*, pag. 714; Balfcur, *Traité d'embryologie et organogen. compar.*, Paris 1883, vol. I., pag. 73.; Valenti, *Op. cit.*, pag. 22.

Doctrina certa de modo fecundationis ovuli, scientifice probata, progressus est physiologiae et anatomiae fere nostrorum temporum. Apud veteres philosophos et medicos notiones inveniuntur quam maxime variae et erroneae. Empedocles (540 a. C.) et Hippocrates (460 a. C.) admittebant duplex semen, scilicet viri et feminae, necessarium ad generationem; medici Arabi et praesertim Averroé potius phantasiae quam rerum veritati indulgebant, cum tuerentur feminas posse concipere tantum vi imaginationis et etiam per aër; nonnulli (Haller) tenebant hypotesim, quae docebat germina omnium hominum contineri inclusa in semine (ovulo) matris et computatum fuit Evam debuisse habere in suo semine inclusa decies centena millia germinum; inventio postea nemaspermatum in semine viri hypotesis mutationem induxit, quia tunc haberi cepit nemaspermata uti germina humana seu fetus; hinc invenimus, hac ratione, duplicem ortam fuisse sententiam, quarum altera docebat ovulum mulieris tantum necessarium esse ad generationem, cum in ipso iam praeexisterent germina omnium hominum (in Eva), cuius sectatores *ovulistae* appellabantur; altera vero sententia, cuius sequaces *animaculistae* vocabantur, tenebat nemasperma viri esse embryonem, nihili faciens elementum generativum mulieris; iuxta quam sententiam Adam continebat in se germina totius humani generis. Interea notandum, has falsas opiniones adeo profundas radices apud doctos viros immisisse, ut neque experimenta Redi, quibus statuebatur scientifice modus generationis nonnullorum inferiorum animalium et principium physiologicum: *omne vivum ex ovo* (cfr. Redi, *Esperienze intorno alla generazione degli insetti*), neque opera Harvey (1633) (*De generatione animalium exercitationes*, Londini 1651), et M. Malpighi (*De formatione pulli in ovo. De ovo incubato. Op. omnia*, Lugduni batavorum 1687), quibus modus generationis, pro temporum conditionibus, illustrabatur, satis fuerint ut dictae opiniones mutarentur. Fabricius aquipendiensis (1600) admittebat *auram seminalem*, quae nonnisi vapor quidam erat e semine manans (fortasse ob eius particularem odorem), qui satis erat ad fecundationem operandam. Aristoteles ipse (natus a. 384 a. C.), qui tot pretiosa documenta ad historiam animalium inservientia reliquit, quaestionem de modo generationis tantum philosophice tractavit; docebat enim mulierem praebere tantum materiam ad fetum concipiendum, virum autem semen, quod est forma et motus materiei, ac proinde non solum negavit feminam habere semen necessarium ad generationem, sed conatus fuit etiam demonstrare ipsam *non debuisse* habere semen, ob rationes tantum philosophicas, quas Zacchia exacte ita exponit; Aristoteles dicebat: « si (mulieribus) semen esset, menstrua non essent, nunc autem ideo menstrua sunt, quia semen non est. Quod vero a feminis in coitu cum voluptate excernitur, non esse semen, sed crudam quamdam materiam credidit partis ipsius propriam, cum semen contra sit quid maxime concoctum. Nec debere feminas habere semen, ulterius probavit, quia, cum agens in generatione sit semen maris, disconveniens est uni materiae et uni effectui respondere duo agentia; neque ut materia; superfluum enim est, men-

228. Primae notiones certae circa fecundationem nobis venerunt tantum, labente saeculo XVIII per fere innumeras experientias peractas a catholico Sacerdote, celeberrimo in scientiis naturalibus, Lazzaro Spallanzani, italiae nationis. Hic, mediante artificiali contactu seminis cum ovulo, potuit fecundationem obtinere in multis animalibus, inter quae notantur rana, bufo, bombyx mori etc., et iniiciendo semen in vaginam canis, canis gravida evasit. Nostris temporibus, quod Spallanzani egerat in animalibus, ut cognosceret quo-

---

struis pro materia existentibus. Nullo ergo modo semen femineum concurrere debuit ad generationem. Frustra ergo natura illud in femina procreasset, quod non est affirmandum. Praeterea si semen femineum ad generationem necessario concurreret, numquam fieret generatio absque feminae voluptate; cum neque semen absque voluptate emittatur, neque generatio absque semine succedat; sed generatio succedit sine ea voluptate, quae ex seminis expulsione fit. Ergo succedit etiam sine semine. Adde feminam, semen habentem activitate ditatum, omnino ex se generare posse; nam non deficiente agente, neque loco ad id apto, neque materia, quod impedimento est, quominus femina ex se suo proprio semine generare possit? » (Zacchia, *Quaestiones medico-legales*, l. 7, tit. 3, q. 1, n. 17; Aristotelis, *De generatione animalium*, l. 1, c. 19 et 20). Hic ratiocinandi modus apud multos transivit et praesertim apud theologos et canonistas usque ad nostram aetatem cum non parvo detrimento scientiae theologicae et canonicae. Galenus vero (131-203 p. C.) admittebat necessitatem seminis viri et feminae ad concipiendum fetum. At Spallanzani evertit omnes illas theorias per sua innumera experimenta et evicit necessitatem contactus seminis cum ovulo ut habeatur fecundatio; posito enim semine variorum animalium *prope* ovulum, numquam fecundatio fiebat; posito vero semine *in contactu* ovulorum, fecundatio semper habebatur. Quae experientiae, a ceteris physiologis pluries repetitae, plene confirmatae fuere. Nostra vero aetate Prévost et Dumas probarunt tantum nemaspermata efficere fecundationem; nam per philtrum satis densum transmisso semine, liquidum philtratum, numquam fecundationem operabatur, cum careret nemaspermatibus; cum vero philtrum sat tenue erat, liquidum philtratum, quod nunc nemaspermata habebat, fecundationem semper operabatur. Barry primo observavit nemaspermata in ovulis mammalium (cfr. Researches, 3ª Sez. *Philos Transact.*, 1840); Bischoff vidit nemaspermatum ingressum in ovula cuniculi et ranae (*Bestätigung des Eindringes der Spermatozoiden in das Ei*, Giessen 1854); Hensen, (*Beobach. über die Befruchtung u. Entwiklung d. Kaninchens u. Meerschweichens. Zeitsch. f. Anat. u. Entwikl.*, 1875, B. I) et Veil, (*Beitr. zur Kenntniss der Befruchtung und Entwikl d. Kaninchenei: Wiener med. Jahrbüch*, 1873), eumdem ingressum observarunt in ovula mammalium; modum vero ingressus nemaspermatum in ovula plures physiologi recte conspexerunt suis oculis; inter quos notandi Fol, Hertwig, Bütschli, Colberle, Trinchese, van Beneden et Schenk. Nucleum segmentationis optime scientifice observarunt van Beneden et Tanfani. Evolutionem partialem organorum in ovulo fecundato viderunt Wolff (1759), Sömmering (1799), Goethe (1807), Tiedmann (1816), Pander (1817), C. E. v. Baer (1828-1834), Remak et plures adhuc viventes; Schwann vero (1839) primo prosecutus fuit totam formationem omnium partium fetus a primis cellulis usque ad eius perfectam evolutionem.

modo fecundatio fieret, a nonnullis medicis cogitatum fuit posse fieri in muliere, causa illam fecundandi, praesertim cum e coitu sterilis evadat, modo artificiali. Hic modus consistit in iniiciendo, per syphunculum, semen in vaginam et uterum. Fecundatio ordinarie locum habet. Quid de liceitate huius fecundationis, inferius habebis.

CAPUT XVII.

DE FECUNDATIONIBUS MULTIPLIS, DE SUPERFECUNDATIONE, DE SUPERFETATIONE ET DE SEXU INFANTIUM.

229. Etsi mulier *ordinarie* unum tantum infantem pariat, tamen saepe fit ut geminum (fig. 99), raro trigeminum, rarius quadrigeminum, rarissime vero quinquegeminum in lucem edat. Rationes huius facti variae sunt. Tempore enim fecundationis potest fieri fecundatio unius vel plurium ovulorum, quae simul crescunt, totidem fetus producendo, quia vesicula Graaf, cum erumpitur, potest emittere etiam plura ovula; vel tempore menstruationis possunt erumpere etiam plures vesiculae, vel vesicula germinativa potest, sponte, se dividere, plures efformando vesiculas [1]. Cum vero nemaspermata in coitu quamplurima emittantur, possunt fecundari quamplurima ovula, si adsunt. Nihil mirum igitur, physiologice, in his fecundationibus *multiplis*.

230. *Superfecundatio* habetur, quum duo ovula, quae fere eodem tempore maturitatem consecuta sunt, fecundantur in duplici copula, cuius altera parum distat a prima. Ex experientia constat mulierem nigram peperisse binos infantes, unum nigrum, alterum album, et mulierem albam peperisse equidem binos, cuius unus albus erat, alter nigricans (*mulatto*). Hae mulieres, postea, fassae sunt se habuisse, parvo interiecto tempore, duplicem coitum cum viro albo et cum nigro.

231. *Superfetatio* consistit in fecundatione duorum vel plurium ovulorum ad diversas ovulationes spectantium et simul sese evol-

---

[1] Cuzzi, *Op. cit.*, pag. 767.

ventium, ita tamen, ut alterum ovulum fecundationem passum sit, incepta iam evolutione primi ovuli. Theoretice re spectata, videretur hoc non posse fieri, quia ordinarie, ovulatione peracta cum fecundatione, altera ovulatio non fit, nisi post partum; dicitur *ordinarie*, quia non certo constat utrum aliquando primo tempore praegnationis aliquod ovulum possit maturare, exire e vesiculis et emitti, cum et menstrua desint.

Ceterum in praxi superfetatio possibilis evadit, etsi valde raro, in casu, quo uterus duplex est (fig. 102) et fecundatio ovuli unius uteri potest tunc praecedere vel consequi duobus, tribus vel quatuor mensibus fecundationem ovuli alterius uteri et inter duos partus possunt intercedere duo, vel tres, vel quatuor menses. Si vero in excisione anatomica mulieris, unus tantum uterus invenitur et duo infantes simul eodem tempore evoluti sunt, probabile est in uno horum evolutionem suspensam fuisse et proinde multo posterius talem infantem natum esse. Et re quidem vera, unus ex his duobus infantibus plerumque satis imperfectus in evolutione est et etiam nascitur iam a longo tempore mortuus; quod vere mortuus edatur, nil mirum, cum notum sit, fetum mortuum posse in utero matris servari, etiam per plures menses, quin putrescat [1].

232. Quid nunc dicendum de *sexu* infantium? Qua de causa fetus nascuntur nunc mares, nunc feminae? Certum est, primissimo tempore vitae intrauterinae, fetus sexum (apparenter saltem) non existere, et tantum post quintam hebdomadam ex eisdem organis lente efformari alteruter. Qua vero de causa ovaria obtineantur pro testiculis, clitoris pro pene, vulva pro scroto etc., omnino ignoratur.

233. At utile ducimus nonnulla exponere de hac quaestione, cum et nostra aetate plura experimenta instituta sint a medicis. Penes antiquos philosophos et medicos opiniones invenimus valde inter se discrepantes. Hippocrates et Anaxagoras (500 a. C.) opinabantur sexum iam antea exstitisse, cum docuerint, ex ovario dextero mares ortum ducere, ex sinistro feminas; Aristoteles item docebat testiculum sinistrum praebere semen ad feminas, dextrum vero ad mares gignendos, ac proinde, prout in copula emittebatur alterutrius testis semen, sexum respondentem haberi. Quam sententiam plures amplexati sunt, ex quibus Galenus, Democritus, Avicenna, Columella, Ioann. Huarte (saec. XVI) et Procopius Contraux (saec. XVII); Alcmaeon 530 a. C.) docebat sexum pendere a genitore, qui plus seminis praeberet; medici sinenses et nonnulli nostri aevi admittunt in utroque generante duplex principium,

---

[1] Beclard, *Op. cit.*, pag. 1088.

forte nempe et *debile*, primum pro maribus concipiendis, alterum pro feminis; principium praevalens statuit sexum; Thury (1863) putavit secretum sexuum se invenisse, et statuit sexum pendere a gradu maturitatis ovuli, quod, si tempore fecundationis, minus maturum erat, feminas, si vero magis maturum mares gigneret; Mestinier vero asseruit, feminam producere alternis mensibus ovula pro maribus et feminis; qua re, noto sexu primi infantis, facile esset futurorum praedicere sexum. Ut omnes facile vident, ex his opinionibus nil certi statui potest, cum in earum singulis facta *pro* et *contra* indifferenter commisceantur.

234. Quod si haec quaestio in singulis casibus seu familiis nequeat aliquid utile nobis praebere, tamen examinando tabulas statisticas pro singulis statibus civilibus, factum maximi momenti apparet, scilicet numerum marium natorum fere respondere numero feminarum, ut constat ex studiis Boccardo [1], Bodio [2] et Bertillon [3]; nam ex centum feminis nascuntur centum et sex mares in media. Idem Bertillon, ex certis tabulis statisticis Norvegiae; invenit, in primis annis vitae coniugalis, numerum marium natorum maiorem esse quam feminarum; haec proportio minuit post primos sex annos, et post duodecim primos annos numerus feminarum praevalet numero marium; uti videtur, haec proportio relationem habet cum aetate parentum. Quoad illegitimos vero, ex analogis tabulis constat mares illegitimos gignere minorem numerum marium quam feminarum. Omnia haec idem Bertillon explicat ex analogia, quae habetur in animalibus, arte selectis ad procreationem; notum est enim, animalium mares iuvenes, coniunctos successive cum variis feminis eiusdem speciei, ex primis copulis praecipue mares gignere, in ceteris vero praecipue feminas (ex. gr. in ovibus et multis animalibus domesticis), in tarda demum aetate praecipue feminas generare. Aliquid simile in humana specie, iuxta tabulas statisticas et iuxta Bertillon, observatur; coniuges enim, et praesertim vir, magno robore sexuali, praecipue mares gignunt, uti evenit ruri degentibus; coniuges vero, parvo robore sexuali, praesertim feminas gignunt, ut in civitatibus fit; omnes demum, qui debilitantur ob aetatem, excessus sexuales, ceterasque causas, feminas praecipue generant. Sed notandum, has observationes referri particulari modo ad numerum, minime vero ad rationem, qua praevideri possit qualitas sexus, post conceptionem. Ad hanc rationem aliquo modo cognoscendam plures medici experientiis et collationibus statisticis valde incubuere, utendo etiam effectibus, quos animalium productores obtinuerunt; nihil tamen certi in hac re obtentum fuit.

235. Recentissimis nostris temporibus, doctor Schenk [4] nonnullas experientias

---

[1] Boccardo, *Intorno alle cause determinanti i numeri proporzionali de' due sessi nelle statistiche delle nascite.* Archiv. p. l'antropolog. e l'etnologia, vol. I, Firenze 1871, pag. 66.

[2] Bodio, *Confronti internaz. di statistica.*

[3] Bertillon I., *Démographie*, Paris 1890, tav. 37, pag. 196; in *Encyclop. d'hygiène et de médec. publ.* par Richard, lib. I, chap. II.

[4] Schenk Leopold, *Einfluss auf des Geschlechtsverhältniss.* Magdeburg-Wienn., Schallehn e Wollbrück, 1898.

instituit, quae tamen, iuxta nostram sententiam, quaestionem non solverunt. Ipse tenet, arte posse obtineri sexum, quem quis desiderat, sequentibus innitens rationibus et factis. Ipse *hypotetice* admittit sexum fetus iam praeexistere in ovulo in statu latenti, et nullo modo pendere a fecundatione; hunc sexum dein putat causam habere in conditionibus physicis et physiologicis mulieris, scilicet in huius statu valetudinis, roboris, nutritionis etc., et omnes causas, quae aliquo modo mutationes seu affectiones in temperamento mulieris inducere possunt, valere etiam ad certas mutationes afferendas in sexualitate ovuli; quae causae, ceterum, reducuntur ad qualitatem ciborum; ac ideo, si natura ciborum mutatur, mutat etiam ratio evolutionis ovuli, et, hac de causa, eius sexualitas. Potentia vero ovuli ad alterutram sexualitatem esset in eius nucleo, quod, prout ad masculinam vel femininam sexualitatem magis inclinat, respondentes particulares mutationes in protoplasmate induceret; fecundatio demum ad hoc tantum necessaria esset, ut evolutionem ovuli produceret, iuxta sexualitatem iam habitam.

His hypotetice admissis, Schenk utitur observationibus, quas Maychofer in plantis et animalibus instituerat, iuxta quas ratio ciborum maximam actionem exercebat in natura sexus; et dr. Schenk item notat, in omnibus casibus, in quibus potuit aliquam actionem cognoscere parentum in filios, persuasionem se acquisisse, nutritionem matris, tempore praegnationis, principem actionem habuisse in natura sexus. Aliud factum certum dein est, tempore praegnationis, vim permutationum corporis matris augeri et quantitatem elementorum ex secretione minui; quod quidem causam habet in nutritione fetus, qui sanguine materno eget ad propriam evolutionem perficiendam. Tota ratio igitur methodi doctoris Schenk consistit in statuendis relationibus inter qualitatem ciborum et permutationes sequentes materiei corporis matris et certum sexum fetus, supposito quod permutationes materiei corporis materni pro fetu masculino aliae sint ac pro fetu feminino. Ad noscendum vero statum permutationum materiei in corpore matris, Schenk ad examen subiicit eius urinam, utpote quae optime reddit rationem earum permutationum. In compositione chemica urinae iam scimus plurimas substantias adesse in statu optimae valetudinis et plures alias diversas in statu pathologico seu morbi; ex his elementis in statu morbi, qui dicitur *diabetes*, habetur saccarum (glycosium). At doctor Schenk opinatur parvam quantitatem saccari posse inveniri etiam in urina apud bene se valentes, quin signum sit malae valetudinis; certe vero urina normalis deberet semper carere saccaro. Chemice inspecta hac re, saccarum in urina normali indicaret corpus non possidere perfectam capacitatem comburendi, per oxygenum, carbonium saccari, et, in urina, absentia saccari signum esset corpus tantam vim physiologicam habere, qua totum saccarum ciborum et quod in corpore formatur, perfecte comburitur cum oxygeno respirationis. His considerationibus physiologicis ductus, Schenk plurima examina chemica instituit urinae feminarum et virorum, et invenit in urina mulierum, tam divitum, quam egenarum, maiorem quantitatem saccari, quam in viris, et feminas, diabete affectas, regulariter loquendo, feminas procreasse; dein easdem analyses fecit urinae mulierum perfectae valitudinis, quae semper feminas in partu habuerunt et semper minimas quantitates saccari invenit. Quibus cognitis, Schenk

cogitavit, in nonnullis mulieribus, quae antea feminas pepererunt, mutationem ciborum inducere, subtrahendo nempe omnino cibos non azotatos et iubendo iis apponi cibos azotatos, ut fit in cura diabetis ; cum in urina nulla quantitas saccari amplius inveniebatur, proles sequens erat sexus masculini. Hisce effectibus habitis, Schenk conclusit, intra certos limites, possibile esse arte habere masculos prae feminis, dummodo hae conditiones a matre serventur, scilicet : 1° dicta ratio ciborum saltem per duos vel tres menses ante fecundationem incepta sit ; et 2° mulier possit dictam rationem nutritionis pati absque detrimento suae valetudinis. At notandum, Schenk non praebere certitudinem, ita agendo, sexus masculini, sed magnam probabilitatem. Quoad modum demum agendi in mulieribus, quae specialiter masculos parturiunt, ut feminas procreent, nullum argumentum neque experimentum dr. Schenk affert.

236. Talis, breviter exposita, est theoria recens praefati doctoris, quae magnum clamorem statim excitavit. Contra quam tamen nonnulla sunt notanda : 1° ipsa theoria non est certa, sed tantum *probabilis*, ut ipse Schenk fatetur ; 2° innititur paucissimis factis de visu et non semper inter se cohaerentibus ; 3° manet semper discutiendum dubium grave, utrum praesentia saccari in urina sit *causa* sexus masculini, vel evolutio sexus masculini *producat* praesentiam dicti saccari, scilicet sit effectus ; 4° factum certissimum et commune est, tum matres, quae utuntur fere toto anno cibis farinaceis, uti sunt ruri degentes et pauperes in civitatibus, tum mulieres divites, quae toto anno vescuntur cibis azotatis, etiam copiosis, indiscriminatim generare masculos et feminas ; immo, in dictis conditionibus, aliquando etiam absolute contrarium obtinet theoriae doctoris Schenk, cum mulieres divites habeant fere exclusive feminas, et agricolae et pauperes civitatis fere exclusive masculos ; haec docent lata experimenta naturae ; 5° dein doctor Schenk nititur nimia abundantia hypotesum ; quae enim rationes adduci possunt, ad admittendum praeexistentiam sexus in ovulo in statu latenti, causam huius sexus esse conditiones physicas mulieris, potestatem hominis, per cibum aptum, immutandi sexum ovuli, mutationes sexuales, arte inductas in nucleo, secum ferre respondentes mutationes in protoplasmate etc. ? Omnia ova enim, quae per microscopium observari possunt, provenientia ex ovariis plurimarum mulierum, in statu vario suae evolutionis, nullum omnino discrimen prae se ferunt. Qua re, omnibus his inspectis, theoria et experimenta doctoris Schenk, ex mea sententia, relinquunt quaestionem omnino insolutam ; ac ideo, de causa sexus infantium tantum certo dicere possumus nos nihil certi scire [1].

---

[1] Cfr. si plura de hac quaestione scire cupis, Revelli dott. C. A., *Perchè si nasce maschi e femmine? Il problema de sessi*, Roma 1899.

CAPUT XVIII.

DE FETIBUS UTERINIS ET EXTRAUTERINIS ET DE FALSIS PRAEGNATIONIBUS

237. Evolutio naturalis et physiologica fetus est quae in utero fit, cum ovulum fecundatum in uterum descendit, ibique sistit; praegnatio tunc dicitur *uterina*. Quaecumque vero alia praegnatio, quae extra uterum accidit, veram anomaliam et irregularitatem physiologiae praegnationis constituit, quae, cum sit praeter ordinem consuetum et leges physiologicas, gravissimorum malorum pro vita matris et fetus fere semper causa est. Omnis praegnatio, quae extra uterum locum habet, ubicumque fetus se se evolvat, *extrauterina* dicitur, fetusque ipsi *extrauterini* vel *ectopici* nuncupantur. Hinc nobis agendum: *A*) *de praegnatione uterina*, *B*) *de praegnatione extrauterina* et relativis quaestionibus [1] et demum *C*) nonnulla *de falsis praegnationibus*.

A — De praegnatione uterina.

238. Ovulum fecundatum, quocumque loco uteri sistit, ibi manet. Mucosa uteri tunc per multiplicationem suarum cellularum, crescit circum ipsum, ita ut paullatim omnino illud obtegat; haec mucosa tunc dicitur *caduca*, quae tripliciter distinguitur, scilicet mucosa uteri, in qua adhaeret ovulum, appellatur *caduca serotina*, quae

[1] Cfr. Valenti, *Op. cit.*, pag. 23 et ss.; Schroeder, *Op. cit.*, pag. 402 et ss.; Schauta, *Op. cit.*, pag. 560 et ss.; Max Runge *Man. di Ostetric.*, pag. 257 et ss.

omnino illud tegit, dicitur *mucosa reflexa*, reliqua demum uteri nuncupatur *caduca vera*, quae ideo formant totam superficiem uteri (fig. 98). Membrana caduca serotina, paullo post, originem dat organo maximi momenti, quod est *placenta uterina*, quae inservit ad nutritionem fetus. *Placenta* est corpus spongiosum, forma fere rotunda et rubro colore, quae tempore partus habet crassitudinem circiter trium centim., latitudinem fere sexdecim, et pondus quingenti gramm. Ovulum vero obtegitur omnino a sequentibus membranis: 1° a membrana, seu involucro, quod dicitur *corion*, quodque in primis producit, in tota sua superficie externa, plurimas villositates, quarum maxima pars cito atrophia afficitur, excepto loco, qui est supra serotinam, in quo immo villositates augentur et in ramos plures dividuntur, instar arboris, qui partim penetrant in placentam matris, partim finem habent in nonnulla spatia (*sinus*), sanguine repleta, in quibus fere natant. Singuli rami principales villositatum recipiunt ramos arteriae umbilicaris fetus, qui, iterum ac iterum se se dividentes, nova vasa sanguinea ad ceteros ramos villositatum mittunt; dein haec vasa, post plurimas divisiones, perveniunt usque ad partem inferiorem epithelii villositatum, in qua constituunt retia capillaria, quae paullatim simul coniunguntur et efformant venas umbilicares, sanguinem afferentes ad fetum. Uti liquet, circulatio fetus clausa omnino est et independens a circulatione matris. Summa villositatum fetus constituit *placentam fetalem*, quia a fetu ortum ducit; placenta matris seu uterina et placenta fetus fortiter inter se cohaerent; 2° Ovulum dein obtegitur altera membrana seu involucro, quod dicitur *amnios*, quae considerari potest velut continuatio pellis fetus; continet liquidum quoddam, albidum (*liquidum amnioticum*), in quo semper immersus iacet fetus; inservit ad protegendum fetum et probabiliter etiam ad eius nutritionem iuxta Beclard (fig. 100).

Fetus vero communicat cum placenta per *funem umbilicarem* (anatomice et italice *cordone ombelicale*), quae ab umbilico fetus pergit usque ad placentam, longitudinis circit. quinquaginta centim. et potest inseri in parte media seu centrali vel in parte laterali placentae; funis umbilicaris aliquando longior est; tum circumdat aliquam partem fetus, scilicet collum, brachium, crus et etiam truncum ipsum; pluries in se ipsa revoluta est. Constat essentialiter: 1° *duabus arteriis umbilicaribus*, quae sunt continuatio arteriarum hypogastrii fetus, quae ducunt sanguinem a fetu ad placentam, et 2° *vena umbilicari*, quae sanguinem transfert a placenta ad fetum.

Externe funis umbilicaris tegitur a membrana amniotica (fig. 100 et 103).

239. Colligendo quae nuper diximus, patet fetum in utero matris circumdari pluribus membranis, quarum nonnullae proveniunt ab utero ac ideo sunt originis maternae, nonnullae a fetu ipso ac ideo sunt originis fetalis. Primae sunt membrana decidua et placenta uterina; alterae sunt placenta fetalis, corion, amnios et funis umbilicaris. Dein arteriae umbilicares transvehunt sanguinem a fetu ad placentam et vena umbilicaris transfert sanguinem, e capillaribus collectum, a placenta ad fetum; quod constituit circulationem fetus (fig. 100).

240. Totum tempus, quo fetus in utero sistit, *praegnatio* dicitur, et transcurrit ordinarie spatio novem mensium vel circit. 280 dierum. Tempore praegnationis, uterus servat plerumque formam ovalem, quia infans inversus est, scilicet habet caput inferius et reliquum corporis superius, crura contra ventrem flexa, genua, quae aliquantulum in crucem disposita sunt, contra crura et brachia, modo crucis, ante pectus. Hic status fetus ordinarius et normalis est; aliquando vero fetus habet caput superius et reliquum corpus inferius, vel transverse se habet, ita ut ostio uteri latus praebeat; hisce anomaliis positionis, partus eget auxilio chirurgi. Tempore praegnationis, ostium uteri clausum est operculo quodam mucoso (fig. 101).

241. Partus essentialiter consistit in eiectione fetus per contractiones musculorum uteri.

Quae contractiones rumpunt membranas, fetum involventes; quo fit ut liquidum amnioticum fluere incipiat. Partum comitantur vehementes dolores. Placenta et membranae fetus, post partum, *secundinae* vocantur.

Post partum, magna defatigatio tenet mulierem; fluxus sanguinis per plures dies (10-15) sequitur ob placentam ab utero separatam; uterus vero, peracto partu, statim contrahitur. Post sex hebdomadas vel duos menses volumen fere primitivum (h. e. quod habebat ante partum) acquirit. Tempus, quod statim partum sequitur, *puerperii* dicitur; hoc tempore mulier particularibus curis indiget.

Interea, tempore praegnationis et circa quintum mensem, mulieris ubera crescunt volumine et praeparant confectionem lactis. Altero vel tertio die post partum ubera dura fiunt, dolore afficiuntur et febris, quae *a lacte* dicitur, apparet, quae ordinarie post viginti quatuor horas cessat; tunc lac secernitur, quod in principio sat li-

quidum est et improprium ad nutriendum fetum, et *colostrum* appellatur; attamen, paullatim, nonnullas mutationes patitur et verum lac fit.

Tempore lactationis, ordinarie, menstrua suspenduntur; cessata lactatione, lac paullatim minuitur et regulae reapparent. Si vero menstrua ante finem lactationis fluere incipiunt, secretio lactis *plerumque* minuitur. Inspectis relationibus inter fecundationem et menstrua, dicendum est, tempus lactationis minus aptum esse ad novam fecundationem. Tamen, cum exempla fecundationum hoc tempore non desint, tempus indicatum non absolute, sed valde relative est accipiendum. Si conceptio fit, lac item paullatim minuitur, prout fetus evolvitur, donec omnino cessat.

242. Quod vero spectat signa praegnationis, dicendum est indicia *certa*, ex quibus affirmari possit agi de praegnatione, primis tribus mensibus non adesse, quia mutationes, quae hoc tempore fiunt, alias causas a praegnatione habere possunt.

Attamen signa praegnationis distingui solent in *praesumptiva*, quae, sicut notantur in praegnatione, etiam in nonnullis morbis mulierum habentur; *probabilia*, quae manifestantur *plerumque* in muliere praegnante et *quasi certa* haberi possunt; *certa*, demum quae omne dubium auferunt de vera praegnatione.

Inter *signa praesumptiva* censentur sensus languoris, quaedam debilitas generalis, depressio spiritus, capitis ac dentium dolores et vomitus, praesertim matutinus. Etsi minimae significationis sint haec indicia in primiparis, sat utilia sunt in multiparis.

Inter *signa probabilia* primum locum tenet suppressio menstrui, cum antea mulier regularia menstrua habebat. Notandum vero, etiam ob alias causas menstrua posse cessare et, etiam tempore praegnationis, posse *semel* vel *bis* apparere [1], quia, ordinarie, quando pluries fluxus sanguinis in praegnantibus observatur, non refertur ad menstrua, sed ad haemorrhagias uterinas diversae omnino naturae. Ad haec accedunt *mutationes in genitalibus* et, partim, magnitudo ventris et uteri (qui ceterum ex aliis causis crescere potest), maior secretio vaginae et uberum turgor, quae etiam lac secernere possunt; at haec secretio lactis, etsi signum valde probabile sit praegnationis, tamen non indicat absolute fecundationem habitam; nam certum est

[1] Cuzzi, *Op. cit.*, pag. 355.

aliquando mulieres, post partum, servare lac in uberibus per plures menses, immo et annos et totam vitam; aliquando mulieres, quae nunquam conceperunt et variis morbis uteri, ovariorum, tubarum et peritonei patiebantur, subiectas fuisse huic lactis secretioni, quae renovari potest, quoties inflammationes praefatae iterum locum habent. Insuper litteratura medica nobis servat plura exempla puellarum, quae, aetate octo annor. et ultra, aliquando tantam copiam lactis habuerunt, ut etiam infantes per plures menses lactare potuerint. Iam innuimus superius viros etiam et pueros habuisse aliquando magnam lactis secretionem, qua etiam infantes lactare facile potuerunt [1].

Inter *signa certa* adnotanda sunt: 1° *exploratio interna* per medicum aut obstetricem facienda, ex qua cognosci potest praesentia fetus in utero; tamen possibilis esse potest deceptio ob nonnullos morbos, qui effectus similes producere valent; 2° *motus fetus activi*, qui, cum certo cogniti sint, certam praegnationem indicant; 3° *pulsationes cordis fetus* per stetoscopium praesertim audiendae [2].

243. Pro praxi optime servient signa sequentia pro singulis trimestribus distributa, quorum nonnulla dubie praegnans ex se noscere non valet [3].

Primis tribus mensibus *probabiliter* praegnatio nosci potest cum *simul* adsunt quatuor signa, ex doctore Ziino, nempe 1° suspensio menstruorum; 2° turgor uberum ac maior eorum sensibilitas in areolis; 3° color vinaceus mucosae vaginalis; 4° uteri maior evolutio.

Sequentibus tribus mensibus, praegnatio *certa* cognoscitur ex motibus fetus eiusque cordis pulsationibus [4].

Ultimis vero tribus mensibus praegnatio evidens est ex ampliato ventre, ex modo incessus mulieris, aliisque indiciis, quae ex se prae oculis occurrunt et praegnationem certo indicant.

---

[1] Brouardel, *Op. cit.*, pag. 215-217.

[2] Cuzzi, *Op. cit.*, vol. I, pag. 326.

[3] Haec signa non inutilia esse possunt Confessariis; non raro enim apud eos confitentur puellae, praesertim, quae alienis domibus inserviunt, quae ob crimen praegnantes esse valde timent; et, si valde nervosae vel hystericae sint, vel magno rubore affectae, potest adeo perturbari earum animus et mens ut vel abortum sibi procurent vel finem vitae per suicidium sibi parent. Cum vero saepe puellae, ex prima copula non evadant gravidae, confessarius, sat prudenter interrogando, plerumque poterit earum statum cognoscere, animi quietem ipsis inducere et peiora crimina impedire.

[4] Ziino dr. G., *Compend. di medic. leg. e giurisprud. medica*, 2ª ediz., Napoli, vol. I, pag. 326.

B. — De praegnatione extrauterina

244. Cum loca evolutionis extrauterinae fetus plura sint, sequentes eiusdem in praxi distinguuntur casus:

a) Praegnatio potest esse *tubaria,* si ovulum fecundatum, ob varias causas (polypi, stenosis, mucus) sistit in tubis. Si moratur in parte media tubae, praegnatio dicitur *tubaria-vera;* si moratur iuxta os tubae, quod aspicit abdomem, praegnatio appellatur *tubo-abdominalis;* si postremo moratur iuxta os tubae, quod uterum prospicit, habetur praegnatio *tubo-uterina.* Ex omnibus extrauterinis praegnationibus, praegnatio tubaria frequentior est;

b) Si ovulum fecundatum non egreditur e vesicula, quia os eruptum vesiculae est nimis angustum, ibique incipit suas mutationes, habetur praegnatio *ovarica;* hoc in casu ovulum potest in ovario persistere, vel, post aliquod tempus, inde exire et in cavo ventris suam evolutionem pergere, dum in ovario tantum inserta invenitur eius placenta;

c) Si ovulum fecundatum, post exitum e vesicula, non ingreditur tubas, potest in cavitate abdominis sistere, ibique sese evolvere: tum praegnatio *abdominalis* nuncupatur.

245. Plerumque praegnationes extrauterinae ante tempus finem habent, ob scissionem membranarum fetum involventium; aliquando fetus perfectam evolutionem prosequitur; sed, ut patet, nasci non potest. In utroque casu in magno constituitur discrimine vita matris.

In omnibus huiusmodi praegnationum casibus, uteri mucosa in caducam vertitur et aliquantum augetur, sicut fit in primis hebdomadis praegnationis uterinae.

Praegnatio uterina et ectopica possunt simul existere; pluries enim simul observatae fuere.

246. Causae, quae extrauterinam praegnationem inducunt, plurimae sunt. Notandum in primis, nemaspermata posse, praesertim ob motum sibi proprium, ex tubis in quamlibet partem cavi abdominalis pervenire, ut experientia constat. Hoc praemisso, omnes ectopicae praegnationes facile intelliguntur; ovulum enim potest impediri, quominus in uterum descendat, ob nimiam angustiam oris producti ex ruptura vesiculae Graaf, tunc ex ovario non decidit, ibique potest fecundari et se se evolvere; vel ovulum, cum pervenerit in uterum,

ibi minime sistit, sed oppositam tubam ingreditur, ubi evolutionem patitur; vel ob obstructionem canalis tubae ex latere, quo fit eruptio vesiculae, nemaspermata possunt ex altera tuba extra uterum permeare usque ad fecundationem ovuli vesiculae iam eruptae; vel ob absentiam, vel diminutionem muci vel motus vibratilis epithelii tubae, vel ob deficientiam liquidi serosi abdominalis, vel ob quamlibet deviationem, quam patitur in eius descensu, plerasque alias causas, ovulum non valet in uterum pervenire; item potest fieri ut quaevis angustia vel aliquis polypus tubae impediat descensum ovuli in uterum, minime vero transitum spermatis, quod illud fecundat in tuba ipsa. In omnibus his aliisque casibus similibus, potest ovulum fecundari et praegnatio evidenter extrauterina esse debet.

Aliquando vero fit ut ovulum fecundatum, ex utero, ob aliquam eius scissuram (puta operationem chirurgicam nondum clausam), in cavitatem abdominis transeat, praegnationem extrauterinam inducens. Uti clare perspicitur, praegnatio extrauterina uterum supponit; uterus enim est via necessaria ad transitum spermatis; et cum uterus a nativitate abest, ut aliquando evenit, etiam caetera interna organa generationis gravissimas anomalias prae se ferunt; quod excludit omnino ectopicam praegnationem; cum vero uterus absit per operationem chirurgicam, item redditur impossibilis praegnatio ectopica, quia, peracta ablatione, suturatio peritonei et vaginae, quae fieri debet saltem *tempore secundario,* impedit quamcumque communicationem vaginae cum cavo ventris, ac ideo transitum seminis. Bini casus vero, quos referunt doctores Lecluyse et Koeberlé, nihil infirmant conceptum praegnationis extrauterinae, qualis in obstetritia et gynecologia traditur; nam, in primo casu, mulier operationem caesaream passa fuerat et incisio uteri nondum clausa erat, immo longitudinem 4 cm. servabat; per hanc scissionem ovulum fecundatum ex utero in ventrem penetravit, praegnationem abdominalem inducens; mulier vero ob operationem vitam amisit. In altero vero casu, Koeberlé non totum uterum abstulerat, et in parte [1], quae remanserat, ortum habuit fistula, per quam semen debuit transire. Quam ob rem, hi duo casus constituunt tantum veram anomaliam operationis peractae. Immo doctor Pozzi, de casu Koeberlé loquens,

---

[1] Schroeder, *Op. cit.*, pag. 405.

clare dicit dictam praegnationem constituere anomaliam seu irregularitatem operationis, quae nunquam debet accidere [1].

247. *Progressus* praegnationis *tubariae,* quae ut typus harum praegnationum haberi potest, sat varius est; nam saepe, in secundo vel tertio mense, membranae fetus scinduntur et haemorrhagia fit, quae matris mortem per anemiam afferre potest; vel, si fluxus sanguinis fit in parvis cavitatibus abdominis, minime ordinarie matris mors sequitur, quia parvae cavitates, cum sanguine repletae sint, pressionem exercent in vasis sanguineis laceratis, quae ulteriorem haemorrhagiam impediunt; oriuntur tamen tumores a sanguine coagulato, quales ex. gr. haematoceles retrouterinum et haematoma. Ruptis membranis, fetus moritur et paullatim resorbetur.

Si vero membranae scinduntur extra locum, quo inseritur placenta, plerumque mors matris non sequitur; at fetus in abdomem transit, ubi perfectam evolutionem consequi potest aut moritur. Si vero membranae non scinduntur, fetus pariter moritur, et tunc resorbetur, vel plures mutationes particulares patitur, vel suppurationem inducit.

Fetu extrauterino semel mortuo, uterus expellit caducam cum haemorrhagia. Quod si praegnatio tubaria statutum tempus assequitur, vivente fetu, ut patet, uterus contractiones vehementes patitur, et fiunt graves haemorrhagiae in placenta, ob quas fetus moritur. Mortuo fetu, producuntur ordinarie suppurationes et inflammationes membranarum, quae communicantur peritoneo matris, peritonitem cum morte matris afferentes; aliter (at rarius) fetus rugosus fit ac tegumento duro obtegitur (*calcificatio*); quo in casu talis fetus *lithopedion* dicitur, et per plures annos gestari potest absque incommodo, nec praegnationem uterinam impedit [2]. At notandum lithopedion, etiam plures post annos, valere suppurationes et inflammationes gignere cum morte matris. Saepius vero fetus mortuus resolvitur, et eius fragmenta paullatim emittuntur per rectum intestinum, per vesiculam urinariam, per vaginam vel (rarius) per foramen in ventre sponte sua factum.

---

1 Pozzi, *Tratt. di ginecologia clinica e operatoria.* Milano, Vallardi, trad. Spinetti, pag. 279.

2 Schroeder, *Op. cit.*, pag. 416 et seq.; Schauta, *Op. cit.*, pag. 569; Max Runge, *Op. cit.*, pag. 259.

Ceterae extrauterinae praegnationes plus minus easdem anomalias ac praegnatio tubaria prae se ferunt.

Ex dictis liquet praegnationem extrauterinam mortem matris saepissime afferre; iuxta Schauta, casus mortis sunt 68,8 % [1]; quoad fetus, paucissimi e ventre matris vivi habiti fuere [2].

248. Quod vero spectat signa huiusmodi praegnationum, dicendum est primis mensibus nil certi haberi posse; secundo tempore praegnationis facilius diagnosis fit, quia per tactus adverti possunt variae partes fetus et motus cordis.

Quod demum attinet praxim obstetricam in his casibus, inferius loquemur.

C. — De falsis praegnationibus

249. Nomine *falsae praegnationis* intelliguntur omnes illae proprie dictae praegnationis apparentiae, quae mulieres in opinionem inducere valent se esse vere praegnantes, cum re nullam patiantur praegnationem.

Haec ita fieri possunt: aliquando ovulum fecundatum, post aliquod tempus regularis evolutionis, moritur, et placenta ceteraeque partes fetus ita adcrescunt, ut *molae carneae* gignantur (vid. inferius).

Aliquando vero ob imperforationem hymenis aut occlusionem colli uterini, sanguis menstruus, cum nequeat fluere, in vagina vel utero manet, qui tamen magis magisque augetur, ita, ut per aliquot menses, praegnationem normalem fingere possit. Chirurgus vero facile hanc anomaliam cognoscit ac removet. Aliquando vero in utero gas nonnulli cumulantur (*tympanites uterina*); tunc uterus inflatur, praegnationem item simulans, cuius absentiam quidem optime noscitur ex sonitu per percussionem ventris obtento.

250. In feminis vero nonnullis *praegnationes imaginariae* non raro notantur. Hoc contingit saepius apud mulieres, quae proximae fiunt menopausae, vel apud innuptas valde nervosas, irritabiles, et hystericas, vel apud illas, quae, cum amiserint primos liberos, desiderio cruciantur alios habendi, vel apud eas, quae orbatae primo

---

[1] Schauta, *Op. cit.*, pag. 578.

[2] Max Runge, *Op. cit.*, pag. 262.

marito, putant se esse debere fecundas cum altero viro. Hae mulieres vehementer cupiunt matres fieri; et adeo cogitatio maternitatis eorum mentem perturbat ac agitat, ut cito in firmissimam suasionem veniant se debere esse praegnantes, etsi menstrua regularia et persistentia penitus sint; praeterea omni studio quaerunt medicum suadere de hac supposita praegnatione. Haec earum mentis persistens cogitatio eo magis adcrescit, cum observant ubera augeri, vomitus apparere, nausea se laborare, desideria praegnantium (*voglie*) experiri. Attamen, hoc cum desiderio diu et inaniter tempus, expectando infantem, terunt, qui tamen numquam oritur, cum nonnisi in earum turbata mente praegnatio sit.

Quum vero in hac imaginaria praegnatione menstrua desunt, tunc expectandum est tempus, ad auferendum omne dubium, quo possunt pulsationes cordis fetus audiri, h. e. quintum mensem.

Oppositum locum habet in mulieribus, quae cum nolint infantes habere, mente sibi fingunt se esse praegnantes. Perturbatio haec psychica adeo potest vehemens esse, ut etiam menstrui carentiam secum ferre valeat [1].

---

[1] Surbled, *Op. cit.*, *La vie sexuelle*, pag. 176; Velpeau A., *Trattato completo di Ostetricia*, trad. di G. Coen, Venezia 1837, pag. 126 et seq.

CAPUT XIX.

DE TEMPORE ANIMATIONIS FETUS

251. Haec quaestio maximi momenti est, quia per ipsam noscere oportet quo tempore, peracta fecundatione, anima infundatur in fetu, et proinde fetus verus homo dici debeat. Cuius notio strictissime connectitur cum iis, quae referuntur ad abortum et ad baptismum conferendum infantibus, nondum natis, aut nondum expleto tempore suae evolutionis, ut eorum aeterna salus procuretur. Hanc tamen quaestionem breviter tractabimus.

252. Praetermittendum nobis omnino videtur, quod de *origine* animae humanae antiquiores philosophi opinabantur et affirmare nobis sufficit, ut catholica tenet theologia et philosophia, animam humanam infundi in singulos homines per creationem a Deo peractam; qua re animae humanae origo divina est tribuenda.

253. Attamen de tempore huius creationis et infusionis diu et acriter disputatum fuit.

Nonnulli enim, Aristotelis et Plinii auctoritate ducti, opinabantur fetum, si masculus, quadragesimo, si femina octogesimo die animari; alii vero tuebantur omnes fetus indiscriminatim quadragesimo die formatos et animatos esse; Hippocrates et Galenus docebant tunc fetum animari, cum corpus perfecte formatum esset, quod, iuxta illos, plerumque contingit diebus triginta in masculis et duobus supra quadraginta in feminis; nonnulli alii vero contendebant animam non infundi, nisi post tertium vel quartum mensem a conceptu; non defuerunt etiam qui ut medium tempus proponerent, scilicet post sexagesimum diem omnem fetum, tam masculum quam feminam, esse animatum, et qui talem animationem fieri spatio trium dierum a

conceptione tenerent [1]. Ex omnibus his sententiis, sententia aristotelica usque ad saeculum ultimum praevaluit nimis in scholis, quam et nonnulli, veteris scholae sectatores, adhuc in praesenti tenent. Nostra vero aetate et post accuratiora embryologiae ac physiologiae studia, aristotelica sententia amplius sustineri non potest et dicendum est omnem fetum animari in ipso instanti conceptionis, scilicet statim ac effecta est fusio utriusque pronuclei. Quod quidem probatur 1° ex praxi Ecclesiae, quae, in nonnullis quaestionibus, novis scientiarum experimentalium inventis semper sese accomodare consuevit, quaeque et in hac questione infusionis animae in fetu, recentioribus inventis se se accomodavit et 2° ex scientia embryologica.

254. Quoad *primum*, antiqua est distinctio conceptionis *activae* et *passivae* vel *primi* et *alterius instantis* conceptionis, intelligendo pro *primo instanti* congressum viri cum femina ac proinde fecundationem ovuli et pro *altero instanti* infusionem animae in corpus iam dispositum ad eam recipiendam. Haec vero infusio, secundum aristotelicam doctrinam, erat, ut iam diximus, post quadraginta dies a conceptione in masculis et post octoginta in feminis. At haec distinctio, cum nullo omnino fundamento nitatur, admitti amplius non potest; immo contrarium evincitur, si inspiciamus doctrinam Scripturarum, cum loquuntur de conceptione humana, et praxim Ecclesiae. In Scripturis enim non pauca loca invenimus, ex quibus deduci facile potest infusionem animae fieri statim ac peracta sit fecundatio. Ex. gr. Iob, tot oppressus calamitatibus et doloribus, maledicit *nocti,* in qua *conceptus est homo* [2]; item David, poenitentiam agens de peccatis commissis, ad minuendam quodam modo culpam coram Deo, quam patraverat ac confessus fuerat, ait: « ecce enim in iniquitatibus *conceptus sum* et in peccatis *concepit me* mater mea » [3]. Si hae locutiones non sunt accipiendae eo sensu, quo eruitur creatio et infusio animae illico, peracta scilicet fecundatione, nempe in primo instanti, nullum sensum habent; nam quomodo posset dici *hominem conceptum* fuisse in nocte, si anima rationalis post quadraginta dies creanda et infundenda fuisset, scilicet si ageretur de secundo instanti? — Item in festo Immacul. Concept., Ecclesia in officio canit: « *Immaculata Conceptio* est *hodie* Sanctae Mariae Virginis »

---

[1] Cfr. Zacchia, *QQ. medico-legales*, l. 1, tit. 2, q. 9, n. 19-24.

[2] Iob III, 3.

[3] Psalm. L, 7.

et « *hodie* sine ulla peccati labe *concepta est* Maria ». Absurdum certe esset immaculatam B. V. conceptionem tanto festo celebrare, si in Eius *conceptione* (seu cum Eius Parentes, opere maritali convenientes, elementa ad fecundationem praestiterunt), non illico fuisset creata et infusa sanctissima Eius Anima. Ratio vero precandi in Ecclesia est ratio credendi. — Idem dicitur in Evangelio de Elisabeth: « et ecce Elisabeth cognata tua et ipsa *concepit filium* » [1] etc. — Definitio demum dogmatica Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis a S. P. Pio IX, an. 1854 data, indirecte solutionem huic tanti ponderis quaestioni praebuit. Ibi enim dicitur: « Doctrinam, quae tenet beatissimam Virginem Mariam in *primo instanti suae conceptionis* fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab *omni originalis culpae labe praeservatam immunem*, esse a Deo revelatam » etc. [2]. Hic evidenter ablata fuit illa distinctio primi ac alterius instantis, scilicet inanimati et animati fetus et definitur « *in primo instanti* », hoc est, eo ipso quo compenetratio et fusio elementorum generationis, ex parte SS. Ioachim et Annae, peracta fuit, Virginem fuisse a labe originali praeservatam immunem; ac proinde animam rationalem eo ipso infusam fuisse in illud sacratissimum ovulum fecundatum; alioquin absurdum omnino esset « *in primo instanti* » dicere, si anima rationalis adhuc erat infundenda multos post dies a conceptu, cum materia ovuli, licet fecundati, sine anima rationali vivificante, incapax sit immunitatis a peccato, quod non potest contrahi, nisi ab homine, qui corpore et anima simul constituitur. Quapropter in primo instanti, idest, statim ac peracta fuit fecundatio, fuit creata anima immaculata Virginis Mariae. Quod pro Beata Virgine valet, tenendum est etiam pro omnibus hominibus; privilegium enim specialissimum Dei ad Virginem consistit in Eius praeservatione a labe originali, cum qua omnes, post Adae lapsum, nascimur et per baptismum abluimur, et non in modo divinitus privilegiato evolutionis corporis Virginis Mariae in utero S. Annae, quae evolutio, ut in ceteris hominibus, certe facta fuit iuxta leges naturales embryologiae.

255. Adde insuper Ecclesiam quotannis celebrare festum Imma-

---

[1] Luc, I, 34.

[2] Ex Bulla dogmatica Pii Papae IX: *Ineffabilis Deus.*

culatae Conceptionis Virginis 8 decemb. et Eius Nativitatis 8 septembr., interiecto scilicet inter utrumque festum novem mensium spatio, idest toto tempore, quo infans in utero matris degit. Absurdum certe esset celebrare festum immaculatae Conceptionis, si de non animato fetu ageretur ac proinde de corpore non vivente vita propria, et tantum materiali. Ergo ex mente Ecclesiae tenendum est, eo ipso, quo uterque pronucleus in ovulo compenetratur, animam rationalem infundi in corpus. Dicimus *rationalem,* quia donec in corpore anima rationalis non existit, nondum habetur homo, qui, ex una unione substantiali corporis et animae rationalis, talis efficitur [1].

---

[1] S. Basilius, S. Gregorius Nissenus et S. Cesarius admittunt animationem fetus in ipso instanti conceptionis; ipsi plene noverant intellectum non separari a sensibilitate, neque sensibilitatem a vita et animam in sua unitate satis esse ad dirigendas omnes facultates hominis. (Cfr. Surbled, *La vie sexuelle,* p. 264). — P. Zacchia, in opere supra citato, eamdem sententiam tenet ac tuetur ac nos, et utile ducimus nonnulla ex eius magistrali dissertatione transcribere. Ait (l. 9, tit. 1, q. 5, n. 101-113): « Verum peculiariter nunc circa hominem probandum a nobis est, etiam propriam ipsius animam rationalem, dico in ipso primo conceptionis momento, in cymate, vel embrione praesentem esse, omnesque ac singulas operationes vitae ab ipsa, non ab anima alia aut vegetativa, aut sensitiva originem habere, *cum una, et eadem forma sit per essentiam, per quam homo est ens actu, et per quam est corpus, et per quam est vivum, et per quam est animal, et per quam est homo:* verba sunt D. Th., p. 1, q. 76, art. 6, ad 1. Ac profecto idem animal pluribus animabus simul uno eodemque tempore, aut successive dotari, possibile nullo modo est, idem D. Th. ib. art. 3 in corp. non simul, quia ut addit idem D. Th. *Animal non esset simpliciter unum, cuius essent animae plures: nihil enim est simpliciter unum, nisi per formam unam. per quam habet res esse, ab eodem enim habet res, quod sit ens, et quod sit una.* Et licet in humano foetu conspiciantur operationes animae vegetativae, et sensitivae, non apparentibus ullis operationibus animae rationalis, ut rationalis est, non emanant tamen ab ulla Anima seorsim existente, quae tantummodo vegetativa sit, aut sensitiva, sed ab ipsa anima intellectiva, quae simul et vegetativam, et sensitivam facultatem habet; eius enim facultas est vegetare et sensum tribuere ab ipsamet anima rationali fluens, quemadmodum vegetativa est facultas etiam animae sensitivae, non alterius animae a sensitiva seiunctae, quia neque in caeteris perfectis animalibus, aut quibuscumque aliis vegetare, et sensum tribuere a duplici anima originem ducit, sed vegetativa est facultas sensitivae.

Neque item possibile est, aliquod vivens habere duas animas successive, nempe unam ante. eaque abeunte, vel corrupta, aliam tempore sequenti, manente eodem vivente, quia entia naturalia non possunt transire de uno esse ad aliud, nisi mutata forma substantiali, qua mutata vivens non est amplius idem, quod erat ante, quia compositum corrumpitur; cum enim individua constituantur in esse per propriam formam, mutata forma, mutatur eorum esse, et transeunt de uno esse ad aliud, maxime quia de necessitate, ut dictum est, illud primum vivens corrumperetur, separata forma a materia, nam nihil aliud est corruptio, nisi separatio formae a materia, D. Th. p. 1, q. 76, sup. cit. art. 4 in corp. Averr. lib. 4, *Phys. com.* 17 et lib. 4 *Caeli com.* 23. Quandocumque ergo dicatur, hominem habere plures animas successive, coacti

256. Ad haec accedit, quod Ecclesia, dum doctrina aristotelica, nullo solido physiologico vel rationali argumento fundata, vigebat de distinctione inanimati et animati fetus, leges et poenas decreverit

---

firmabimus, illum transire de uno esse ad aliud, et si cum habet animam vegetativam, est ens vegetativum, puta arbor, accedente anima sensitiva, fieret ens sensitivum, ut puta equus, ac denique accedente rationali, transiret de equo in hominem, mirabili, ac incredibili metamorphosi: quae omnia, nisi absurda sint, nihil ulterius absurdum existimandum.

Secundo, ponentes plures animas successive foetum humanum informantes ad plura alia inconvenientia se obstringunt, quae affert D. Th. p. 1, q. 118, art. 2 ad 2, apud ipsum videnda: sed quod ad evitanda praedicta inconvenientia idem Sanctus Doctor in medium producit, me in non modicam admirationem adducit: dicebat enim, quod tam in homine, quam in aliis animalibus, quanto perfectior forma advenit, fiat corruptio prioris, ita ut accedente anima sensitiva post vegetativam, corrumpatur anima vegetativa, et accedente rationali in homine corrumpatur sensitiva. Sed haec opinio (quod cum debita reverentia piissimi illius Doctoris dictum volo) patitur summas difficultates: et in brutis quidem corrupta vegetativa, docendum unde adveniat anima sensitiva; nam de foris advenire non potest; si sic enim esset, haec anima esset separata a materia, ac per se, non secus ac rationalis subsisteret, neque ab intro advenire posset, cum iam intus resideret, ac demonstrandum, an resideret ut forma animalis, vel aliter. Sed maxime in homine urget difficultas, quae sequitur, licet partim etiam pro brutis faciat. Si embrio habet in initio sui ortus animam vegetativam tantum, cum haec sit eius forma, per eam constituetur in esse, dumque accedente anima sensitiva, illa corrumpitur, totum compositum corrampi necesse est, et embrionem non esse amplius embrionem, sed embrionis cadaver: nam forma, hoc est anima corrupta, non remanebit nisi nuda seminis materia, immo ne haec quidem, quia et ipsa erit corrupta, corrupto composito, et sic omni habilitate erit destituta ad recipiendam novam animam, et evadendum in animal sensitivum: et in summa relinquetur corpus illud embrionis non secus ac remaneant cadavera quaeque anima destituta: anima igitur sensitiva successive introducenda non poterit amplius introduci in iam conceptum semen, quia iam desiit esse semen, et non solum non habebit proximas dispositiones requisitas de necessitate naturae ad recipiendam novam animam, sed omnino contrarias. In quam igitur materiam introducenda erit anima sensitiva? Neque enim dicere convenit, eam reviviscere, quia a privatione ad habitum non datur regressus: neque dicemus eundem embrionem resurgere nova anima dotatum, quia praeterquam quod hoc non naturaliter, sed ex miraculo procederet, cum resurrectio nonnisi ex miraculo fiat, viveus vegetativum, aut sensitivum, non est capax resurrectionis, stante quod eius anima ad destructionem compositi illico corrumpatur, et evanescat, unde nunquam poterit esse idem animal, quod erat prius, quale oportet ut fit animal per resurrectionem ad vitam revocatum.

Praeterea si corrupta anima vegetativa, in eadem materia succedere debeat anima sensitiva, iam non erit idem embrio hic, qui per sensitivam animam de novo advenientem constituitur in esse cum eo, qui habebat animam vegetativam, cum unus dotetur diversa forma ab alio; unde sequitur, quod hic embrio recipiens animam sensitivam non sit germen, et partus, seu soboles genitoris, a quo semen est decisum, sed potius alterius agentis, a quo sensitiva anima traducitur. Non erunt ergo genitores, qui species per semen conservant, sed aliud agens quodcunque assignare libuerit, a quo non per semen, cum iam fuerit corruptum, corrupta anima vegetativa illud in

contra abortum procurantes, et in antiquo iure servabatur dicta distinctio, comminando poenas multo maiores contra abortum procurantes, fetu animato, et multo minores contra abortum procurantes,

---

vivens vegetativum constituente, sed per aliud quodcunque medium species animalium conservabuntur, et sic animalium generationes multo diverso modo fient, quam universi sapientes existiment. Nec minor ea difficultas est, quam supra innuebamus, nempe assignari modum, quo embrio corrupta anima vegetativa, recipiat sensitivam: nam certum est, eam cum semine non adesse, quia si adesset, non esset necessarium, eam aliunde advenire, praeterquam quod idem semen duas habuisset animas distinctas. Unde ergo adveniet anima sensitiva? Num a Deo per creationem, ut anima rationalis? Apagesis. *Nam anima sensitiva causatur a generante tanquam principali agente per semen tanquam instrumentum, et non producitur per creationem.* D. Tho., p. 1, q. 108, art. 5, in c.; num a matre, ab utero, a calido innato, a coelo, a sole, a stellis, a calore ambientis? nequaquam: haec enim omnia agentia extrinseca sunt, ut alias dictum est, et non habent, neque habere possunt huiusmodi virtutem generandi, et introducendi in corpus alienum, nimirum in genitoris semen, novam formam, veteri expulsa, nempe anima sensitiva, vegetativa abeunte, neque ullam habent communionem talia agentia cum ipso semine, per quam sint aliquo modo ipsi semini intrinseca. Impossibile igitur est docere unde embrio acquirat animam sensitivam, corrupta vegetativa. Cum vero pateat nullum ens posse habere duas animas, coacti dicemus in embrione adesse a principio animam sensitivam, licet nulla se operatione prodat, et vegetativam, quae operatur, esse facultatem ipsius animae sensitivae, non animam a sensitiva disiunctam, neque sensitivam idcirco esse ens per se subsistens, aut a materia separabilem, sed ab ipsa materia non secus ac vegetativa dependentem, et cum ipsa interituram.

Atque haec hactenus locum habent etiam in sensitivis animalibus. At cum homo debeat recipere rationalem insuper animam, et stante ea opinione, quod anima sensitiva, corrupta ante vegetativa, ad eius adventum corrumpatur, eadem inconvenientia, et maiora evenirent, quae in brutis advenire de necessitate oportere diximus. Et quia negari nullo modo potest, foetum illico atque conceptus est, vivere, et nutriri, et augeri, et postmodum sensum recipere, nulla ratio vult, illum ab alia anima, quam a rationali, haec omnia habere: consequens ergo est, illum a primo suae conceptionis momento anima rationali donari, quae licet nullas operationes ad ratiocinatricem pertinentes edat, suis tamen facultatibus, vegetativa nempe, et sensitiva, ea quae oportet fieri, in foetu operatur, opportuno deinceps tempore ea etiam operatura, quae facultatem intellectivam respiciunt.

Caeterum si quis est, qui hanc opinionem de pluralitate animarum in foetu palliare volens dicat, animam vegetativam primo ad adventum animae sensitivae, et sensitivam ad adventum animae rationalis non simpliciter corrumpi, sed cedere animae nobiliori, eique pro instrumentis inservire, manifeste videbit se ne sic quidem eam opinionem tueri posse; quia tam vegetativa, quam sensitiva anima pro forma substantiali sunt ipsius foetus ante adventum animae rationalis; itaque adveniente anima rationali, necesse est illum de uno esse transire ad aliud, et ex animali sensitivo evadere in rationale, quod fieri non potest, nisi corrupto composito, nempe animali ipso sensitivo. Unde ergo emerget rationale? quamnam viam, quamnam rationem eius metamorphosis inveniemus? Nova certe materia, hoc est, novo semine indigemus, ut inde homo compaginari possit, cum illud, ex quo sensitivum animal procreatum est, corruptum sit anima recedente, aut quomodocumque cessante ab informatione praedicti seminis. Sed demus, non corrumpi semen animatum anima vegetativa, sed incorruptum

fetu nondum animato. Constitutio vero Pii IX an. 1869, quae incipit *Apostolicae Sedis,* in qua, licet mens Pontificis esset excomunicationes limitandi, tamen in quaestione praesenti ampliatum invenimus

---

permanere, quid deinde? unde obsecro animam sensitivam recipiet? An ea de foris adveniet? minime gentium. Quid igitur? quodnam agens ad id aptum natum invenietur, sensitivam animam undecumque ereptam in semen illud intrudere, illudque ex vegetabili sensitivum animal efficere? sed unde hoc agens habere potest hanc animam, num eam ex se efformavit? sed ex qua materia efformabit? num ex nihilo creabit? oportebit igitur illud habere infinitam potentiam, cum ex nihilo possit facere aliquid: sed certum est non posse haberi animam sensitivam nisi ex traduce. Si ergo post vegetativam animal debeat recipere animam sensitivam, oportebit illam per novum semen a parentibus traduci; quod affirmare, delirare est.

At vero si iterum quis ad tuendam praecitatam opinionem dicat, animam supervenientem uniri animae iam in embrionem residenti: non minus hoc impossibile erit, cum nullam possint habere unionem tales animae, una existente alterius rationis ab altera, et maxime nefas esset firmare, animam rationalem uniri cum anima vegetativa, aut sensitiva, cum hae sint materiales et corruptibiles, haec vero immaterialis, et incorruptibilis, nulla autem unio esse possit entis incorruptibilis cum corruptibili, ita ut ex utroque, nempe ex anima rationali, et sensitiva, fiat una anima, et unum ens, una forma substantialis aliquod corpus informans.

Et si de novo instabit quis replicando, quod animae praedictae existentes in embrione cesserint in facultates animae rationalis: neque hoc dicam posse habere veritatem, cum pateat, facultates non migrare de subiecto in subiectum, ut alias dictum est, unde facultas vegetativa, quae erat in anima sensitiva embrionis, non potest transire in animam rationalem, quia facultas est animae, et huius animae facultas.

His omnibus addendum est, quod Deus, et natura semper operantur propter finem, Deus quidem ex sua libera voluntate, natura autem ex necessitate: at retardatio infusionis animae rationalis nullum potest habere finem; si quem enim posset habere, vel esset corporis dispositio, constructio, et perfectio, ad hoc ut perfectioris formae esset perfectius susceptibile, vel esset ad hoc, ut suis operationibus fungi recte posset; at neutrum finem haberi posse patet: non primum, quia oporteret multo serius animam rationalem infundi, cum corpus in termino quadraginta dierum non sit assecutum suam integritatem, et perfectionem, quinimo nihil amplius habet intra praedictum terminum, et per multos dies, ne menses dicam, subsequentes, nisi rudem quandam, et vix lynceis oculis perceptibilem partium delineationem, neque omnium, et singularum. Sed et frustratorius quoque esset alter finis recte operandi per organa iam constructa, quia vix tunc temporis ita constructa sunt, ut sensitivae animae operationibus sufficere possint; nam, quod spectat ad operationes proprias animae rationalis, neque post quadraginta dies, nec postquam infans iam, nono exacto mense, in lucem prodit, earum ullam exercere anima apta est; incassum igitur infunderetur quovis tempore permanente in utero materno foetu, imo et multo post: quamobrem procrastinatio infusionis animae rationalis vel inanis est, et ad nullum finem destinata, vel extra tempus, et non secundum exigentiam facta, neutrum autem veritati consonum est. Sed detur potuisse in hac procrastinatione infusionis animae rationalis haberi aliquem finem, et tunc docendum, cur haec infusio animae non fiat in omnibus eodem tempore: nam praetermisso quod haec infusio serius, aut maturius fiat pro foetuum ipsorum maiori, aut minori fortitudine, illud certum est, et a nullo controversum, eam citius in mare, quam in foemella fieri; unde cum non uno eodemque tempore foetus

antiquum ius, auferendo omnino illud discrimen inter fetum animatum et inanimatum, et comminando absolute excomunicationem contra « *procurantes abortum, effectu sequuto* » quocumque tempore praegnationis abortus fieret.

257. Insuper etiam in codicibus civilibus, ablato antiquo discrimine animati et inanimati fetus, graves poenae infliguntur simpliciter procurantibus abortum [1].

258. Quoad *alterum* argumentum, dicimus ex embryologia et physiologia argumenta solidissima desumi ad statuendam animationem in ipso instanti conceptionis. Statim ac enim haec est peracta, ovulum profundas mutationes patitur; dividitur enim, ut vidimus, primo in duas cellulas, postea in quatuor, octo etc., donec, ex his, tria formantur strata seu folia (ipoblastum, mesoblastum ac epiblastum), ex quibus paullatim, progressu temporis, omnia et singula organa corporis efformantur. Haec multiplicatio cellularum, quae requirit ipsarum nutritionem, supponit vitam; multiplicatio enim tantum in viventibus contingit, et morte cessat; ergo ovulum vitam iam possidet; hinc si ovulum vivit, animam supponit; ablata vero anima, mors supervenit, cum cessatione cuiuslibet manifestationis vitalis et materia paullatim in sua elementa resolvitur, quippe quae tantum viribus physicis et chemicis obnoxia remaneat. Evolutio corporis, augmentum ipsius et tota organica harmonia, quae statim in fecundato ovulo evidenter apparent, eo usque fiunt, quia subordinantur facultati sen-

---

animentur, incassum assignatur terminus communis in omnibus quadraginta dierum. Deducendum ergo ex his, quod, cum semen conceptum illico vivat, nutriatur et augeatur, id ab alia anima, quam a rationali habere non possit, quae et vegetare, et nutrire, et vitam communicare, et sensum non minus quam caeterae quaecumque viventium animae, imo multo melius potest, cum omnibus necessariis ad haec facultatibus sit instructa; unde concludendum eam in primo momento conceptionis ipsius seminis a Deo ipso creatam, et infusam praesentem esse, ac per se, non per aliam animam, sed per suas facultates conceptum nutrire, et augere, illique vitam, et sensum communicare.

Praeterea vel anima rationalis potest tanquam dotata praedictis facultatibus, vegetativa, inquam, et sensitiva, vitam et sensum conceptui communicare, vel non. Si dicamus posse, nihil obstat, quo minus idem possit ante quadraginta dies, quod potest post: non enim a corpore eas facultates adipiscitur, sed eas ex sua natura possidet. Si dicamus non posse, sequitur, corpus, etiam anima rationali praesente, ab alia anima vitam, augmentum, nutritionem, sensum recipere, quia non est verisimile vitam, augmentum, nutritionem, sensum ante quadraginta dies ab alia anima, et post quadraginta a rationali conceptui tribui.

[1] Cfr. ex. gr. in recenti codice italico poenali artic. 381-385.

sitivae animae, quae a facultate rationali separari nequit; ergo ovulum fecundatum iam anima rationali praeditum est.

259. Nec valet obiectio, quod tunc anima statu velut inerti et inactiva in corpore resideret; nam etiam in prima infantia manifestationibus psychicis anima caret, quas paullatim evolvit; etiam in nonnullis vitae statibus anima ratione non utitur, quia status corporis illam impedit, sicut evenit in sommo, in letargia, in syncope, in paralysi etc.; attamen vita adest et absque anima corpus vivum haberi non potest.

260. Neque plus tenet altera obiectio ex histologia desumpta; scitur enim, anatomice, adesse in nonnullis corporis partibus *epithelium vibratile,* cuius minutissima cilia, instar parvorum filamentorum, continuo se movent, semper eadem directione. Motus vibratilis non statim cessat cum morte hominis, sed per plurimas horas (etiam 40) perdurat, tam si in corpore epithelium remaneat, quam si ex illo auferatur et loco humido, minime acidulo, ponatur. Obiectio ex hoc allata ad hoc reducitur: cum haec specialis vitalitas epithelii perseveret absque praesentia animae, ita necesse non est animam statim post conceptionem adesse in ovulo, et protoplasmati ovuli particularis vita inesse potest. — Ad hoc respondemus: in tantum dictum epithelium in vivente hunc motum habet, in quantum subiacet actioni vitae; destructo enim semel eius motu, quod quidem obtinetur occidendo protoplasma (ex. gr. mediante alcool), motus amplius non redit; et si etiam post aliquod tempus a morte, motus perdurat, hic pendet a materiis nutritivis, quas cellulae habent et ob quarum usum vita physica protoplasmatis aliquod tempus servatur.

Praeterea notum est, singula elementa anatomica corporis non statim eodem tempore mori, h. e. resolvi, quo mors venit, sed eorum proprietates plus minus perseverare; hinc, propter electricitatem, musculi cadaveris contrahuntur, propter iniectionem haberi potest genitalium erectio, motus cordis etc.; sed omnes isti effectus sunt tantum physico-mechanici; et quum semel disparuerint et anima corpus reliquerit, omnes istae excitationes minime valent vitam revocare; ex quo etiam desumitur vitam non esse proprietatem materiae, sed ab ipsa omnino independentem. Quid ergo mirum si dictum epithelium vibrare pergit, etiam post aliquas horas a morte?

261. Neque pluris est facienda alia obiectio, quae ex parvitate ac informitate ovuli fecundati produci potest; dicitur enim: quomodo

anima in materia informi primo tempore praegnationis et adeo minimi voluminis existere potest?

Ad hoc respondemus, quod animae, quae est substantia simplex, indifferens est plus minus extensum; et eo modo, quo vivificat embryonem trium mensium et ultra, infantiam, virilitatem et senectutem, ita primissima tempora hominis vivificat; alioquin oporteret dici animam concrescere corpori, quod naturae simplicitatis substantiae spiritualis omnino repugnat. Dein falsum est asserere ovulum fecundatum velut quoddam amorphum esse; nam, si microscopico examini subiiciatur, primis diebus vel horis a fecundatione, facile videntur vere mirabilia indicia organorum compositionis; et sapientia Dei non minus in maximis, quam in minimis perspicitur; quod simplex oculus non videt, per physica instrumenta plene videtur.

262. Quam ob rem, ex omnibus hucusque dictis, liquet animam humanam rationalem per creationem infundi in corpus in ipso instanti conceptionis, idest cum utrumque elementum generativum simul commiscetur, et ovulum, hac mixtione peracta, novas proprietates acquirit et statim initia apparent formationis novi hominis [1].

---

[1] Plura de hac quaestione vide penes Zacchiam, *Op. et loc. cit.*, q. 4 et 5.

CAPUT XX.

DE TERATOLOGIA.

263. **Teratologia** (τέρας = monstrum; λόγος = sermo) versatur circa studium cuiuslibet anomaliae, quae notatur aliquando in corpore hominis; corpus enim humanum non semper praebet omnia regularia organa, anatomice et physiologice, quae constituunt hominem vere normalem, et saepe prae se fert plures, maioris vel minoris momenti, irregularitates, monstruositates, deviationes a typo normali, quae necessario inducunt non parvas mutationes physiologicas.

264. Causae, quae afferunt hasce anomalias, plures sunt et nondum omnes rite notae; aliae enim sunt *praecedentes* fecundationem, aliae *consequentes*. Ex causis *praecedentibus* praecipuae sunt: status anatomicus, physiologicus et morbosus parentum, ex. gr. eorum status debilitationis, alcoolismus, hereditas, qua plures anomaliae parentum ad filios transmittuntur, status seu conditiones physicae ovuli vel nemaspermatis vel utriusque. — Ex causis *consequentibus* fecundationem, potiores sunt: actio nervei systematis, quod, ob causas morales commotum, potest adducere mutationes in circulatione fetus et in contractionibus uteri, pressiones mechanicae externae, nonnulli morbi fetus eiusque membranarum, funiculus umbilicaris, qui potest plures corporis partes circumdare et coarctare, evolutio plurium fetuum uno eodemque utero, particulares deviationes, suspensiones et mutationes evolutionis ipsius etc.

Anomaliae, quae observantur in homine, possunt afficere unum vel plura organa, et esse leves vel graves.

265. Hoc studium maximi momenti est non tantum medicis, chirurgis et obstetricibus, sed etiam Clero, praesertim cum agitur

de baptismo conferendo et matrimonio ineundo. Hinc nostrum studium limitamus: *A) ad hermafroditas, B) ad anomalias,* quae notantur frequentius in organis generationis in utroque sexu, et *C) ad monstra.*

A. — De hermaphroditismo.

(*quatenus refertur praesertim ad matrimonium*).

266. *Hermaphrodita* (Ἑρμῆς = Mercurius; Ἀφροδίτη = aphrodites, Venus) [1] stricto sensu, dicitur qui simul habet organa essentialia generationis maris et feminae bene evoluta, idest veros testes et vera ovaria una cum partibus adnexis, ita ut possit nunc fecundare feminas, nunc fecundari a maribus aut ex se fecundari. Veri hermaphroditae, ita intellecti, in specie humana minime exstant [2]. Verum quidem est in specie humana aliquando inventum fuisse hermaphroditismum completum; at hoc tantum in partibus exterioribus corporis apparebat [3], intus vero reliqua organa deerant; quapropter hermaphroditismus tantum apparens erat et non realis.

267. Casus hermaphroditismi in homine ad sequentes classes reduci possunt:

1.° *Androgynia* (ἀνήρ = vir; γυνή = mulier), scilicet homo mas est, sed videtur mulier;

2.° *Gynandria,* scilicet homo femina est, sed videtur vir;

3.° *Hermaphroditismus neuter,* scilicet homo nec mas nec femina est.

268. In *primo casu,* satis raro, adsunt testiculi, non in scroto, sed in cavitate abdominis, parvus penis cum canali uretrali, qui in eius parte inferiori aperitur (hypospadia), scrotum divisum in duas partes, bina magna labia simulantes, species quaedam canalis vaginalis, qui finire videtur in specie uteri (qui est prostata), ubera sufficienter evoluta, defectus pilorum in locis, ubi abundare solent, vox et incessus feminei. Noscuntur huius speciei certo quatuordecim

---

[1] Ens mytologicum, natum e Mercurio et Venere et habens organa genitalia maris et feminae.

[2] Debierre, *L'Hermaphrodisme*, Paris 1891, pag. 130; Brouardel, *Op. cit.*, pag 19.

[3] Cfr. Beclard I., *Traité élémentaire de physiol. humaine,* IV edit., Paris 1862, pag. 1069; vide etiam pag. 1108.

exempla, ex quibus duo habita fuere anno 1869; agebatur de duabus puellis sororibus, quibus nomina Leopoldina et Aemilia Pecchioni: habitae fuere per plures annos ut feminae, et postea, inspectione medica accedente, cognitae fuere mares.

269. In *altero casu*, characteres sunt: longitudo clitoridis (quae, flaccida, etiam sex cm., erecta, sicut in viro, esse potest), subtus saepe sulcus sicut uretra, e lateribus bini sacci continentes duo corpora ut testiculi, quae sunt ovaria, vulva, in medio coniuncta, scrotum simulans. Ita fuit, ex. gr., Maria Iosepha Piotto, anno 1865, quae, post mortem, inventa fuit habuisse vaginam, uterum, tubas falloppianas proprio loco; testiculi vero deerant; talis fuit etiam Maria Magdalena Lefort (1864), quae habitum, evolutionem laryngis, vocem, barbam et pilos omnino viriles, clitoridem 7 cm. cum uretra subtus imperforata, magna labia 10 cm. long. et menstrua regularia habebat; intus inventa fuere, post mortem, ovaria, uterus, tubae et vagina. Huius hermaphroditismi speciei plurima exempla certo noscuntur.

270. In *tertio casu*, in homine adest magna confusio sexuum et proinde agitur de maiori monstruositate; possunt adesse uterus et binae tubae, quarum una finem habet in testiculo, altera in ovario, penis imperfectus erectilis et vagina duorum pollicum (v. gr. in Maria Derrier an. 1836), aut, sicut in casu doctoris Orfila, possunt inveniri penis, testiculi, scrotum, organa feminea bene evoluta, menstrua regularia, et, recenter, quaedam bene coibat instar feminae cum erectione penis et bis gravidata evasit [1]. Plurima exempla certa noscuntur.

Huic hermaphroditismi classi referendi sunt: — *a*) casus hermaphroditismi *bilateralis*, in quo utraque sexualis glandula, h. e., testis et ovarium, in utraque parte abdominis adest; — *b*) casus hermaphroditismi *unilateralis*, in quo utraque glandula sexualis in uno tantum latere adest; — *c*) casus hermaphroditismi *alternantis*, in quo in uno latere ovarium, in altero testis adest; ita, ex. gr., in casu, a doctore Berthold observato, in dextro latere aderant vas deferens, testis, epididymus, in sinistro vero uterus unicornis, tuba falloppiana, ovarium et paraovarium. In his casibus notandum, ovarium semper

---

[1] Filippi A., Severi A., Montalti A., *Manuale di Medicina legale conforme al nuovo Cod. penale*. Milano, Vallardi, Vol. II, pag. 531 et ss.; Ziino dr. G., *Compendio di Medicina legale e giurisprudenza medica*, 2ª ediz., Napoli, vol. I, pag. 299 et ss.

atrophicum fuisse. Catarina Hohman recentissimus casus fuit hermaphroditismi alternantis [1].

271. Pauci tantum hermaphroditae, post mortem inspecti, aut unum testem et unum ovarium habebant aut utrinque testem cum ovario; in omnibus casibus partes exteriores genitalium semper maxime deformatae apparent et ad generationem impotentes evadunt [2]; saepe hi hermaphroditae ante pubertatem moriuntur [3].

Causa hermaphroditismi, cuiuscumque speciei sit, tota embryologica est, et pendet ex anomalia evolutionis illarum partium, quae, in principio nullius sexus aliquo modo apparentis, progressu temporis, mutantur prout unum vel alterum sexum fetus retinere debet. (Cfr. *de matrimonio hermaphroditarum* in altero volumine).

272. Aliquando etiam herniae ovaricae, cum coniunctae sint cum quibusdam deformitatibus apparentibus genitalium, errorem inducere possunt de vero sexu personae, saltem usque ad certam aetatem, et hermaphroditismi quamdam speciem prae se ferre. Hoc accidit Mariae Germain, quae, usque ad decimum sextum aetatis annum, ut mulier habita fuit; quum vero foveam quamdam saltu transiisset, testiculi statim descenderunt et vir illico facta fuit. Ovaria, sicut viriles testes, possunt per canalem inguinalem in inguine sistere, quae optime testiculos et virilem sexu simulare valent. Puella quaedam 24 annor., ob herniam in utroque inguine, pro ovario habitam (menstrua vero aberant), ut vera puella ab omnibus habebatur. Ablatio herniae et eiusdem examen microscopicum ostendit de veris testiculis agi ac proinde de viro [4].

273. Quaecumque sit species hermaphroditismi, inspectio medica semper necessaria est ad verum sexum cognoscendum in omnibus illis casibus, in quibus hic diiudicari potest. Praeter sexuales externos characteres, etiam complurima alia elementa diligenter inspicienda sunt, ut ex. gr. evolutio barbae, natura vocis, ratio seu modus instinctus sexualis, menstrua si adsunt, incommoda, quae saepe ex absentia fluxus sanguinis menstrui, oriuntur, vicaria menstrua

---

[1] Perls,, *Man. di patolog. gener.*, 2ª ediz., Napoli, P. II, pag. 284. — Vide etiam Garnier P, *La Stérilité hum. et l'hermaphroditisme*, Paris, pag. 401 et ss. — Guinard L., *Précis de teratologie*, Paris 1893, pag. 322 et ss.

[2] Debierre, *Op. cit.*, pag. 129; Guinard, *Op. cit.*, pag. 330.

[3] Capellmann dr. C., *Medicina pastoralis*, 3ª edit. lat., Parisiis 1893, pag. 169.

[4] Garnier P., *La stérilité humaine et l'hermaphroditisme*. Paris, pag. 276.

et cetera huiusmodi, quae afferre possunt *non inutilia* argumenta pro statuendo sexu. Ceterum, vera natura internorum organorum, nonnisi post mortem per examen cognosci certo potest. Omnes hermaphroditismi species nonnisi particulares deviationes sunt in evolutione embryologica organorum generationis, ut iam diximus, et saepe etiam magis implexus hermaphroditismus evadit ob praesentiam herniarum, quae possunt facile haberi vel ut testiculi vel ut ovaria, vel ob excessivam evolutionem nonnullarum partium genitalium externarum, vel ob irregularem evolutionem alicuius harum partium, quae facile errorem inducere possunt; ad haec accedit hypospadia, quae femineum sexum simulare valet; scrotum enim saepe bifidum est, ita ut pro vulva haberi possit, in cuius parte media aliquod infundibulum, vaginam simulans, adesse etiam possibile est; clitoris nimis evoluta apparet; testes possunt abesse exterius, sicut fit in androgynia. Varii casus hermaphroditismi aliquando maximam difficultatem praebent de vero sexu personae, et saepe medici ipsi peritissimi se se fallunt, cum nonnisi post mortem possibile sit interna organa vere cognoscere; ex quo non semel factum est, ut hermaphroditae, habitae ut feminae, cum veris feminis nuptias inierint et vice versa, quorum verus sexus tantum per autopsiam post mortem perfecte cognitus fuit. Studium hermaphroditismi, saepe, ut iam dixi, difficile et satis implexum, necessarium est, ad praecavendos tot errores, qui, relate ad matrimonium, accidere possunt.

274. Sed in hac tanti momenti quaestione, nonnulla alia addere valde in praxi iuvabit. Ex dictis patet hermaphroditismum posse distingui: 1° in *hermaphr. internum,* et 2° in *hermaphr. externum.*

275. In *primo* casu, organa essentialia differentis sexus, ovaria et testes, raro adsunt in eodem subiecto; attamen plura exempla contraria huius noscuntur; Heppe enim (1870) refert de quodam infante duorum annor., qui habebat utrinque ovarium et testem; Rokitanski (1869) observavit hermaphroditam quemdam, habentem duo ovaria et testem; frequentius vero notantur duo testes et unum ovarium; frequentissime demum adest ovarium et testis; in his casibus possunt adesse tuba, epididymus, canalis deferens etc.

276. In *altero* casu, prout praevalent organa externa maris vel feminae, distinguuntur *typus masculinus* et *typus femininus* hermaphroditismi.

277. *Typus masculinus* frequentior est, quam femineus et, iuxta doctorem Brouardel, ex centum casibus, nonaginta sunt huius typi.

Hic typus reducitur essentialiter ad casum hypospadiae, coniunctae cum fissura scroti, ex quo fit ut habeatur species quaedam vulvae et vaginae plus minus evolutae. In hisce casibus, penis, atrophia affectus, longitudinem acquirit 1-6 cm.; glans imperforata tegitur partim a praeputio inferius scisso, quod parva labia fingit; vestigium vaginae caret plicis transversis; testes inveniuntur in ventre vel in canali inguinis, et, aliquando, etiam in plicis pellis, quae simulant magna labia.

278. *Typus* vero *femineus* consistit in exaggerata evolutione organorum externorum; clitoris potest longitudinem habere 7-8 cm.; magna labia, simul coniuncta, simulant scrotum; quae, si non perfecte cohaerent, ostendunt canalem satis angustum, aliquando communicantem cum cavitate, quae uti vagina haberi potest.

279. Superius dixi, in examine hermaphroditarum inspicienda esse etiam nonnulla signa externa, quae *non inutilia* esse possunt. At notandum, haec omnia signa externa, separatim sumpta, nihil vel fere nihil deponere circa verum hermaphroditae sexum; et tantum cum simul collecta habeantur, una cum inspectione physica genitalium, *non spernendum* argumentum de vero sexu esse valent. Signa externa, quae hic notamus, iuxta doctorem Brouardel, nonnulla sunt simpliciter *probabilia,* quae scilicet inducunt aliquam *probabilitatem* de vero sexu, nonnulla vero sunt *longe probabiliora*, vel, ut ipse doctor vocat, signa *minoris incertitudinis,* ex quibus tamen, ut patet, *certus* sexus statui nequit. Quod si vero haec signa certitudinem ferre non valent, tamen eorum praesentia saltem prudens dubium pariunt de alterutro sexu, et in casu, quo ignoratur species hermaphroditismi, admonent facile agi de huiusmodi genitalium anomalia; quod quidem maximi momenti est in pluribus circumstantiis vitae humanae, ut sunt matrimonii contrahendi, iuris successionis in nonnullis locis, iuris votum praebendi in civilibus electionibus, vitae militaris, etc.

280. Signa *probabilia* ad haec reducuntur, etsi horum nonnulla minimi omnino aut nullius valoris sint: — *a*) *habitus externus*, qui apparet ex gestibus, ex voce, ex modo sese gerendi; hic tamen character sat parum valet; sunt enim nonnullae mulieres, quae ex aspectu externo magis viri apparent, quam feminae; habent enim altam staturam, vocem gravem, virilem, pilos abundantes (etsi breves) in ciliis et labio superiori, incessum et robur fere virorum; attamen perfecte concipiunt et matres fiunt; sunt, contra, non pauci viri ex

aspectu debili, voce sonora et acuta, pilis raris, qui magis feminae haberentur quam viri; in organis sexualibus nihil anormale prae se ferunt; — *b*) *eminentia laryngis,* quae item parum significat, cum aliquando magis evoluta sit larynx in feminis quam in viris; — *c*) *praesentia barbae,* quae magis deponit pro sexu masculino, at *minime absolute;* nam visae sunt nonnullae mulieres cum longa barba (ex. gr. Maria Magdalena Lefort, quae virum omnino simulabat); — *d*) *forma superficiei pubis,* quae alia est in viro ac in femina; at, etiam in hoc casu, non paucae adsunt exceptiones; — *e*) *evolutio uberum,* quae, tempore pubertatis, in femina incipiunt turgescere, dum in viro ordinarie id locum non habet; attamen etiam hoc signum non est absolutum; sunt enim nonnulli adolescentes, qui, tempore pubertatis, patiuntur evolutionem uberum sicut feminae; quae ubera possunt etiam secernere lac et causam evadere plurium abscessuum; in nonnullis vero puellis tempore pubertatis vix ubera aliquem turgorem praebent; — *f*) *forma alvi,* qui in mulieribus latior est quam in viro; aliquando tamen contrarium notatur; — *g*) *praesentia menstruationis;* at hic etiam notandum, nonnullas adesse mulieres, quae menstruis carent, et haemorrhagias menstruas habitas fuisse et in feminis, utroque ovario orbatis.

281. Signa vero praecipua *probabiliora* seu *minoris incertitudinis* sunt: — *a*) *praesentia testiculorum* vel *ovariorum;* quae tamen non facile statui potest; nam saepe testes et ovaria degenerationem adiposam patiuntur et atrophica fiunt; insuper praesentia corporis fere rotundi, in plicis scroti, potest testari etiam praesentiam herniarum; neque hic magis attendenda maior sensibilitas testium per tactum, quia testes, cum atrophici fiunt, sensibilitatem amittunt; — *b*) *praesentia uteri* per duplicem explorationem a medico noscenda; — *c*) *praesentia meatus* ad urinam emittendam, qui, cum cognitus fuerit, simul cum praesentia clitoridis, oris vulvaris et analis, non minimi momenti, etsi non absoluti, est pro femineo sexu; — *d*) *praesentia parvorum labiorum;* iuxta Klebs et Hofmann, hoc bonum signum esset pro sexu femineo; — *e*) *praesentia nemaspermatum* in liquido emisso; nemaspermata quaestionem penitus solvunt pro sexu masculino; at notandum, in hisce quaestionibus de hermaphroditis, ordinarie testes esse atrophicos et canales deferentes abesse vel esse obliteratos.

282. Quod vero spectat ad *statum psychicum* hermaphroditarum, dicendum, *generatim loquendo,* ipsos amisisse quemcumque

sensum moralitatis et omnium criminum carnalium evadere capaces, uti exercere coitum activum et passivum, paederastiam etc.

Ceterum non omnes hermaphroditae eumdem characterem moralem prae se ferunt; nonnulli enim evadunt debiles spiritu, nonnulli vero notantur intelligentia, activitate una cum mente minime in ordinem; nonnulli sunt melancholia affecti, nonnulli sui excidio se interimunt, nonnulli vero insania laborant [1].

Eorum vero modus *psichice* sentiendi respondet plerumque rationi educationis, qua instructi sunt a pueritia, in qua sexus nondum notus erat; ita ex. gr. si puer existimabatur femina ob deformationem genitalium, eius institutio plene feminilis evadit, et ipse in omnibus se gerit ut femina; idem obtinet si femina habebatur ut puer. Immo haec altera natura, quam arte induunt, adeo profundas in eis radices immittit, ut nonnulli hermaphroditae sui excidio vitam amiserint ob graves perturbationes, quibus subiecti fuerunt, ob mutatum civiliter sexum [2].

B. — De anomaliis, quae frequentius notantur in organis generationis in utroque sexu.

(*quatenus referuntur ad matrimonium*).

283. Ex superius dictis, patet ut fecundatio, ordinarie loquendo, rite fiat, necesse esse coitum, ad quem oportet organa genitalia esse normalia, ut in studio anatomico summatim exposuimus. At aliquando fit, ut genitalia nonnullas, plus minus magni momenti, anomalias prae se ferant, ex quibus coitus sat difficile aut nullo modo exerceri potest, aut, si fit, sperma nequeat, aut nonnisi cum magna difficultate, in vaginam immitti. Ex omnibus his oritur sterilitas vel impotentia, quae ultima causa, quum requisitis conditionibus subiaceat, vim habet irritandi vel impediendi matrimonium. Ex quo patet necessitas has anomalias noscendi, praesertim advocatis et iudicibus ecclesiasticis in causis de impotentia, affinitate, consummatione matrimonii etc. De sterilitate et impotentia inferius loquemur; hic

---

[1] Debierre, *Op. cit.*, pag. 134.

[2] Brouardel, *Op. cit.*, pag. 19-29.

tantum agemus de nonnullis anomaliis, anatomice et physiologice inspectis. Distinguimus hoc caput in duas parte prout quaestio est: 1) *de viro* vel 2) *de muliere.*

1. — De anomaliis potioribus, quae ad virum referuntur.

Sunt sequentes:

284. *Absentia penis,* quae raro est congenita et tunc coniuncta est cum aliis deformitatibus genitalium; potest vero penis abesse ob operationem chirurgicam. Liquet coitum impossibilem evadere, minime vero *absolute* et *per se* fecundationem, dummodo semen emitti possit in ore vaginae et *aliquid* penis adsit, uti nonnulla exempla testantur [1]. Aliquando vero, membro absente, deest etiam canalis uretrae; quo fit ut urina emittatur vel per canalem, (qui *uracus* [2] appellatur) adhuc perforatum et in umbilico apertum, vel per intestinum rectum, cum quo, hoc in casu, communicat vesicula urinaria. Penis potest abesse per causas syphiliticas, per ulcera, per strictas ligaturas factas a viro ipso [3] etc.

285. *Epispadia* (ἐπί = supra; σπάω = traho), quae consistit in hoc: canalis uretralis, qui regulariter in apice glandis aperitur, in epispadia aperitur *in parte superiori penis.* Aliquando apertura est in parte superiori glandis, aliquando vero pubim versus, idest prope basim penis, semper parte superiori; tunc etiam praeputium, pellis membri et corpora cavernosa quemdam sulcum prae se ferunt. In quibusdam casibus epispadia secum fert divaricationem *symphisis* pubis cum *extrophia* vesiculae urinariae. Haec vesicula, ut scimus, in viro iacet ante rectum intestinum. Hoc in casu vesiculae deest pars anterior, et pars posterior, ob divaricationem symphisis pubis,

---

[1] Garnier P., *Impuissance physique et morale,* Paris, 2ª edit., pag. 42; Fodéré, *Traité de médecine légale et d'hygiène publique,* Paris 1813, tom. I, pag. 364; Orfila, *Op. cit.,* tom. I, pag. 73.

[2] *Uracus* est ligamen, quod a parte superiore vesiculae urinariae ortum ducit et in umbilico finem habet; iuxta suam originem, non est nisi pars superior *allantoidis,* quae, parte media, in fetu inflatur, vesiculam urinariam efficiens et parte inferiori totam uretram in muliere, partem vero tantum uretrae in viro efformat. Regulariter mutationes patitur, ex quibus ligamen medium vesiculae oritur.

[3] Taylor R. W., *Patolog. e cura delle funzioni sess. nell'uomo e nella donna,* Torino 1902, vol. I, pag. 102-106.

extra protuberat. — Coitus et fecunditas *possibilis* in epispadia, dummodo haec cum extrophia vesiculae non sit coniuncta; tamen, hoc casu excepto, plerumque sterilitas obtinet ob defectum directionis centralis emissionis seminis, quoad ostium uteri. Cum vero ostium uretrae est nimis proximum pubi, in iaculatione semem emittitur extra vaginam; et fecundatio difficillima, minime impossibilis absolute evadit, *dummodo* aliquid seminis emissi supra vulvam, ob motum nemaspermatum, in vaginam penetrare queat [1].

286. *Hypospadia* (ὑπό = sub; σπάω = traho) quae habetur, cum *canalis uretrae aperitur parte inferiori membri.* Iuxta locum, quo iacet os uretrae, triplex distinguitur casus:

a) uretra aperitur subtus glandem; hypospadia dicitur *balanica;*

b) uretra aperitur subtus membrum, prope eius basim; hypospadia est *peniena;*

c) uretra aperitur in scroto, in duas partes diviso; hypospadia appellatur *scrotalis.* Si vero, hoc in casu, uretra aperitur parte anteriori scroti, hypospadia dicitur *peno-scrotalis.* In hypospadia scrotali membrum, plerumque, est curvilineum et scroto adhaerens. In hypospadia (*a-b*), etsi penis exiguus saepe sit, coitus est possibilis; at fecundatio sat difficilis [2]; attamen plures casus noscuntur, in quibus fecundatio habita fuit [3]. In hypospadia scrotali et perineo-scrotali fecundatio impossibilis evadit [4]; nam semen, in copula, inter ipsius maris crura deperditur; tamen defectus corrigi potest in puero hypospadone. Saepe observatum fuit hypospadiam et epispadiam haereditate transmissas fuisse per plures generationes [5]. Hypospadia frequenter observatur.

287. *Anorchidia,* h. e. *absentia absoluta testiculorum,* coniuncta cum omnibus indiciis huius absentiae, quae sunt vox stridula et acuta, absentia barbae et pilorum in partibus, ubi abundare solent, habitus femineus, forma rotunda corporis etc. Anorchidia potest ha-

---

1 Strassmann, *Op. cit.*, pag. 21.

2 Garnier P., *Anomalies sexuelles*, Paris, 2ª edit., pag. 143.

3 Brouardel, *Op. cit.*, pag. 125.

4 Surbled, *La Morale dans ses rapports avec la médec. et l'hygiène*, tom. II; *La vie sexuelle*, pag. 124; Guinard, *Op. cit.*, pag. 264; Taylor, *Op. cit.*, pag. 106.

5 Capellmann, *Medicina pastoralis*, Parisiis 1893, pag. 161; Roubeaud, *Traité de l'impuissance et de la stérilité*, Paris 1876, pag. 616 et ss.

beri per morbos et chirurgicas operationes. Orbati utroque testiculo *eunuchi* seu *castrati* dicuntur.

Si ablatio testiculorum peracta fuit parvo abhinc tempore (puta aliquot dies), fecundatio est possibilis [1], quia semen vesicularum non statim resorbetur vel degenerationem adiposam patitur. Si vero ablatio a longo tempore peracta fuit, fecundatio omnino impossibilis perpetuo fit. Absentia testiculorum, quoad generationem, penitus respondet carentiae certae ovariorum in feminis. Anorchidia *congenita,* seu a nativitate, adeo rara est, si tamem unquam habita fuit, ut nonnulli doctores omnino eam negent, cum facta, ad illam admittendam adducta, non videantur certa vel sufficienti inspectione medica probata [2]; at nonnulla exempla videntur esse certa [3]. Quanto tempore, post excisionem testiculorum, potest permanere semen fecundum non constat, cum desint experimenta ad hoc, ut patet, in viro. In canibus, in quibus nonnullae experientiae institutae fuerunt ab Obolonsky, inventa fuere nemaspermata viva in uno casu post septem dies, in altero post triginta dies ab avulsione. At non videtur nisi per aliquot dies in viro posse semen fecundum persistere, dummodo, post operationem, statim coitum non exerceat, quia post binas aut tres emissiones, actum est de semine, cum vesiculae seminariae parvae sint capacitatis [4].

Attamen, prout testes absunt *a nativitate* vel abscissi sunt *ante* vel *post* pubertatem, nonnulla particularia in viro apparent, notatu digna. Si testium absentia fuit *a natura* seu congenita, organa genitalia sunt valde parum evoluta, pubes obtegitur magna copia adipis; huiusmodi eunuchi sunt debiles et absque excitamentis venereis; pellis est mollis ac delicatula, barba deest, vox ipsa stridula et acuta; ubera sunt valde evoluta; habitus est femineus, et scrotum leve, et absque raphe seu linea media. — Si vero abscissio testiculorum fuit peracta *ante* pubertatem, quacumque ex causa, scrotum contrahitur et minuitur; penis servat volumen, quod habebat ante castrationem, et hi eunuchi possunt coire et liquidum prostaticnm et cowperianum emittere; sceletus et integrum eorum corpus femineas

---

[1] Garnier P., *Anomalies sexuelles,* Paris, pag. 158.
[2] Garnier P., *La stérilité humaine* etc., pag. 345 et ss.
[3] Brouardel, *Op. cit.,* pag. 120.
[4] Strassmann, *Op. cit.,* pag. 97.

formas paullatim acquirit; venter et crura augentur magis quam in ceteris viris; vasa et glandulae lymphaticae facile tumefiunt; barba deest; pellis levis apparet; minuitur volumen laryngis et vox ipsa manet non mutata; mentis facultates parum evolvuntur; et tales viri fiunt ordinarie tristes, pusillanimes, inhabiles ad nobiles actiones agendas. — Si, demum, ablatio testium locum habuit *post* pubertatem, tales eunuchi retinent capacitatem erigendi membrum et coëundi; immo possunt vehementi concupiscentia vexari, erectiones diuturnas pati, diuque in coitu immorari; habitus viriles perseverant excepta, ut liquet, facutate fecundandi; ita barba, etsi rarior, perdurat. Character moralis vero quam maxime immutatur; et saepe hi eunuchi, tristes et melancholici fiunt, et non raro vitae finem per sui excidium sibi procurant [1]. Eunuchus, quacumque causa talis evadat, non est amplius nec mas, nec femina, physiologice inspectus.

288. *Crytorchidia* (κρυπτὸς = celatus; ὄρχις = testiculus) h. e. absentia testiculorum in scroto, qui tunc sunt in abdomine aut in canali inguinali. Iuxta nonnullos doctores, horum cryptorchidorum semen nemaspermata non haberet ac proinde esset infecundum; iuxta vero alios (Taylor, Sinibaldo, Pelikan et Beygel) hi viri essent validiores et fortiores ad fecundationem operandam; quod videtur constare ex casibus Taylor ipsius [2]. Si vero testiculi sunt in annulo cruris, in plica genito-crurali vel etiam in perineo, iuxta Testut, vir careret facultate fecundandi, ob carentiam nemaspermatum [3]. Prout unus tantum testis non descendit in scrotum, vel neuter, habetur casus *mono-cryptorchidiae* vel *bi-cryptorchidiae*. In primo casu certo adest potentia ad fecundationem

289. *Atrophia* (α = signum privativum; τρέφω = nutrio) *testiculorum* (*testiculi contusi* iuxta theologos) habetur cum testiculi ita immutati sunt ut amplius munere suo fungi nequeant. Ob atrophiam, testiculi varios praebent characteres anatomicos; aliquando enim valde volumine minuuntur; aliquando textum testiculi immutatur in massam fibrosam vel adipatam, quod quidem perfectam degenerationem significat; aliquando demum testes omnino disparent. Si atrophia

---

1 Orfila, *Op. cit.*, vol. I, pag. 73-74; Garnier, *La stérilité hum.*, pag. 353.

2 Ziino, *Op. cit.*, vol. I, pag. 298; Brouardel, *Op. cit.*, pag. 112; Taylor, *Traité de médecine leg.*, Traduct. Coutagne, 1881, pag. 715, citat. apud Brouardel.

3 Testut, *Op. cit.*, pag. 111.

primo vitae tempore apparet et utrosque testes afficiat, non facile est diagnosim facere, nisi comparando eorum volumina cum volumine virorum eiusdem aetatis; et, vel hoc in casu, agi potest de defectu normalis eorum evolutionis; si vero serius atrophia apparet, diagnosis facilior est, quia comparatio fieri potest cum volumine antea habito; si demum atrophia unum tantum testem afficiat, diagnosis semper facilis et tuta evadit. Parvum volumen testium non debet confundi cum eorum atrophia; testes enim parvi, scil. minus evoluti, eamdem structuram habent ac normales et semen conficiunt; testes vero atrophici non amplius eamdem structuram retinent, sed ut diximus, adeo profunde sunt anatomice immutati ut semen non amplius conficiant. Atrophia testiculorum non est naturalis sive congenita, sed acquisita per inflammationes, quae oriuntur per pressionem ob elephantiasim, hydrocelem, haematocelem, varicocelem, hernias scrotales [1]; pressio potest oriri etiam per tumores scroti vel testiculi ipsius. Etiam per syphilidem et gonorrheam potest haberi atrophia testiculorum. In praxi vero, ut de hac certo constet, medicus est semper consulendus, et prae oculis habendi sunt characteres corporis, quae absentiam testiculorum et ideo spermatis semper comitantur, ut supra innuimus. — Tubercolosis testium affert inhabilitatem generandi, etiam cum unus tantum testis tubercolosi afficitur; et circiter duos ante annos, priusquam morbus appareat, haec incapacitas comitatur. Hic obtinet aspermatozismus, ob absentiam nemaspermatum, in liquido iaculato, ac ideo incapacitas generandi. (Cfr. infr. in altero vol.).

290. *Bifurcatio profunda penis,* quae habetur, quando corpora cavernosa seiuncta sunt, plus minus, et etiam usque ad radicem. Evidenter, si bifurcatio attingit radicem penis, coitus evadit impossibilis sicut et fecundatio; casus tamen non frequens est. Aliquando vero, absente uno ex duobus corporibus cavernosis, penis non est rectus, et directionem vitiosam retinet, quae potest reddere difficilem aut impedire coitum. Aliquando peni potest esse impossibilis erectio; tunc fecunditas abest [2] ob defectum iaculationis. Quando vero bifurcatio penis completa evadit, quia ambo corpora cavernosa

---

[1] Garnier P., *La stérilité hum.* etc., pag. 372; Roubeaud, *Op. cit.*, pag. 555.
[2] Filippi-Severi-Montalti, *Op. cit.*, vol. II, pag. 539.

disiuncta totaliter sunt, tunc canalis uretralis in imo ventris aperitur. Ex hoc procedit impotentia absoluta et incontinentia urinae [1].

291. *Excessivus circuitus penis,* qui non possit immitti in vaginam, praesertim per elephantiasim; hoc in casu elephantiasis, omnes vaginae incapaces sunt eum recipiendi, et impossibilis evadit copula et fecundatio. Tamen, repetitis conatibus, si non sit nimis crassus, fieri potest ut coitus evadat possibilis, quia canalis vaginalis sat dilatabilis est. Si ne hoc quidem haberi potest, impossibilis fit coitus et fecundatio, dummodo iaculatio, ob hos conatus, naturaliter non fiat prope os vaginae, et nemaspermata ingrediantur in eam et praegnationem adducant. Elephanthiasis nimis frequens in Australia esse videtur et in locis tropicalibus [2].

292. *Phimosis et paraphimosis* (φιμόω = stringo; παρά = retro). *Phimosis* habetur cum apertura praeputii adeo angusta est, ut glans detegi non possit; *paraphimosis* vero tunc adest, quum praeputium, detecto glande, ita fortiter coarctat coronam glandis, ut nequeat anterius protrahi; possunt, per hoc, gangraena et ulcera produci. Hi defectus parvi faciendi sunt, cum facile per chirurgum possint removeri; ac proinde, post operationem, actus generationis non impediunt. Phimosis saepe est causa mansturbationis et incontinentiae urinae, praesertim in pueris; item sequi possunt herniae, convulsiones epileptiformes et varii alii morbi nervosi, quae tamen incommoda per circumcisionem statim removentur. Phimosis et paraphimosis per hereditatem transmitti possunt,

293. *Nimia exiguitas penis,* qui, aliquando, et non raro, potest adeo parvus esse, ut vix tactu nosci queat. Hic defectus reddit impossibilem coitum et fecundationem.

294. *Nimia longitudo penis,* qui aliquando quinque et triginta cm. attingit, et, praeter difficultatem coitus, multi morbi, praesertim in muliere, consequi possunt, ut lacerationes vaginae et colli uterini, congestiones, haemorrhagiae, prolapsus uteri [3], etc. Hoc incommodo laborantes, ut facile et bene coitum perficere valeant, annulo *caoutchu* circumdent basim penis ante erectionem; tunc, in erectione, penis minorem longitudinem acquirit (Garnier).

---

1 Garnier, *Anom. sexuel.* etc., pag. 102 et ss.
2 Taylor, *Op. cit.*, pag. 120.
3 Zacchia, *Op. cit.*, l. IX, tit. III, q. 3, in initio.

295. Nonnulli demum *morbi* partium genitalium possunt omnino impedire coitum, quales sunt magnae et praeter ordinem herniae, hydroceles magni voluminis et elephantiasis scroti. Hofmann casum a se observatum describit elephantiasis scroti, in quo scrotum magnitudinem habebat trium capitum hominum et usque ad genua protuberabat; penis omnino in hoc tumore absconditu iacebat, etiam tempore erectionis; desideria venerea vir perfecte experiebatur [1].

1. — De anomaliis potioribus, quae ad feminam referuntur.

Sunt sequentes:

296. *Absentia vaginae,* quae aliquando observatur et secum fert impossibilitatem coitus et proinde fecundationis. Cum vero deficit vagina et uterus adest, plerumque uterus communicat cum recto intestino vel cum uretra, ex quibus fluunt etiam menstrua. In his casibus possibilis est copula per has vias et partus, ut plura exempla probant [2]. Potest etiam aliquando per operationem chirurgicam, quae absque gravi vitae periculo non semper est, vagina artificialis obtineri, sive quidam canalis pro vera vagina fungens. Absentia vaginae aliquando secum fert absentiam vulvae, aliquando vero adest una cum partibus externis bene evolutis. Aliquando absentia vaginae imperfecta est, quia potest abesse tantum pars eius inferior vel superior; aliquando, deficiente vagina, potest esse uterus normalis; tunc ob impossibilitatem fluxum menstruum emittendi tempore pubertatis, haematoma oritur, quod eget operatione chirurgica; si deficiente vagina, deest etiam uterus, et ovaria adsunt, tempore ovulationis notantur plura non levia incommoda, quae curam medicam exposcunt [3].

297. *Communicatio vaginae* cum vesicula urinaria, cum uretra aut cum recto intestino, loco vulvae. In his casibus impossibilis est coitus normalis; possibilis in ore uretrali et praepostero; fecundatio

---

[1] Hofmann, *Nouveaux élém. de médec. lég. Commentaires* par P. Brouardel, Paris 1881, pag. 15.

[2] Garnier, *Anomalies sexuel.* etc., pag. 81.

[3] Debierre, *Les vices de conformation des org. gén. et urin. de la femme,* Paris 1892, pag. 218 et ss.

et partus item possibiles, ut nonnulla facta probant [1], *dummodo* communicatio non sit cum vesicula urinaria, quia tunc nemaspermata ab urina interimuntur. Aliquando, et quidem rarissime, rectum intestinum comunicare observatum fuit cum vagina; os vero anale tunc aut omnino deficit aut occlusum invenitur [2]. Coitus et fecundatio nullo modo impeditur.

298. *Imperforatio hymenis;* nullius momenti est, cum facile a chirurgo tolli possit. Hic defectus habetur, quum haec membrana nullam aperturam praebet et menstrua ipsa fluere nequeunt; quod quidem valde distendit hymenem et multa incommoda mulieri affert; et, nisi cito excidatur, possunt impedita menstrua esse causam scissionis tubarum uteri et rapidae formationis tumoris, qui haematoceles retro-uterinus dicitur, et, non multo post, mortem afferre. Incisio vero nullius periculi est.

299. *Vaginismus,* seu fortis constrictio oris vaginae, quae fit cum experimentum copulae tentatur aut tantum tangitur os vaginae. Hic morbus primo descriptus fuit a d.re M. Sims [3]. Causa est spasmica contractio musculi constrictoris oris vaginalis, idest sphincteris vaginae. Vaginismus impedit absolute copulam; attamen potest a chirurgo tolli [4]. Defectus existit, quin mulier illum agnoscat, et apparet tantum in conatu copulae, etsi sat exiguus sit penis; minime pendet a voluntate, sed ab nimia sensibilitate nervosa locali. Coitus, pluries tentatus, irritationes adducit cum vehementi dolore, tristitia et desperatione; valetudo ipsa mulieris graviter patitur; additur macies, pallor, sensibilitas magna nervorum et fere intollerabiles dolores ad singulos conatus copulae. Immo haec hyperestesia adeo potest esse vehemens, ut quilibet tactus immo simplex motus crurum in ambulando, possint incredibiles dolores afferre. Causae, quae vaginismum, inducunt plures sunt, ex quibus maioris momenti notantur violentus et fere brutalis conatus copulae, eczema vulvaris, partus male directus, ulcera simplicia oris vaginae, eruptiones herpeticae, leucorrhaea, blenorrhagia, immissio obiectorum in vaginam, fissurae anales, etc. Vehementes dolores, orti ex vaginismo, secum ferunt

---

[1] Debierre, *Op. cit.*, pag. 236; Strassmann, *Man. di Medic. leg.*, Torino 1901, pag. 103.

[2] P. Gilis, *Précis d'émbryolog.* etc., Paris 1891, pag. 356.

[3] Sims M., *Transactions of the obstetrical Society of London*, 1860.

[4] Du Brueil A.; *Elem. di Medic. operat.*, Napoli 1880, pag. 755; Lutaud, *Leçons de gynécolog. operat.*, Paris 1890, pag. 423.

plures perturbationes psychicas, quae possunt etiam mulieri afferre alienationem mentis et conatus sui excidii, ut exempla testantur [1]. Uti patet, duo constituunt hunc morbum, scilicet vehementes dolores et contractio sphincteris vulvo-vaginalis. Dolores ordinarie afficiunt totam vulvam, et intollerabiles fiunt tempore conatus copulae; et si mulier nititur copulam habere ob amorem viri aut quamlibet aliam causam, dolorum vehementia tanta oritur, ut clamores, fletus, motus praeter ordinem oriantur et syncopes ipsa venire possit, cum perfecta impossibilitate ad omnia, et copula impossibilis evadat ob constrictionem vulvae. Quare, hisce adiunctis, impossibilis fecundatio. Vaginismus frequenter in praesenti accidit, et huiusmodi mulieres coitum horrent ac effugiunt [2]. Usus cocainae, a medico praescribendae, perutiles sunt aliquando ad minuendam vel tollendam nimiam sensibilitatem ante coitum (Garnier).

300. *Absentia uteri.* Raro hic defectus notatur; tunc, cum absentia uteri, ovaria inveniuntur satis parva, rarius desunt; tubae omnino absunt, vel omnino solidae sunt, absque canali; vagina abest, vel clausa est superius (*a fondo cieco*) et satis brevis, vel normalis; aliquando vero tubae et ovaria sunt rudimentalia seu atrophica; menstrua non adsunt; vel, si ovaria sunt sana, molimina vicaria observantur et menstrua possunt fluere per vaginam. Etsi, iuxta nonnullos doctores, affirmetur sat difficile esse noscere uteri absentiam [3], tamen, iuxta alios verius dicendum, minime hanc difficultatem adesse, praesertim si exploratio fiat introducendo digitum in recto intestino et catetherium in vesicula urinaria [4]; hisce doctoribus plene assentimur. Aliquando vero uterus rudimentalis est, magnitudinis nucis aut fabae et omnino solidum, absque cavitate et communicatione abdominali; idem tunc est ac si non esset. In hisce omnibus casibus, coitus impossibilis vel plus minus difficilis evadit; fecundatio impossibilis [5]. Idem obtinet, cum uterus *fetalis* vel *infantilis* vel *pubescens* est; in *primo* casu uterus minime evolutionem habuit et magnitu-

---

[1] Brouardel, *Op. cit.*, pag. 143 et ss.

[2] Hammond, *L'impotenza sessuale nell'uomo e nella donna*, Roma 1898, pag. 274 et ss.; Roubeaud, *Op. cit.*, pag. 483 et ss.; Taylor, *Op. cit.*, pag. 311.

[3] Schauta, *Op. cit.*, pag. 175.

[4] Hofmann, *Nouveaux éléments de médec. légale*, pag. 32; Briant, Chaudé et Bonis, *Man. compl. de medec. leg.*, pag. 174.

[5] Debierre, *Les vices des conformat.* etc., pag. 150.

dinem servat, quam habebat tempore nativitatis, ac proinde sua functione physiologica penitus caret; in *altero,* uterus evolutionem amisit paulo post nativitatem ac ideo utero fetali aequiparatur; uterus vero *pubescens* habetur, cum eius evolutio cessavit tempore intermedio a nativitate et ante pubertatem.

301. *Prolapsus uteri,* idest matrix adeo flectitur e suo loco, ut vaginam invadat (*descensus*) et possit etiam extra vaginam protuberare (*prolapsus*), velut enormis penis, sicut contigit in casu doctoris Vannoni (1863) Florentiae [1]. In primo casu potest a chirurgo defectus corrigi; fecundatio tamen et partus plerumque difficiles evadunt [2]. Si vero praegnatio facta fuit, et uterus suo loco arte non restituitur, abortus fit [3]. Quum vero prolapsus ita factus est, ut uterus adhuc in cavitate ventris permaneat, praegnatio potest perfecte ad suum finem pervenire; cum demum uterus omnino e vagina protuberat, iuxta doctorem Schauta [4], dubie tenendum est praegnationem finem assequi, etsi, secundum Orfila [5], non desint exempla, quamvis sat rara, mulierum, quae pepererunt, habentium uterum inter crura pendentem.

302. *Absentia congenita uteri et vaginae,* etsi ovaria adsint [6], impossibilem efficit coitum et fecundationem.

303. *Imperforatio uteri;* habetur cum uterus, etiam bene evolutus, cavitate interna omnino caret, et corpus quoddam solidum efficit; tubae possunt esse imperforatae; potest autem adesse vagina vel plus minus abesse; aliquando vero tantum totum collum uteri est imperforatum; in utroque casu absunt menstrua, et fecundatio est impossibilis [7], etsi habeantur desideria venerea et facilitas copulandi, praesente vagina.

304. *Intestinum rectum et canalis uretralis* aliquando commu-

---

[1] Ziino, *Op. cit.*, vol. II, pag. 307.

[2] Du Brueil, *Op. cit.*, pag. 730.

[3] Runge, *Op. cit.*, pag. 238.

[4] Schauta, *Op. cit.*, pag. 255 et seq. (Cfr. Schroeder, *Op. cit.*, pag. 388, qui asserit nullum exemplum praegnationis cognosci in utero, qui totaliter deciderat). Et hoc conformius veritati et physiologiae praegnationis esse videtur.

[5] Orfila, *Op. cit.*, vol. I, pag. 82.

[6] La Torre Dr. Fr., *La mancanza congenita dell'utero e della vagina e la creazione di una vagina artificiale,* Estr. d. Boll. d. R. Accad. di Roma, an. XVIII, fasc. III, 1892, Roma. — Schauta, *Op. cit.*, pag. 173.

[7] Garnier P., *La stérilité* etc., pag. 185.

nicant cum vagina, unicam aperturam efficiendo; quod quidem congenitum esse potest, vel obtinetur ob lacerationes partus nimis dolorosi, vel ob nonnullos morbos uteri, aut vesiculae urinariae, aut recti intestini. Ordinarie (cum defectus habetur a natura) simul adest absentia uteri, aut uterus valde imperfectus vel atrophicus. Hisce casibus, habetur impotentia absoluta, incurabilis ad generationem [1]. Quandoque vero observatum fuit intestinum rectum communicare cum vulva, loco oris analis, quod tunc deest (*os anale-vulvare*). Coitus perfici potest, sicut et praegnatio et partus [2].

305. *Duplex vagina et duplex uterus.* Aliquando fit ut membrana quaedam, sensu longitudinis, dividat vaginam in duo vasa, efformando duplicem vaginam; etiam uterus eiusque collum potest esse duplex [3] (fig. 102). Nisi adsint aliae anomaliae in his organis, hic defectus neque copulam, neque fecundationem impedit, etsi actus coitus dolorosus possit evadere pro utroque coniuge. Uterus vero duplex seu bicornis existere potest cum una vagina, vel duplex vagina cum uno tantum utero; quod quidem nihil copulae et fecundationi obstat. In casu duplicis uteri et duplicis fetus, uterque fetus potest sese evolvere in una tantum cavitate uteri vel in utraque. Cum vagina duplex est, membrana hymenis saepe abest vel duplex est; in postremo casu, coitus plus minus difficilis vel impossibilis est; tamen per chirurgum facillime removetur [4]. Notandum, in casu duplicis uteri cuiuscumque generis sit, partus habetur valde laboriosus et non raro mulier perit sive ob rupturam uteri, sive ob anormalem modum sese praesentandi ex parte fetus in partu [5].

Aliquando etiam fit, ut vagina *intus occlusa* sit *transverse,* ex praesentia membranae cuiusdam, quae menstrui fluxum et fecundationem omnino, copulam vero plus minus impedit, quia membrum incapax est eam lacerandi [6]. Mulieres, hunc defectum habentes, vocantur *velatae, atretae, imperforatae;* membrana, quae transverse vaginae obtenditur, potest esse plus minus crassa, imperforata vel uno aut pluribus foraminibus sparsa. Si est imperforata, fecundatio

---

[1] Garnier, ibid., pag, 457 et ss.
[2] Schauta, *Op. cit.*, pag. 195.
[3] Idem, ibid., pag. 180 et ss.
[4] Debierre, *Op. cit.*, pag. 242 et ss.
[5] Idem, ibid., pag. 191 et ss.
[6] Garnier, *Impuissance*, pag. 466 et ss.; Schroeder, *Op. cit.*, pag. 373 et ss.

est impossibilis, ut iam dixi; si vero sit perforata, fecundatio est possibilis, ut exempla probant [1]. Aliquando etiam plures membranae suprapositae inveniri possunt. Si omnes sunt imperforatae aut nonnisi aliqua, fecundatio impossibilis; si vero omnes perforatae sunt, fecundatio est possibilis. Mulieres, hac anomalia laborantes, tumorem (haematocelem) prae se ferunt ob retentionem menstrui, quae chirurgi auxilium requirit.

306. *Absentia totalis, certa, utriusque ovarii,* quae potest haberi a natura [2], etsi raro notetur, et tunc advertitur plures anomalias in integro generationis apparatu illam absentiam comitari; menstrua desunt. Potest obtineri etiam per operationem (ovariotomia duplex perfecta, ablatio utero-ovarica). In utroque casu, praesente vagina, copula evadit possibilis, at fecundatio perpetuo impossibilis. Absentia, tum congenita, tum acquisita, ovariorum per operationem non minuit desideria ac incitamenta venerea, et huiusmodi mulieres sunt capaces frui omnibus voluptatibus carnis. Deficientibus a nativitate ovariis, menstrua desunt; at aliquando, periodice, oriuntur nonnullae perturbationes, sicut dolores capitis, angina, erysipelas. Absentia vero ovariorum ex operatione non semper statim secum fert absentiam menstrui; at hic fluxus nullam habet amplius relationem ad ovaria penitus ablata, sed pendet ex habitu periodico congestionis sanguineae localis, quae primo menstrua fingit et postea paullatim cessat. Cum vero, post ablationem, fluxus regularis servatur, tunc agitur vel de ablatione non totali vel de ovariis supplementariis, in quibus casibus fecundatio non est impossibilis [3].

C. — De monstris.

307. Aliquando fit, ut infantes nati nonnullas anomalias plus minus magnas prae se ferant, quae horrorem saepe gignunt et etiam vulgo *monstra* nuncupantur. Horum studium aut saltem recta co-

---

[1] Zacchia, *QQ. medico-legal.*, l. 5, tit. 1, q. 7, n. 24; cfr. et nn. 25-27 et l. 7, tit. 3, q. 5, n. 11.

[2] Schauta, *Op. cit.*, pag. 152; Debierre, *Les vices* etc., pag. 121.

[3] Garnier P., *La génération universelle*, Paris 1896, pag. 335; Hegar, *La Castraz. della donna*, n. 87-89; Debierre, *Op. cit.*, pag. 124-127; Surbled, *La morale dans ses rapp. avec la médec. et l'hygien.*, Paris 1891, pag. 98; Antonelli, *De Conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrim.*, Romae 1900, n. 139.

gnitio pro praxi valde utilis esse potest, quum agitur de baptismo conferendo.

Monstra distinguuntur in *simplicibus* et *duplicibus,* prout infans deformatus unicus in partu nascitur aut duplex nascitur sive geminus, quorum unus vario modo alteri adhaeret. Nonnulla de utroque.

1. — De monstris simplicibus.

Haec possunt esse:

308. *Acrania* (α = signum privativum; κρανίον = cranium) (hemicephalia, anencephalia (ἥμι = medius; κεφαλή = caput; α = signum privativum; ἐγκέφαλος = cerebrum); agitur de fetibus, in quibus pars ossea superior calvae deficit omnino, et caput depressum est, ita ut olim etiam *capita felis* aut *cheloniae* dicebantur. Hoc loco deficiunt etiam capilli; oculi sunt ut in bubus; os et maxillae itidem eminent et frontem habent depressam. Haec monstra non possunt vivere extra uterum. Quamvis caput habeant adeo informe, veri homines sunt (fig. 107).

309. *Cyclopia* (κύκλος = circulus; ὤψ = oculus) (sinophtalmia); habənt oculum unum in medio frontis plus minus perfectum, aut in basi frontis praebent cavitatem cum vix aliquo vestigio oculi, aut in ea cavitate adsunt duo bulbi oculorum satis proximi. Praeter hos casus, multae gradationes habentur. Eodem tempore observantur plures anomaliae in cerebro, in naso, qui aliquando deest omnino, in ore, quod potest minimum esse aut abesse, in nervis opticis, qui saepe desunt etc. In paucis casibus tantum hi fetus plures dies vixerunt. Nil dubii quod haec monstra homines sint.

310. *Polydactilia* (πολύς = plures; δάκτυλος = digitus). Nullius ponderis sunt. Consistit in augmento digitorum tum manuum, tum pedum. Hic defectus plerumque per hereditatem transmittitur ad descendentes per multas generationes; tamen supernumerarii hi digiti facile a chirurgo secantur.

311. *Amela* (α = signum privativum; μέλος = artus, membrum). Hi fetus sunt sine brachiis et pedibus et constant trunco regulari, qui, tantum aliquando, parva indicia extremitatum praebent; haec monstra rarissima sunt.

312. *Phocomela;* sunt monstra habentia extremitates adeo breves et ita pectori et pelvi insertae, ut fetus phocae similitudinem reti-

tineant. Hic defectus potest tantum afficere extremitates superiores vel inferiores, aut unum ex his artubus. Insuper digiti possunt abesse aut simul cohaerere.

313. *Sympodia* (σύν = simul; πούς = pes) habentur quum extremitates inferiores, idest crura, simul cohaerent, et unum truncum efformant; aliquando digiti non apparent, et in monstris, quae *sirenoida* appellantur (fig. 104 et 105), digiti gyrum talem passi sunt, ut parvi digiti se tangant et facies anterior femoris posteriorem partem aspiciat. Hanc monstruositatem comitantur absentia et genitalium externorum et aperturae analis et uretralis et sexus.

314. *Acardiaca* (α = signum privativum; καρδία = cor) sunt monstra, in quibus cor deest plerumque, et fetus habent partem corporis bene aut imperfecte evolutam. Observantur in praegnationibus geminis aut multiplis una cum aliis fetibus perfecte evolutis, cum quibus habent communem placentam. Quum hi in utero degunt, circulatio sanguinis in fetu debiliori paullatim minuit, donec cor, pulmones et pars trunci atrophia afficiuntur. Tres casus distingui possunt, utiles in praxi pro collatione baptismi:

a) *Monstra amorpha*, quae sunt massae quaedam informes ex adipe et indiciis vertebrarum constitutae; habent pellem cum epidermide, pilis et glandulis sebatis; continent aliquid ossium capitis, cerebri et trunci. Multum probabiliter simplices massae carneae sunt.

b) *Acorma*, quae sunt massae rotundae, e forma capitis, in cuius collo adhaeret funiculus umbilicaris. Multum probabiliter, ut supra, simplices massae carneae sunt.

c) *Acephalia*, quibus deest caput, collum et plus minus pectus, ita ut fetus tantum pelvim et artus inferiores habeat, aut desunt etiam pulmones, cor et magna vasa circulationis et solum, paucis in casibus, inventum fuit cor rudimentale; in primis casibus multum probabiliter sunt massae carneae, in ultimo probabiliter sunt homines, quando idest cor adest (fig. 106).

315. *Hydrocephalia* (ὕδωρ = aqua; κεφαλή = caput); sunt monstra e capite fere enormi, in quo ventricula cerebri continent aquam (fig. 108). Caput immensum non respondet faciei; frons valde prominet; ossa capitis sunt subtilia. Hi fetus non sunt nimis rari et reddunt difficilem partum ob magnitudinem capitis; in partu plerumque caput deformatur et fetus brevi moritur. Aliquando partus huiusmodi renovatur in eadem muliere. Haud dubium veri homines sunt.

2. — De monstris duplicibus.

316. Dicuntur *monstra duplicia,* quum fetus duplex est, cuius unus adhaeret, parte maiori vel minori, corpori alterius. Duplex huius generis monstruositas dari potest, quia 1° gemini aequali modo evoluti sunt aut aequali modo eorum evolutio fuit impedita; 2° unus ex duobus multo perfectius quam alter evolutus est, et minor ita se habet ad maiorem ut appendix isti adhaerens. Quapropter monstra duplicia dividi possunt: A) in *monstra aequalia* et B) in *monstra inaequalia.*

317. A) *De monstris duplicibus aequalibus.*

Haec in tres classes dividi possunt iuxta modum coniunctionis, prout scilicet:

a) *Adhaerent parte superiori corporis.*

b) *Adhaerent parte media corporis.*

c) *Adhaerent parte inferiori corporis.*

In unaquaque harum classium adhaesio potest esse tantum superficialis, v. gr. per pellem, vel profunda, ita ut plura interna organa communia evadant; item superficies adhaesionis potest esse minima usque ad dimidiam partem corporis. Patet haec monstra tanto melius posse vivere, quo minus ampla et profunda est pars coniunctionis communis.

318. *a*) *De monstris duplicibus parte superiori corporis adhaerentibus.* — Ad hanc classem pertinent monstra sequentia:

Syncephalia (cephalothoracopagus, θώραξ = pectas, thorax): in his duo corpora fetuum connexa sunt supra umbelicum usque ad verticem capitis ita, ut dimidia pars sinistra corporis et capitis unius coniuncta sit cum dimidia parte dextera corporis et capitis alterius. Ordinarie duo fetus non sunt inter se paralleli, sed unus aliquantulum est inclinatus quoad alterum. Rarissime vero, cum sunt paralleli, bina capita habent cum duplice facie (Ianiceps). Excepto hoc casu, in uno latere tantum habetur facies completa, ex altero vero tantum vestigium faciei. Cerebrum, cerebellum, medulla spinalis, columna vertebralis duplices sunt; at costae, pariter duplices, in *uno* sterno in medio pectoris coniunguntur (fig. 110).

319. *b*) *De monstris duplicibus parte media corporis adhaerentibus.* — Ad hanc classem sequentia referuntur, scilicet:

Thoracopaga (παγῶ a πήγνῦμι = haereo, concresco); sunt duo fetus, qui uniuntur pectore et parte superiori ventris, dum capita et colla disiuncta sunt; habentur quatuor brachia et quatuor crura; et, melius, thoracopaga dicuntur *sternopaga* si uniuntur per *sternum* tantum; *onfalopaga* (ὀμφαλός = umbilicus) si uniuntur prope funiculum umbilicarem; *xifopaga*, si uniuntur tantum per processum xifoidem sterni (fig. 111).

Etiam viscera interna in thoracopagis sunt plus minus vitiata, cum aliquando adsint unum cor aut duo corda, duplex iecur et duplices pulmones.

320. *c*) *De monstris duplicibus parte inferiori corporis adhaerentibus.*

Generatim *Dicephalia* (δίς = bis) dicuntur hi fetus, quia duo capita plus minus distincta ordinarie habent. Ex his notanda sunt sequentia:

a) *Diprosopa* (δίς = bis; πρόσωπον = facies); habent dimidiam partem corporis, ab umbilico incipiendo, communem, cum binis femoribus, quibus binae dimidiae partes superiores corporis adhaerent; aliquando pectus simplex est cum tribus aut duobus brachiis et etiam cum uno tantum collo et uno capite, in quo saepe distinguuntur duae facies simul adhaerentes, ex uno tantum latere (fig. 115).

b) *Ischiopaga* (ἰσχίον = coxa); sunt duo fetus coniuncti per ossa pelvis, quorum unus est continuatio alterius; capita sunt opposita; umbilicus est unicus; quatuor vel tria habentur brachia, et quatuor crura; organa interna, idest viscera, plerumque sunt duplicia (fig. 114).

321. Adsunt praeterea nonnulla monstra *aequalia*, quae adhaerent inter se per caput aut per extremitatem columnae vertebralis, idest per coccygem et appellantur:

a) *Craniopaga*, quae possunt adhaerere per verticem capitis ita ut unus in contrariam partem vertatur respectu alterius; aut adhaerent per occipitem aut per ossa frontalia; cerebrum et reliquum corporis duplex est; possunt vivere aliquot temporis et nonnulla craniopaga etiam sex ad decem annos vixerunt (fig. 112 et 113).

b) *Pygopaga* (πυγή = nates; παγείς = coniunctus), quae adhaerent per nates, os sacrum et coccygem. Ex organis internis tantum intestinum rectum et, in nonnullis casibus, etiam vagina, simplices erant. Haec monstra possunt vivere, sicut probatur ex historia duarum puellarum Hungariae, quibus nomen Helena et Iudith, quae natae

sunt anno 1701 et mortuae anno 1723 et ex monstris e binis capitibus Christie et Millic, natis anno 1851 in California meridionali.

322. B) *De monstris duplicibus inaequalibus seu parasitariis.*

In hac classe referuntur omnes gemini fetus, quorum unus perfecte evolutus, alter vero multo minus aut omnino monstruosus est. In evolutione uterina duorum fetuum, unus crevit multo magis quam alter, qui adhaeret primo; forma melius evoluta *autosita* dicitur, altera vero multo minus evoluta, *parasita* vocatur. Potest etiam fieri, ut fetus maior adeo creverit, ut minorem omnino circumdet, qui tunc in corpore autositae inclusus remanet et *fetum in fetu* constituit. Principaliores species huius classis sunt:

a) *Epigastria* (ἐπὶ = super; γαστήρ = venter), quae habentur, quando parasita adhaeret epigastrio autositae, idest pectori, ventri vel lateri. Rarissime fit ut parasita perfecte evolutus sit et caput et organa interna et artus possideat et adhaereat autositae per sternum et iecur; frequentius parasita acephalus est, cum habeat tantum pelvim et extremitates inferiores aut partis superioris corporis tantum vestigia. Patet parasitam nutriri per circulationem autositae. Aliquando parasitam observatum fuit habuisse tantum collum vel speciem colli. Saepe autosita adeo monstruosus est ac parasita et incapax vivendi; in multis casibus vero perfectus natus fuit et diu vixit; parasita nil vitalis aut voluntarii praebebat et adcrescebatur sicut autosita. Ita principio saeculi XVII celebris fuit iuvenis genuensis, cui nomen Colloredo, habens parasitam epigastrum cum corde pulsante, respiratione et saliva; at nullo cibo utebatur et nullam habebat defoecationem. Item initio saeculi nuper praeteriti, sinensis quidam habebat, externe, in pectore acephalum, calore normali ac peni erigibili praeditum; pungendo aliquantulum parasitam, autosita afficiebatur dolore (fig. 116 et 117).

b) *Engastria* (ἐν = in); parasita inclusus invenitur in ventre autositae. In corpore puellae cuiusdam, tertio anno suae vitae, inventus fuit parasita subtus pellem ventris, mediocriter evolutus.

c) *Papiracea;* haec monstra habentur, quando unus fetus valde evolvitur et fortiter comprimit alterum iam mortuum; hic tunc necessario deprimitur; adeo ut, ex forma consequente, *papiraceus* appelletur. Hic potest vivere plus minus vita alterius per vasa sanguinis.

d) *Epipygia;* sunt nonnullae species fetus adhaerentis in regione sacra autositae; parasita potest habere unam aut duplicem extremitatem et intestina (fig. 118).

e) *Epignathia;* (ἐπὶ = super; γνάθος = maxilla); sunt monstra, quae habent in capite magnum plerumque fetalem tumorem, ex ore sporgentem, intus continentem species extremitatum informium, fragmenta intestinorum, cum ossibus, dentibus etc. (fig. 109).

323. Monstra *tricephalia,* idest cum triplici capite, rarissima sunt; frequentius sunt monstra triplicia parasitaria. Item monstra *triplicia* aliquando habita fuerunt; at sunt rarissima [1].

---

[1] Quoad monstra v. Perls M, *Manuale di patologia generale*, trad. di G. Antonelli, 5ª ediz., Napoli 1875, vol. II, pag. 296 et ss.; Schroeder, *Op. cit.*, pag. 609 et ss.; Guinard, *Précis de Teratologie*, Paris 1893, et praesertim Geoffroy Saint-Hilaire, *Histoire des Anomalies de l'organisation de l'homme et des animaux*, Baillière, Paris.

CAPUT XXI

DE HUMANIS TEMPERAMENTIS [1].

324. Humanum corpus, ut scimus, variis organis ac systematibus organicis constat, quae singula speciale officium habent et servandi valetudinem et explicandi activitates tum corporis tum animae. Quum omnia et singula organa et systemata perfecte suo munere funguntur, optima hominis sanitas consequitur; at, cum aliquod ex iis defectu vel activitatis excessu laborat, effectus respondentes defectui vel excessui proveniunt, ex quibus ortum ducit aliqua perturbatio physiologica in valetudine; et si defectus vel excessus functionis gravis sit, morbus et mors ipsa sequi potest. Praevalentia igitur activitatis alicuius organi vel systematis particularia temperamenta gignit.

Ex qua praevalentia temperamenti non tantum physici effectus speciales oriuntur, ex quibus temperamentum ipsum desumitur; sed ob mutuam illam ac strictam actionem corporis in animam, etiam varii effectus morales sequuntur, qui ab illa pendent, vel ex illa mutationem accipiunt; ita ex. gr. homo e temperamento nervoso ab aliis distinguitur ob inconstantiam consilii, ob maximam instabilitatem seu sensibilitatem et ob motum fere perpetuum; libidinosa vero vita et intemperantia indicia praecipua sunt temperamenti sanguinei.

Quam ob rem, cognitio temperamentorum quam maxime in

---

[1] Cfr. Debreyne-Ferrand, *La théologie morale et les sciences medicales*, Paris 1884, pag. 9-45; Beclard, *Op. cit.*, pag. 1155; Surbled, *La morale dans ses rapports avec la médec. et l'hygiène. La vie organique*, Paris, 5ª edit., pag. 57 et ss.; Meyer, *La scienza de' Santi*, Roma 1904, pag. 186 et ss.

praxi utilis evadit, non tantum medico, cui incumbit studium et officium illa corrigendi, ne grave detrimentum valetudo capiat, sed etiam Confessario et iuvenum institutoribus, ut facilius possint passionum originem noscere et singulis temperamentis opportuna remedia praebere, quia eadem remedia minime omnibus indiscriminatim prosunt. Haec temperamenta praesertim prae oculis esse debent iis, qui contracturi sunt matrimonium, ut ex hoc boni effectus, quoad prolem, habeantur. Notum est enim plures characteres physicos et morales a parentibus transmitti ad filios per hereditatem; hinc si parentes sunt ambo eiusdem temperamenti, facillime et proles habebit idem temperamentum aut saltem magnam praedispositionem ad illud; et mox videbimus qualem actionem, etiam moralem, varia temperamenta exerceant in filios. Quod si parentes opposita habeant temperamenta, facilius utrumque corrigitur et proles nascetur non laborans nec defectu nec excessu temperamenti genitorum. Notandum vero, si discrimen temperamenti requiritur in contrahentibus, tamen necesse esse ut, quantum fieri potest, absit discrimen characterum moralium.

325. Deinde notamus, maximam esse actionem constitutionis in actus morales et intellectuales hominis, et ab illa valde pendere indolem, ingenium, individualem characterem, ad varias virtutes impulsus, ad vitia et passiones maiorem vel minorem facilitatem, amabilitatem, socialitatem, animi status, sentiendi vel percipiendi rationem, varios cum ceteris se gerendi modos, differentes mentis manifestationes etc.; ita, ut, *per se*, dici possit hominem talem plerumque esse, qualis temperamento efficitur. Dicimus *per se*, quia multae causae possunt temperamenta pro variis adiunctis optime corrigere et etiam mutare, quales sunt bona ac christiana animi institutio, rerum bonarum lectiones, honesta mentis distractio, boni ac pulchri iusta aestimatio, vitiorum ac malarum passionum horror, sensus pietatis ac timoris Dei, exercitationes physicae, ludi honesti, quibus animi recreantur, piorum operum praxis et Sacramentorum frequentia, honestae conversationes, scholae educativae et verae christianae, et, in genere, omnia illa, quae animum recte occupare et distrahere valent. Quum vero temperamentum valde et praeter ordinem defectu vel excessu laborat remediis moralibus et hygienicis etiam nonnulla medicamenta addenda sunt, quia tunc de morbo agitur.

326. Inter *causas* vero horum temperamentorum, praeter here-

ditatem, qua a parentibus haec transmitti possunt, praecipue notantur vitae habitudines, natura ciborum, abusus voluptatum carnalium, mala institutio, perversae familiaritates, inhonestae conversationes, mala exempla, contagium morale per amicos aliosque corruptos, impetus passionum non domiti, lectiones periculosae, nonnullae professiones, clima ipsum, hodierna hominum consociatio, et plura alia. Temperamenta demum, quae facilius immutari possunt, sunt quae homini minorem firmitatem ac animi minorem constantiam tribuunt, quales sunt praesertim nerveum et lymphaticum.

327. De temperamentis, in praesenti, inspectis praesertim novis physiologiae et anatomiae inventis et experientiis, valde aliter tenendum est ac tempore Galeni, quo opinio habebatur existere in humano corpore quatuor humores, scilicet *sanguinem, bilem, atram bilem* et *pituitam,* ex quibus quatuor temperamenta admittebantur, prout unus vel alius ex his humoribus praevaleret; quae temperamenta erant: *sanguineum, biliare, melancholicum* et *phlegmaticum.* Processu temporis, temperamentum phlegmaticum locum cessit temperamento *erotico,* cum constaret pituitae humorem non existere. Ob auctoritatem vero Galeni eiusque scholae et ob carentiam notionum physiologiae, quam plurimi auctores, qui de humanis temperamentis scripserunt, Galeni scholae sententiam amplexati sunt et descriptiones varias temperamentorum nobis praebuerunt potius phantasiae, quam veritati inisas, quae descriptiones ad nostra usque tempora apud nonnullos scriptores perstiterunt. Immo, nonnulli non tantum divisiones temperamentorum, iuxta Galeni scholam, admiserunt, sed alias etiam divisiones creaverunt, ita ut plurima temperamenta in eorum scriptis inveniantur; dum illi, qui minus presse Galeno adhaeserunt, sequenti tempore, tantum tria temperamenta retinebant, neglectis temperamentis ex atra bile et bile provenientibus; quae temperamenta erant: *temp. nerveum, lymphaticum* et *eroticum.*

Nunc vero temporis antiquorum opiniones de causa, natura et numero temperamentorum non possunt admitti. In primis notamus nomine temperamenti intelligi summam conditionum physicarum, quae in homine inveniuntur, ob quas homo in suo corpore non gaudet perfecto illo ordine functionum organorum, ex quo *physiologica* valetudo locum habet; et, cum in singulis hominibus, praesertim in praesenti hominum societate, singula organa, vario modo, perfectum illum ordinem fungendi non habeant, evidens est *physiologicam* va-

letudinem esse potius idealem quam realem, ac proinde tot oriri posse temperamenta quot sunt homines.

328. Ex superius dictis de physiologia generali hominis, habemus ex omnibus systematibus praevalentiam spectare ad systema nerveum. Potest enim dici cum Lacassagne vitam hominis non esse in eius sanguine, sed totam in eius nerveo systemate. At hoc systema non est *absolute* in omnibus superius ceteris systematibus et organis, cum, sub nonnullis rationibus, et ipsum pendeat a systemate sanguineo et lymphatico et aliis organis; ac ideo liquet evolutionem praevalentem alicuius systematis (quod efficit constitutionem vel complexionem) et functionalitatem praevalentem ipsius systematis vel organi, pendentem a systemate nerveo, posse immutare characterem nerveum individui eique speciales notas tribuere, et, hac causa, constituere speciale temperamentum, quod multum immutari potest per media moralia et educativa eo modo, quo per media physica immutari possunt constitutiones.

Cum vero systema nerveum et alia organa et systemata continuo relationes varias habeant cum rebus circumstantibus, harum mutationes necessario exercere debent respondentes mutationes in constitutionem et temperamentum.

Quod fieri possit exacta distinctio tum variarum constitutionum tum temperamentorum et quod haec distinctio niti queat in notis anatomicis et physiologicis, omnino impossibile est, quia in evolutionem certae complexionis et temperamenti actionem habent nimia elementa, quae inter se in aequilibrio instabili sunt.

Tamen, ob commodum divisionis et studii, potest in pluribus servari vetus distinctio, aliquantulum mutata, notando, quod temperamenta omnia, cum resultent dispositionibus affectivis, passionibus et facultatibus intellectualibus, ortum ducunt statu cerebrali et vita nervosa, plus minus mutata ob actionem causarum proximarum (organa et systemata individualia) vel longinquarum (clima, ratio vitae etc.).

329. Cum vero systemata praevalentia in organismo sint tria, admittimus tres respondentes typos temperamentorum, qui sunt:

1° temperamentum nerveum cum { biliari / erotico / melancholico }
2° temperamentum sanguineum
3° temperamentum lymphaticum.

Tres hi typi temperamentorum respondentes gignunt complexiones, etsi saepe non observetur absoluta respondentia inter constitutionem et temperamentum. Praeterea notandum haec temperamenta respicere hominem normalem in eius multiplici modo agendi, morali, psychico, nerveo. Cum demum non sit exacta distinctio inter statum normalem et statum pathologicum, liquet saepissime nonnulla temperamenta esse sub dominio pathologiae.

330. Nonnulli medici recentes nolunt admittere existentiam temperamentorum, quia, ut ipsi aiunt, notio et divisio temperamentorum ex Galeni schola nobis venerunt, quae innitebatur in falsis. At hoc non recte; nam, si ita erat de sententia Galeni, restat tantum ut falsa corrigamus et teneamus quod veritati respondet. Ceterum, data praesenti hominis physica constitutione, et dato quod, uti re est, absit perfecta et in ordinem posita functio organorum corporis, sequitur necessario existentia temperamentorum seu status quidam physicus, qui efficit ut huiusmodi homines prae ceteris, non eumdem statum habentibus, facile cognoscantur ob nonnulla particularia indicia, quae temperamentum illud denotant; ac proinde existentia temperamentorum respondet veritati, quam quotidiana praxis late confirmat.

His praemissis nonnulla dicemus de singulis his constitutionibus.

1. — De temperamento nerveo

331. Hoc temperamentum distinguitur ob praevalentiam activitatis systematis nervei prae ceteris; hoc systema maximi momenti est pro regularitate ceterarum corporis functionum, ut iam vidimus, quia hae omnes illi subiiciuntur; ex hoc facile intelligitur quomodo eius excessiva sensibilitas integro homini nocere possit. Homines, hac constitutione praediti, sunt ordinarie macri, graciles, vivaces, fere continua singulari musculorum mobilitate excitati; oculos habent micantes, capillos nigros vel nigricantes, barbam praecocem ac abundantem, venas subcutaneas bene apparentes et, ob sensibilitatem nimis exquisitam, facilem praedispositionem ad motus spasmicos et convulsos; volubilitas animi, facilitas loquelae, rapiditas motuum praecipui horum characteres sunt.

Vivaci phantasia et imaginatione, facile huiusmodi nervosi studiis speculativis incumbunt; at, ob nimiam sensibilitatem, quaelibet

etiam minima res eorum mentem distrahit et inhabiles efficit ad studia, quae patientiam et diuturnam meditationem requirunt. Excessiva facilitas sententias ferendi ac cito mutandi in mulieribus nervosis specialiter notatur. Nimia nervorum sensibilitas homines nervosos impellit ad nova semper inquirenda; cum nonnulla iam experti sint, facillime fastidiuntur; animadversiones ac iniuriae eos maxime perturbant; voluptates sexuales in eis principem locum tenent, et eorum anima amari cupit; si haec passio ob aliquam causam impeditur aut obstaculum invenit, facile ad odium transeunt. Saepissime eorum nimia sensibilitas causa tot malorum ipsis est, quia eorum spiritus, valde sensibilis, quum quaesitam satisfactionem non habeat, graviter perturbatur et patitur.

Ad labores musculares parum habiles, cito defatigantur, quum eos suscipiunt.

Personae e temperamento nervoso facile, propter vitae fallacias, amaritudines, incommoda, dolores ceterasque angustias, quae in praesenti tam frequenter occurrunt, tristes et melancholicae saepe fiunt, suspicaces, inquietae, aliquando etiam crudeles; si vero temperamentum nervosum omnino biliari locum cedit, vita earum adeo tristis et obscura fit, ut hypocondria maxima illas vexet; et, si remedia moralia et physica minime eas iuvant, ita taedio vitae affici possunt, ut finem dierum saepe per suicidium sibi procurent.

332. Studium et cura temperamenti nervei maxime necessaria sunt praesertim omnibus, qui aliquo modo iuvenum institutioni vel animarum directioni praesident. Personae nervosae in praesenti adeo numerosae sunt, ut, inter plura millia hominum, vix unus inveniatur, qui anormali quadam nervea sensibilitate careat. Quod procul dubio praesentis societatis constitutioni maxime tribuendum est. Quum vero huiusmodi temperamento praediti, nisi cito recte dirigantur, cuiuscumque aberrationis sint capaces, evidens est omni studio curandum esse, ut omnes illae qualitates in eis excitentur, quae eorum excessivam sensibilitatem obtundere valeant. At certo frustra quis hunc laborem sibi susciperet, si remedia non opportuna adhiberet. Et, cum eorum sensibilitas gravis sit, haec in primis est curanda; hinc quaeratur, ante omnia, pulchritudinem virtutis eiusque felicitatem ostendere, amorem Dei animaeque consolationes explanare, iniicere odium ac aversionem ab omnibus, quae hominis animum deturpant, cultum veritatis excitare omnesque dulcedines vitae christianae patefacere. At omnia haec paullatim et cum discre-

tione; omnis indulgentia, quam conscientia tuto permittere potest, adhibeatur; omne, quod graviter et non recte spiritum excitare valet, removeatur; animi quies ac tranquillitas inspirentur.

Ad minuendam excessivam sensibilitatem, media physica satis opportuna evadunt, ex. gr. frigida balnea (c. 1 min.) vel tepentia balnea (c. 10 min.), per aliquod tempus quotidie nudatis pedibus ambulare, cibis minime excitantibus uti, frequentes ambulationes, itinera, mentis distractiones procurare etc. Valde utilis hic est cura hydroterapica iuxta methodum et indicationes parochi S. Kneipp.

Quum vero per media moralia et physica, temperamentum moderatum sit, facilius maiora a nervosis obtineri possunt. Ita agendo, magnum commodum physicum et morale ipsi retrahent, et ad actiones nobiles et generosas et etiam ad sacrificia non communia parati facile inveniuntur.

Hoc temperamentum comprehendit: *a*) *temperamentum eroticum, b*) *temp. biliare* et *c*) *temp. melancholicum.*

a). — *De temperamento erotico seu genitali.*

333. Quum activitas fungendi apparatus sexualis magna vitalitate et potentia manifestatur, oritur temperamentum eroticum seu genitale. In primis dicendum, characteres specificos, ex quibus hoc temperamentum cognosci potest, omnino deesse, etsi praebeantur, velut qualitates huiusmodi constitutionis, aspectus lascivus, labium inferius nimis crassum, macies generalis corporis, subtilia membra, barba nigra ac copiosa et vox gravis et sonora.

Hoc temperamentum notatur in hominibus costitutione sanguinea et sanguineo-biliari. Potest haberi a parentibus per hereditatem vel oriri ex causis corporis internis vel externis et etiam psychicis, de quibus omnibus inferius dicemus.

Quum temperamentum eroticum minime statim sedatur, pessimae consequentiae tum corpori tum animae, citius vel serius, consequuntur; et hoc temperamentum quam maxime ad morbos nervosos viam aperit et praesertim ad satiriasim in viro et nymphomaniam in femina. Saepissime paralysis, epilepsia, chorea, phthisis, et tot alii morbi, etiam gravissimi, ex hoc statu neglecto aut non recte curato, primam causam inveniunt.

Causas vero et ceteros effectus, qui habentur in hac constitutione,

inferius exponimus. Praxis religionem colendi, amor virtutis, fuga cuiuscumque occasionis, quae ad hoc temperamentum fovendum confert, remedia hygienica et physica, hic quam maxime commendantur.

b). — *De temperamento biliari.*

334. In hac constitutione, activitas maxima fungendi glandulae hepaticae nomen tribuit huic temperamento, quod non difficile cognoscitur. Homo enim temperamento biliari faciem habet nigro-fulvam, mediocrem staturam, oculos valde micantes et vivaces, supercilia densa, adspectum gravem, profundum vel severum, capillos nigricantes, saepe crispatos, qui ante tempus decidunt, carnes consistentes, pilos hispidos, venas satis apparentes, corpus ordinarie macrum, pulsationes frequentes ac duras, modos ordinarie rudes.

Characteres morales praecipui huiusmodi hominum sunt ambitio, desiderium gloriae et irascibilitas. Optimis qualitatibus mentis praediti, forti, vivaci et reflexiva intelligentia donantur; imaginatione vehementi excitati ac recta iudicandi ratione dotati, facile et proficue studiis diversis incumbunt; animo constanti et firmo a nervosis maxime differunt.

Eorum ambitio ac desiderium gloriae est causa timoris ac formidinis in aliis, quia, si quid nobile, difficile, gloriosum biliosi assequi cupiunt nullo obstaculo ac gravi difficultate terrentur; mente forti ac imaginatione fervida, occulte media sibi comparant, quae, opportuna data occasione, palam proponunt, exequi conantes, quod eorum cordi inest; ardor gloriae, honorum ac laudis eorum passiones excitat, ob quae impatientes, violenti, indefatigabiles fiunt; in his passionibus ardentes, in omnibus eorum gestis perseverantiam usque ad tenacitatem conservant; saepe summi, praevidentes, attrahenti ac fervido ratiocinandi modo, vivacitate phantasiae, loquela rapida et animata, plebis ac populorum aestimationem sibi acquirunt. Faciles ad iram, cito adeo excitantur, ut etiam ultores et crudeles fiant; ad carnis voluptates aliquantulum proclives, respondentem amorem petunt, qui, si quo modo deficiat, personam, antea peramatam, odio, vindicta ac crudelitate persequuntur. Optimae qualitates mentis, quidam in agendo robur, conceptuum magnitudo, studium gloriae et mundum renovandi, iuxta eorum desideria, biliosos homines semper

effecerunt valde habiles ad fortia gesta, ad nobiles actiones aut ad crudeliora crimina. Et re quidem vera, ex historia novimus maiores coryphaeos religionis et rei civilis fuisse semper biliosos viros, ex. gr. Achilles, Aiax, Pyrrhus, Hannibal, Marius, Silla, Alexander, I. Caesar, Brutus, Mahometus, cardinalis de Richelieu, Cromwell, *czar* Petrus, Carolus XII et primus Napoleon; Galliae perturbatio civilis saec. XVIII biliosos viros, velut principes ac instigatores summos, habuit. Ex hoc facile apparet, quanto periculo huiusmodi homines pro familia et civili societate evadere possint. Ad haec addatur, amorem et amicitiam perpetue in viri biliosi animo eadem ratione servari, ac odium et spiritum ultionis.

335. Quum temperamentum biliare nondum omnes huius constitutionis characteres in animo impresserit, non difficile sperari potest correctum iri, si obiectum, ad quod fertur, mutetur et efficiatur ut animus ad aliquod vere nobile aspiret. Studium ambitionem explendi et excellentiam prae ceteris assequendi, vertatur ad inquirendam ac sequendam virtutem, eis ostendendo huius pulchritudinem, et quietem ac animi tranquillitatem, quam secum fert, et omnia adhibeantur, quae virtutis amorem et sequelam vere inducant; quia, si hoc, quod quidem minime sine magno opere et labore fieri potest, obtineatur, ob firmitatem propositi, ob animi constantiam et mentis excellentes qualitates, possunt biliosi homines etiam cuiuscumque sacrificii pro veritate et virtutis triumpho valde capaces evadere. Quod si biliare temperamentum in tota sua natura apparet et nulla adest spes illud corrigendi, maxima damna timenda sunt, et Deum precari oportet, ut, sua gratia, ad mitiora horum corda convertere dignetur.

Regiones calidae maiorem numerum huiusmodi hominum gignunt.

c). — *De temperamento melancholico.*

336. Hoc temperamentum nonnulli auctores varietatem esse affirmant temperamenti nervei; nos vero, Debreyne sequentes, velut specificam constitutionem consideramus. Ordinarie melancholici cognoscuntur ex corpore alto, macilento, debili, ex colore visus pallenti vel flavescenti, aspectu inquieto et tristi, oculis excavatis et capillis nigris, motibus tardis et quasi defatigatis. Systema nerveum maxime excitatur affectibus tristibus, qui eorum animum valde perturbant; in eorum mente continuo volvuntur cogitationes deprimentes

quietem spiritus, quas ipsi fovent; tota eorum natura immittit in eorum cor sensus profundae tristitiae, quam ipsi alunt; ideo quaerunt solitudinem, sunt diffidentes, misanthropi, intractabiles, pertinaces, indifferentes; sensus ultionis et odii in imo corde dissimulant; aliquando passionibus vehementibus excitantur, quas saepe ex industria celant, ut, statuto tempore et opportuna data occasione, vehementiores irruantur; taciturni, simulationi et phantasiae dediti, suspiciosi, ab usu communi abhorrentes, omnes urbanas societates, amicis nonnullis exceptis, effugiunt; non raro docti et excellentes oratores, multitudinum animos sibi conciliant; omnia iudicant, de omnibus queruntur; cum quid mente sibi proposuerint vel contra auctoritates vel contra leges, nihil eis resistit; omnia arma, quae illos iuvari possunt, in praxim afferunt, et iis utuntur, donec, si possibile sit, finem propositum consequantur; hinc celeberrimi haeretici, sectarum principes, tyranni et fere omnes, qui magis in rebus politicis vel religiosis sectas promoverunt, constitutione melancholica laborabant; nec vero hoc difficile intellectu est, quia huiusmodi viri, ob facilem facundiam, ob vivacitatem et calorem sermonis, ob doctrinam, quam ostendunt, ob indefatigabilem activitatem et rerum novitatem, quam petunt, multorum mentem ad se attrahunt ac tenent.

Tamen, licet tanta sit eorum activitas, saepe eorum spiritus adeo tristitia afficitur, ut frequenter hypocondria eos maxime perturbet, cuius finis non raro suicidium est.

Veluti exempla huius constitutionis afferuntur Tiberius, Ludovicus XI, et, quoad morales affectiones, Rousseau, Tasso, Gilbert, Zimmermann etc.

337. Quum temperamentum melancholicum primo apparet, oportet cito melancholici mentem ad res distrahere, quae tristitiam destruere valeant; quum vero constitutio tota vi manifestatur, tum grande et difficile opus incipit; primo quaeratur inspirare virtutis amorem et praxim, quod quidem absque magno labore fieri nequit; prae oculis tamen habeatur non nimium a melancholicis expectandum, quia ab ipsis vix res communes et ordinarias quis obtinere poterit; eoque magis, quia, cum pietati vacent, melancholici facillime valde proclives ad scrupulos evadunt. Oportet multum pro ipsis Deum deprecari, ut in huiusmodi labore abundantiam gratiae conferat, sine qua impossibile est hanc constitutionem corrigere.

Ex hoc liquet, quanto studio et cura necesse sit melancholicos prosequi et quanto periculo familiae et civili societati esse possint.

2. — De temperamento sanguineo.

338. Hoc temperamentum notatur ob praevalentiam systematis circulationis sanguinis, cui respondet conveniens evolutio organorum respirationis; proinde cognoscitur ex amplo pectore, ex colore rubro vultus, ex respiratione ampla, ex pulsatione robusta ac regulari, ex oculis micantibus, adspectu hilari et amabili, alta statura, carnibus consistentibus, capillis castaneis vel fulvo-castaneis.

Delicata sensibilitate nervea, huiusmodi homines facile irritantur, at cito quiescunt; vivaci ac prompta imaginatione et phantasia, facili intelligentia evadunt; memoria flexibili, res optime retinent; variis externis sensationibus affecti, nimia facilitate ad varia transcurrunt, ex quo sequitur incostantia et inhabilitas ad studia, quae postulant meditationem et attentionem; ordinarie, hac causa, eruditione aliquantulum profunda carent; sunt tamen urbani, vivaces, gaudentes, sinceri, benefactores, grati, affectuosi, erga miseros et afflictos misericordes, saepe vero leves et audaces. Ad omnes voluptates ac gaudia maximo ardore feruntur; hinc venatione, saltationibus, lautissimis conviviis, luxu, et modo speciali, carnalibus voluptatibus delectantur ac valde iis indulgent; neque negligunt itinera, vanitates, studium se ipsos ornandi et quodvis aliud, quod sensuum satisfactionem ferre potest. Ex quo facile sequitur intemperantia ac libidinosa vita hosce optime distingui et studio continuo novas voluptates quaerendi.

Eadem inconstantia, nuper notata, in omnibus eorum passionibus invenitur; dolores, qui perturbant, gaudia, quae excitant, minime diu eos tenent.

339. Ut recte notat Debreyne, huiusmodi homines quum sensuum voluptatibus maxime alliciantur, inimici sunt poenitentiae ac christianae mortificationis; quapropter modo diverso a nervosis tractandi sunt et minus ab eis est petendum. Cum sanguinis abundantia magis in his, quam in ceteris, organismum totum nutriat, organa ipsa particulari quodam robure pollent, cui respondet particularis vis fungendi; ex hoc oriuntur vehementiores passiones et vitia, quibus nimia facilitate indulgent. Quam ob rem fit, ut infructuose quis ageret, si ad evellendas horum passiones et vitia *illico* incumberet; quaerendum est hic, ut morale in primis excitetur ad aestimandam vim et pretium virtutum, quae eorum agendi modo opponuntur; oportet ut

eorum animus imbuatur sensibus generositatis et beneficentiae, digna aestimatione gaudii in succurrendo proximo, animae satisfactionibus in explicandis propriis activitatibus pro aliena salute et vita. Quum vero huiusmodi hortationes suasionem in eorum spiritum induxerint, facilis evadit praxis abstinentiae a superfluo cibo et potu et excessivo studio semper nova inquirendi. Ad comprimendos vero carnis stimulos, optimae sunt exercitationes physicae, usus valde moderatus vini, cibus simplex et frugalis, praesertim vegetalis, cum parva carnis quantitate; animalis enim victus abundans nimis hoc temperamentum favet.

340. Saepe vero fit, ut si huiusmodi homines exercitationibus etiam physicis vacent, sanguis abundans, in circulationem celerius impulsus, nutritioni pleniori totius corporis quam maxime faveat et systema musculare et osseum non commune augmentum acquirant; hac ratione cum systemate circulatorio, valde evoluto, tunc coniungitur evolutio maior systematis muscularis; quod quidem efficit ut oriatur constitutio *sanguineo-muscularis* vel *atletica*, quae varietas sanguinei temperamenti est. Absque difficultate, huiusmodi homines cognoscuntur; plerumque minime alta statura, caput et frontem parvam habent, collum magnum, humeros amplos, pectus latum, musculos lumbares et dorsales maxime evolutos, minimam pinguedinem, pellem duram, brachia robusta. In eorum generali adspectu, magna vis et non commune robur evidenter apparet; dici potest vim ac fortitudinem eos repraesentare. Quam ob rem in eorum actionibus fortitudo potius quam ratio praevalet; hinc ad fortes labores maxime apti sunt; pauca intelligentia ac nervea sensibilitate praediti, ordinarie mentis cultura carent ac segnitiem quamdam ad discendum prae se ferunt; at, si aliquando irascuntur, difficile sedari possunt; passiones in his minus possunt, quam in praeditis sanguineo temperamento puro. Praecipuum vitium horum sunt frequentes rixae, intemperantia, ebrietas et abundantes comestiones.

Huiusmodi personarum facilius correctio haberi potest; cum sensuum passiones minoris vehementiae sint, in primis curandum est vitium ebrietatis; cetera vero facile obtinentur.

3. — *De temperamento lymphatico.*

341. Characteres oppositi temperamenti nervei et sanguinei hic notantur. Ordinarie lymphatici cognoscuntur ex pinguedine, ex carnibus mollibus et albis, ex colore vultus albo vel leviter roseo, oculis *bleu*, et absque vivacitate, capillis flavis, cinereis, rubris plus minus, parva barba flava vel rubra, tenui, levi, sero apparenti, pelle tenui et, ob adipem, molli, sine pilis, utroque labio, praesertim superiore, crasso, incessu lento, motibus tardis, digestione difficili, respiratione laboriosa, diuturno somno. Omnes hi characteres inertiam ac parvam organorum vitalitatem indicant, quae in omnibus, etiam psychicis, manifestationibus apparent; hinc parva intelligentia, memoria labilis, phantasia debilis, sensationes minimae, absentia excitationis ad studia, ad artes et ad gloriam lymphaticos comitantur; inertia, pigritia, indifferentia, longanimitas, diuturnitas in agendo et patientia lymphaticos efficit huius vitae feliciores mortales; difficiles ad iram, cum irascuntur, facillime sedantur; nam motus irae statim componunt; natura boni, benevoli, indulgentes, minima loquacitate, in alios misericordes, dulces, urbani, absque praesumptione, litium ac discordiarum inimici, sine malitia, tranquilli, non duplici animo, iusti ac lenti ad iudicandum, aliorum aestimationem sibi conciliant; animo frigido, nec vitiis aut passionibus nimis indulgent, nec praeclaris virtutibus valde excellunt, quia eorum sensibilitas rebus externis parum afficitur. Parum curantes sexuales voluptates, opimas comestiones, potiones fermentatas, tabacum fumandum voluptuoso quodam affectu diligunt; inspecta eorum natura, lymphatici in omnibus mediocritatem assequantur.

Lymphaticum temperamentum ordinarie proprium est infantiae, mulierum multorumque virorum; praesertim invenitur in regionibus frigidis, humidis et septentrionalibus.

342. Cum quis velit hosce homines curare, ei necesse est non abuti eorum bonis qualitatibus, quibus tantum uti debet ad eorum constitutionem corrigendam. Inertia ac pigritia, quae eorum princeps character est, oportet ut in primis excitentur, praebendo occasionem vitam activam degendi et concipiendi aversionem excessivae quietis tum animi tum corporis; eoque magis hoc attendendum, quia, natura, tranquillitatis et otii studiosi, ob defectum occupationis, facile vitio mansturbationis vacant. Si virtutum exercitium a lymphaticis

quaeratur, prae oculis habeatur characteristica eorum impassibilitas ac tarditas ad omnia, neve imperentur, quae nimis has eorum qualitates perturbant, quia facile terrentur, et nil obtineri tunc potest, neve actus, qui virtutem specialem ac fortem animum requirunt, proponantur, quia ad haec inhabiles natura sunt; omnia vero, quae patientiam ac longanimitatem requirunt, optime iis procedunt.

Eorum excellentibus qualitatibus inspectis, ex iis optimi cives ac patresfamilias inveniuntur, quia, de se ipsis contenti, nesciunt in aliorum negotiis inopportune commisceri, aliis mala reddere; non communi tranquillitate et quiete praediti, huius mundi angustias et molestias impassibili animo pertranseunt.

PARS II.

DE PRAECEPTIS DECALOGI

DE PRIMO PRAECEPTO.

Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis deos alienos coram me.
(Ex. xx, 2, 6).

CAPUT I.

DE SPIRITISMO.

343. Paucis abhinc annis, praxis consulendi spiritus et animas defunctorum evocandi adeo crevit, ut secta, vel, uti vocant, nova religio orta sit, cuius asseclae in omnibus terrae partibus existunt et quorum numerus computatur circiter 20,000,000. Et etiam apud nos ita late invenitur diffusa, in praesenti, haec praxis, ut vere dici possit nullum adesse locum, si forte nonnulla minima loca excipias, in quo non habeatur. Quod vero peius est, a multis uti ludus consideratur. Experientia, obtenta ex coetibus ad evocandos spiritus, luculenter demonstravit pessimos effectus ex iis oriri tum pro anima, tum pro corpore, quorum princeps et communis est amissio fidei. Qua re, hic pertractandam suscipimus hanc quaestionem, etsi alibi diffusius iam pertractavimus [1].

344. Antiquus est usus evocandi spiritus; quod probatur: *a*) ex pluribus locis S. Scripturae tum Veteris, tum Novi Testamenti, ex. gr.

---

[1] Cfr. Antonelli G., *Lo Spiritismo*, Roma 1902, 2 vol. (apud Pustet).

Lev. xx, 6, 7; I Reg. xxviii, 7-25 et xxix, 7, 9; VI Reg. xxi, 6; Is. xix, 3; Act. Apost. viii, 9; xiii, 6 et ss.: xix, 13 et ss.; xvi, 16-18; *b*) ex scriptoribus profanis, ex. gr. Virgilio (*En.* l. 6), Cicerone (*Tusc.* i, 16), Plinio (*Hist. nat.* xxx, 6), Svetonio (*Vita Augusti*, xxxi), Erodoto (*Hist.* v, 92), Plutarco (*Vita Cimon.*), et *c*) ex scriptoribus sacris, ex. gr. Lactantio, S. Hilario, Eusebio et Tertulliano in sua *Apologia* (c. xxiii). — Medio aevo frequentissimae fuerunt spirituum evocationes, uti plures auctores illius temporis testantur. Missionarii vero, pluresque regionum exploratores asserunt diffusam esse quam maxime huiusmodi praxim penes omnes populos et speciali quidem modo penes paganos et eos, qui fidem catholicam reiecerunt. Attamen tempore perturbationis gallicae, quo omnia, quae extra naturam sensibilem sunt, acriter negabantur, iuxta principia philosophica tunc temporis, etiam possibilitas communicandi cum spiritibus horumque existentia reiiciebatur; ex quo factum fuit ut, ab illo tempore, parum vel nihil de spiritismo res fuerit. At, anno 1847, in America denuo orta est praxis communicandi cum spiritibus, quum, in civitate Hydesville, familia Fox, e secta protestantium, per plures dies audivit plurimas percussiones, quae provenire videbantur e parietibus cubiculorum, ex solo, aliisque partibus domus; quae primo pacificos habitatores valde terruerunt, et postea hoc effecerunt, ut, cum percussiones innocuae essent, iis se se paullatim accommodarent. Tamen, praeter percussiones et rumores, etiam varia domus obiecta huc illuc proiiciebantur, cubiculis vel perfecte clausis, vel praesente ipsa familia, quae omnia haec optime adspiciebat, et cui vim, haec operantem, minime possibile erat videre. Huiusmodi novitas praeter ordinem familiae Fox curiositatem excitavit, quae coepit interrogare an spiritus esset, qui praedicta ageret; quae tamen per percussiones responsum habuit, causam esse spiritum. Interea, pluries notatum fuit, omnia praedicta phaenomena nonnisi praesente filia Fox, cui nomen Catharina, evenire; quod statim cogitare permisit, spiritum particulari affectione prosequi Catharinam vel in ipsa speciali vi agere.

Statuta semel, per plures consessus, communicatione cum spiritibus, desiderium nova noscendi huius et alterius vitae non amplius finem habuit. Multiplicatis coetibus penes Fox, coram magna multitudine a Fox invitata, cito habitae fuerunt plures revelationes a spiritibus, quarum effectus fuit, inter ceteros, divortium maioris filiae Fox a suo viro Fish et eius coniugium cum Brown.

345. At hoc tempore, praxis consulendi spiritus, sicut fulgur, totam Americam et Europam pervasit; repetitis experimentis, inventus fuit modus practicus intelligendi responsa spirituum per percussiones, quarum varius numerus singulis alphabeti litteris respondebat; percussiones vero percipiebantur, nulla earum causa apparente, per tabulam, cuius pes, se se erigens et dein declinans, terram percutiebat. Etiam in variis sessionibus semper notatum fuit, nonnulla particularia phaenomena nonnisi quibusdam certis personis praesentibus fieri, sicut in domo Fox; quod quidem fecit, ut hae personae *media* appellarentur, quia, per has, spiritus particulari modo agebant. Tamen notandum est media non esse necessaria ad habendas relationes cum spiritibus. Item, in primis, sessiones habebantur tantum nocte absque luce; in praesenti vero habentur nocte, die, et sub qualibet luce, ex. gr. electrica, magnesii, gas, etc.

346. Iuxta modum, quo, nostris temporibus, spiritismus se se manifestavit et evolvit, nonnullas phases oportet distinguere, quae sunt: 1° *spiritismus typtologicus* cum *mediis typtologicis,* quia responsa habebantur per percussiones (τύπτω = percuto); 2° *spirit. graphologicus* cum *mediis graphologicis,* quia responsa per scripturam obtinebantur (γράφω = scribo); 3° *spirit. invadens* cum *mediis invasis,* quia spiritus medium invadit et per illud, instar instrumenti, operatur; 4° *spirit. videns* cum *mediis videntibus,* quia, in coetibus, media vident spiritus, et efficiunt ut etiam adstantes illos videant; 5° *spirit. materializatus* cum *mediis materializantibus,* quia, per haec media, non tantum spiritus propriis oculis ab omnibus conspiciuntur, sed tanguntur, examini physico subiiciuntur, audiuntur loqui, videntur ambulare, instrumenta varia, etiam non existentia, sonare, plura phaenomena physica produci etc. Haec ultima phases etiam *reincarnationis* dicitur, quia, iuxta spirituum doctrinam spiritus denuo sumere corpus et vivere putantur, velut homines. Vix dicere oportet hasce phases spiritismi in praxi saepissime simul existere.

347. Iuxta naturam mediorum, media plures *classes* constituunt, prout varii effectus per ipsa producuntur, quales sunt ex. gr. media *percutientia,* per quae spiritus communicant eorum responsa mediante percussione, *moventia,* si coram ipsis varia domus obiecta moventur; *transferentia,* si obiecta et personae huc illuc transferuntur; *media apparitionis,* si, per ipsa, conspiciuntur obiecta, etiam longinquae regionis, in medio conventus decidere; *sanatoria,* si morbi curantur; *materializantia,* si, per ipsa, spiritus apparent

forma et corpore humanis, velut scilicet veri homines; *obsessa*, cum media, a spiritibus pervasa, contorquentur, convulsiones patiuntur; *subiugata*, si in potestate spirituum sunt, a quibus ad turpia et obscaena impelluntur etc,

348. In praesenti, responsa habentur vel per percussiones, ut iam diximus, vel per *tabulam divinatoriam*, quae etiam *psychographica* dicitur. Quae consistit in instrumento quodam, instar barometri aneroidis vel horologii, in cuius margine inscriptae sunt litterae alphabeti et in medio est index mobilis; facta in sessionibus aliqua interrogatione, index movetur et sistit super varias litteras, quae notantur; finita communicatione, litterae dant responsum. Frequentissime vero responsa habentur per *scripturam directam*.

349. Coetus spiriticus elicitur cum plures sedent circa tabulam, manibus supra ipsam positis, leviter eam tangentibus; hoc dicitur *catenam* facere. Dein aliquantulum expectatur, donec tabula moveatur vel percussiones audiantur. His habitis, praesentes interrogant et responsa dictis modis recipiunt.

350. Facta *certa*, quae ex sessionibus spiritismi habentur, ad sequentia reduci possunt:

1° Obtinentur responsa per percussiones vel per tabulam divinatoriam vel per scripturam directam, quin, hoc in casu, appareat manus scribens; si medium adhibetur, potest ipsum medium scribere responsa, quae saepe superant omnino eius mentis capacitatem.

2° Soluta catena, obiecta, quae sunt in loco conventus, moventur, tabula agitatur, in aëra levatur pluresque motus super capita adstantium agit, quin aliquis tangatur. Si catena vero non sit soluta, adstantes subiiciuntur omnibus motibus tabulae. Obiecta, parietibus adfixa, decidunt et quae sunt in cubiculo confuse moventur, huc illuc transferuntur, simul comprimuntur, quin rumpantur, rumoremque specialem producendo; post vero aliquod temporis, ad pristinum statum omnia redeunt.

3° Aliquando etiam scamnum vel tabula, in quibus medium sedet, in aëra levatur usque ad coelum cubiculi, lente vel rapide, saepe capite vel corpore medii luce radiantibus; potest etiam, hoc statu, medium per fenestras, quae, si clausae, sponte aperiuntur, extra circumferri. Omnia haec fiunt coram praesentibus et nulla apparente causa motus.

4° Ordinarie, ante praedictum motum, notatur variabilitas in magnitudine medii, quod aliquando multo maius, aliquando multo

minus apparet, et hoc tanto tempore, quo praesentes hasce variationes examinare possunt.

5° Tempore sessionis apparent in cubiculo plures flammae se moventes vel luces e pluribus coloribus; aliquando cubiculum ipsum magna luce, continua vel interrupta, pervaditur.

6° Frequentissime apparent membra varia humana vel horum partes, uti pedes, caput, manus; manus tangunt praesentes tactibus non semper urbanis nec decentibus.

7° Per os medii cognosci possunt plura longinqua, qualibet lingua antiqua vel moderna; quae omnia potest rapidissime medium ipsum scribere, vel calamus ipse scribit coram omnibus in charta extensa et aperta vel pluries plicata, vel in capsula inclusa, vel alibi cautissime custodita; manus, calamum dirigens, a nemine videtur; finita scriptura, calamus supra chartam vel supra tabulam cadit; omnia haec habentur etiam sine calamo et atramento.

8° Aliquando, cum spiritista aliquis, extra sessionem, scribit, ex. gr., epistolam, illico incapax evadit eam continuandi, et, vi quadam occulta, advertit manum dirigi et scribere, quae numquam cogitavit et nullo modo cum praecedente scriptura convenit. Eodem vero tempore, alius spiritista eumdem effectum patitur, et comparatis postea epistolis, videntur ambae invicem compleri.

9° Si in sessionibus aliqua defuncta persona evocatur, statim eius vox auditur et perfecte distinguitur ab iis, qui eam cognoverunt; omnia particularia eius modi loquendi, quae habebat in vita, omnino notantur. Si aliquando, tempore sessionis, aliquis adstantium breves preces recitat aut recitare cogitat, frequenter spiritus evocatus in blasphemias prorumpit. Responsa vero, quae habentur, multa vera cum falsis et bona cum malis admixta continent. Non raro sunt turpia, obscoena, fallacia. Voces, quae audiuntur, exire videntur ex parietibus, e pavimento, e coelo cubiculi.

10° Nostra demum aetate, spiritus frequentissime visibiles apparent; aliquando illico sub forma humana apparent, aliquando vero coram omnibus lente humanas formas assumunt; aliquando immobiles in sessionibus sunt, aliquando se movent, ambulant, loquuntur cum adstantibus, scribunt, canunt etc. Harum apparitionum valde frequens est illa, quam vocant spirituum *materializationem*, qua spiritus corpore humano, vivo, perfecte physiologico, indutus apparet et in omnibus se gerit velut vere vivens homo esset. Ordinarie materializatus spiritus latis et longis vestibus apparet, saepe quadam par-

ticulari luce circumfusus, etiam cum alis; plerumque in coetibus non apparet omnino formatus, scilicet materializatus, sed, in primis, instar parvulae nubis, plerumque coerulei coloris, quae, paulatim, mutationes plures patitur, ex quibus demum materializatio perficitur; item resolutio materializationis saepe lenta est; aliquando vero spiritus illico disparet, fenestris et portis sera clausis. In hoc statu materializationis spiritus amplectuntur praesentes ac deosculantur, et amplexus et oscula ab iis item recipiunt. Formas manuum, pedum, et faciei in gypso, vel cera, vel limo, aut parafina imprimunt. Conspiciuntur in sessionibus simul cum medio ambulare; permittunt per photographias eorum imagines haberi. Tempore harum manifestationum, medium somno profundo iacet immersus, saepissime statu cataleptico laborat et pluribus doloribus vexari aperte manifestat.

351. Cum vero spiritismus tam late in praesenti diffusus, sit, et in nonnullis regionibus novam religionem efficiat, ut diximus, facile intelligitur hanc religionem specialem doctrinam et particularia dogmata possidere, quae tenet ab ipsis spiritibus accepta, qui in variis sessionibus interfuerunt. Praecipua capita huius doctrinae, ex quibus facile natura spirituum, de quibus loquimur, clare apparet, ad sequentia reduci possunt. Omnia et singula media particularem spiritum custodem habent, qui, per ipsa proprias actiones et qualitates manifestat. Horum spirituum nonnulli sunt boni, nonnulli vero mali, perversi, turpes, obscoeni. Horum officium est docere homines veritates alterius vitae et doctrinam Christi perficere et explanare. Christus aliquando habetur ut merus homo, aliquando etiam Deus. Deus est, et quidem bonus, misericors, immutabilis, at iniustus, cum idem praemium cumulet bonos et malos, cum et hi, post plures reincarnationes, puri evadant et digni fiant aeternae beatitudinis; Deus continuo creat spiritus, qui in varios mundos mittuntur; et, si aliqua culpa hoc tempore inficiuntur, in pluribus corporibus destinantur vitam agere, donec puri evadant et aeternae felicitatis participes fiant. Anima humana creatur una cum involucro quodam, quod eam semper comitatur, neque omnino corporeo seu materiali, neque omnino spirituali seu immateriali, quod vocant *perispiritum;* mortuo corpore, anima, per perispiritum, praesens, visibilis et tangibilis viventibus fit; Deus, materia et spiritus efficiunt universalem trinitatem, quae est principium omnium existentium; daemones non existunt; infernus non est aeternus; purgatorium non est; sacramenta Ecclesiae reiicintur; matrimonium non est indissolubile, nisi

lege humana, quae mutari potest; species humana ortum non ducit ab Adamo et Eva; catholica doctrina decipit homines et falsa est; omnes religiones, catholica excepta, sunt bonae; homo debet tantum suae conscientiae vocem audire et sequi; odium in Deum princeps caput doctrinae est; defenditur et commendatur pantheismus et materialismus (ab ipsis spiritibus!); admittitur polygamia; excitatur, in pluribus coetibus, ad valde turpia peragenda, quae spiritus ipsi aliquando cum seipsis et cum aliis, coram praesentibus, perpetrant.

Uti clare liquet, doctrina spiritismi omnino adversatur catholicae veritati, sicut lux tenebris, eamque penitus evertit [1].

352. Sedulo notetur, sessiones huiusmodi, in praesenti, apud familias haberi ludi causa et tantam esse curiositatem plura noscendi de conditionibus defunctorum parentum, de statu alterius vitae, de negotiis, de morbis curandis et similibus quaestionibus, quod vera fascinatio facillime sequitur; eo magis, quia spiritus, qui intersunt, conditionibus mentis et animi aptantur adstantium, quaesita proponentium, eorumque inclinationibus acquiescunt; et tantum aliquando, in primis, veris falsa commiscent, dein dubia religiosa iniiciunt, donec apertos errores docent. Ita, ex gr., cum personis piis de pietate et religione colenda, de sacramentorum vi et efficacia, de devotione in Deum, B. Virginem et Sanctos, in primis, colloquuntur; cum personis vero parum aut nihil vitae christianae deditis, prorsus diverso modo sè gerunt; cum illis demum, qui omnino a religione sunt alieni, revelationes supra dictas et dogmata penitus falsa aperte tradunt. Et haec ratio agendi ad hoc servant, ut facilior sit deceptio et animarum perditio.

Sessiones spiriticae fiunt frequentissime et in familiis catholicis, praeter ludi causam, occasione mortis alicuius parentis, ut filiorum,

---

[1] Spiritismus pro nonnullis habetur ut simplex testimonium existentiae spiritus, quos ipsi evocant ad noscendas res alterius vitae; pro aliis constituit speciem specialis philosophiae; pro aliis demum efficit, ut diximus, novam religionem, quae in America plura habet iam templa cum quamplurimis asseclis. Etiam in Europa adsunt nonulla templa, in quibus asseclae profitentur cultum Satanae cum coeremoniis et ritibus, qui sunt verae parodiae nefandissimae caeremoniarum et rituum catholicorum; nec in hisce locis omittuntur parodiae SS. Sacrificii Missae. Sufficit legere: *Revue du Monde invisible*, an. 1900, fascic. 15 febr. pag. 542 artic. cum titulo: *Une Messe noire*, quae refert casum scelestissimae huius parodiae, relatum a teste *de visu*. Potest videri etiam Görres: *La mystique divine, naturelle et diabolique*, Paris 1854, tom. 50, pag. 175-215. — Nonnulli demum confundunt spiritualismum cum spiritismo, etsi uterque perfecte distinctus sit.

patris, mariti, etc.; et, praesertim, matres sunt, quae, intimo cordis dolore afflictae ob alicuius cari mortem, eius animam evocant, cum illa colloquuntur, interrogationes faciunt de altera vita, et ita quoddam solamen invenire se putant; eoque magis huiusmodi praxi acquiescunt, cum observant nil mali ordinarie contra religionem proferri, immo orationes et suffragia ab iis peti et commendari, bene de religione et de poenis alterius vitae dici, optima monita dari, nonnulla utilia suggeri, etc. Et hae evocationes non tantum in coetibus spiriticis fiunt, sed etiam singulae personae, absque aliis, in cubiculis evocant animas, quas volunt, et cum illis confabulantur.

353. Quaelibet sessio spiritica, etsi curiositatem excitat, semper est causa magni terroris, pavoris et timoris, praesertim illis, qui debilitate nervea laborant, vel valde sensibiles sunt vel hysteria affecti, uti sunt speciali modo mulieres. Quo fit, ut non pauca damna physica et moralia oriantur. In primis notantur mentis alienatio, suicidium, dolores vehementes capitis, cordis palpitationes, neurasthenia, virium debilitatio, paralysis, et mors ipsa repentina, quae pluries contigit. Peiores effectus habentur in invasionibus, possessionibus et obsessionibus ex parte spirituum, qui praesertim mediis potiuntur. Complementum demum omnium spiritismi consectariorum est amissio fidei, perversio cordis et lata via ad perpetranda crimina contra pudorem cuiuscumque generis.

354. Insuper bene advertatur motus tabulae in coetibus spiriticis, in quibus, post talem motum incipiunt quaesita et responsa, esse semper praeludium seu signum ordinarium, quo spiritus sui praesentiam testatur [1].

355. Cuius naturae sint spiritus [2], qui huiusmodi conventibus intersunt et praedictos effectus producunt, facile intelligitur eos

---

[1] Hic agimus tantum de motibus tabulae, qui *comitantur* manifestationes spiriticas, minime vero de motibus tabulae *simpliciter*, scilicet absque hisce manifestationibus, quos nonnulli DD. naturali modo explicare nituntur.

[2] Ob naturam huius operis, non possumus hic varias explicationes de spiritismo examinare, quas proposuerunt tot viri, qui experimenta instituerunt causa noscendi veritatem factorum spiriticorum, quarum explicationum nonnullae sunt mechanicae, nonnullae physicae et physiologicae, nonnullae demum supponunt causam spiritismi esse animas defunctorum. Quas omnes hypotheses examini subiecimus in altero vol. nostro *de spiritismo*, supra citato, et ad quod lectorem mittimus. Hic tantum dicimus nullam explicationem, a doctis cogitatam, rationem reddere de causa spiritismi, cuius character *constans* est, causam hanc esse *non materialem, liberam, intelligentem, malam*, neque *esse aliquem ex iis, qui adsunt in coetibus spiriticis.*

nonnisi daemones esse seu angelos aeternae ruinae damnatos, qui odium nutriunt absque limite in Deum omnesque, qui illum colunt ac adorant. Si enim ex effectibus nosci debet natura causae, qui alii spiritus, nisi daemones, possunt auctores esse tantorum malorum et sibi vindicare honores Deo tantum debitos? Animas, iam visione beatifica donatas, impossibile est participes fieri in rebus, quae sunt contra Deum, quem aeterne possident, et doctrinam tradere penitus adversantem doctrinae revelatae Ecclesiae; neque damnatorum animae permittuntur, saltem ordinarie, relationes agere cum viventibus; neque purgantes animae ad hoc se se praestare possunt; nam purgantes animae, cum apparent, ut plurima facta testantur, alios prorsus characteres praebent et plerumque nonnisi ad suffragia petenda apparent; quae, cum semel habuerint, non amplius veniunt, vel non nisi ad gratias reddendas eorum benefactoribus. Ceterum phaenomena spiritismi S. Litterae, documenta pontificia et ecclesiastica traditio daemonibus tribuunt. Et re quidem vera, evocatio spirituum in S. Litteris omnino damnatur et in V. T. declaratur Deum eas abominari et mortis poena punire illos, qui huiusmodi sceleris rei evadunt. Israeli enim, mox ingressuro terram promissam, Deus dat haec praecepta: « Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium; nec inveniatur in te... qui *ariolos sciscitetur* et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui *pithones consulat,* nec divinos, aut *quaerat a mortuis veritates; omnia enim haec abominatur Dominus,* et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo »[1]; « Anima, quae declinaverit ad *magos* et *ariolos* et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam et interficiam illam de medio populi mei »[2]; « Vir sive mulier, in quibus *pythonicus* vel *divinationis fuerit spiritus, morte moriantur;* lapidibus obruent eos; sanguis eorum sit super illos »[3].

Ecclesia vero semper hanc praxim evocandi spiritus prohibuit et condemnavit in pluribus conciliis et praesertim quarto Lateranensi[4]; immo in iure canonico statuta est excommunicatio *ferendae sententiae* contra reos huius sceleris. Item RR. PP. pluries expresse

---

[1] Deuteron, XVIII, 9-12.
[2] Levit. XX, 6.
[3] Ibid. XX, 27.
[4] I Sess. (a. 1527). Migne, vol. 14, col. 229.

damnarunt illos, qui communicationes habebant cum daemonibus; ita Ioannes XXII, bulla « *Super illius specula* » (a. 1326), Leo X « *Honestum petentium votis* » (a. 1521), Adrianus VI « *Dudum* » (a. 1522), Innocentius VIII « *Summi desiderantes* » (a. 1484), Sixtus V, Const. « *Coeli et terrae* » (a. 1585) et Gregorius XV, Const. « *Omnipotentis* » (a. 1623). Ioannes XXII haec habet: « Dolenter advertimus... quamplurimos esse solo nomine christianos, qui, relicto primo veritatis lumine, tanta erroris caligine obnubilantur, quod... ab his (daemonibus) etiam petunt responsa, ab his recipiunt » etc. Et, recentiori tempore, S. Congr. S. O., interrogata de quibusdam factis somnambulismi, respondit: « *Animas mortuorum evocare, responsa accipere*, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere... reperitur *deceptio omnino illicita et haereticalis et scandalum contra honestatem morum* ». *Litt. encycl.* 4 Aug. 1856.

356. Qua re, his praemissis, patet grave malum esse modernam reviviscentiam spiritismi et habere in se malitiam gravis peccati, quia omnino redolet divinationem vel vanam observantiam, quas abominatur Dominus. Hinc, non tantum peccant graviter, qui has sessiones tenent, sed etiam qui intersunt, « si superstitionem formaliter approbant, eidem pecunia aliterve favent, vel grave scandalum praebent » [1]. Item semper graviter illicitum est *serio* quaerere a mediis evocationem spirituum, vel ab eis petere, ut de qualibet re illos consulant. Attamen, iuxta Génicot, si quis ex mera curiositate semel vel iterum coetibus spiritici interesset, dummodo superstitionem formaliter non adprobet, eique nullo modo faveat, non adsit scandalum, nec periculum adhaerendi sectae spiriticae, leviter tantum peccaret [2]. Quod sane non omnes facile probabunt, quia sessiones spiriticae quam maxime curiositatem excitant, quae efficit ut iterum atque iterum quis illis intersit, cum periculo gravi patiendi quamdam fascinationem, quae difficillime removetur: fascinatio enim character specialis est modernarum sessionum spiriticarum, qua innumeri decepti fidem et bonos mores amiserunt. Adde insuper, quamplurima mala physica oriri, etiam solummodo assistentibus, ob terrorem, pavorem et quassationem nervorum, quam patiuntur, praesertim mulieribus et puellis, et facilitatem solitarias evocationes fa-

---

[1] Génicot, *Instit. mor.*, vol. 2, n. 271.

[2] Idem, ibid.

cere, ut communis docet experientia, quia curiositas, semel excitata, et desiderium sciendi conditiones mortuorum et alterius vitae statum, nesciunt habere finem. Insuper adest declaratio S. Poenitent., quae dicit illicitam esse assistentiam etiam mere passivam coetibus spiriticis: « Assistentiam etiam mere passivam spirituum consultationibus et lusibus illicitam esse ratione scandali et periculi propriae salutis, quae numquam penitus absunt ». S. Poenitent. die 1 Februar. 1882.

357. Advertatur dein, libros de spiritismo, qui eum docent vel commendant, esse prohibitos ex Constit. Leonis XIII « *Officiorum et munerum* ». Dicitur enim: « Nefas esto libros edere, *legere* aut *retinere*, in quibus sortilegia, divinatio, magia, *evocatio spirituum*, aliaeque huius generis superstitiones docentur vel commendantur » (tit. I, c. V, n. 12).

358. Neque licitum est animas mortuorum evocare, praemissa etiam protestatione excludendi quamlibet intentionem diabolici interventus, ut constat ex petitione et responso S. Officii. Nam propositum ei fuit sequens dubium: « Tizio, escluso ogni accordo con lo spirito maligno, usa evocare le anime dei trapassati. Egli opera così: solo senz'altro, dirige una preghiera al Capo delle milizie celesti, perchè voglia concedergli di parlare con lo spirito di quella determinata persona. Passano istanti, ed egli, preparata la mano a scrivere, sente muoversi la stessa, che lo avverte della presenza dello spirito. Gli espone quanto desidera sapere e la mano scrive in risposta alle proposte di lui. Le risposte sono tutte in conformità colla fede e l'insegnamento della Chiesa sulla vita futura. Riguardano per lo più lo stato, in cui trovasi l'anima di un defunto, il bisogno che potrebbe avere di suffragi, le lagnanze di essa sulla ingratitudine dei parenti ecc. Ciò posto è lecito l'operato di Tizio? » — S. O. respondit: « *uti exponitur, non licere* ». Quae resolutio adprobata fuit a S. P. Leone XIII, die 1 april. 1898 [1].

Denique notum est illos, qui spiriticae sectae errores contra fidem tuentur ac publice profitentur, nec non illos, qui eis fidem praestant, eorumque receptores et fautores et, in genere, quemlibet eorum defensorem, esse damnatos ob excommunicationem latae sententiae Constit. Pii PP. IX « *Apostolicae Sedis* ».

359. Cum igitur spiritismus tot malorum animae et corporis

---

[1] De Luca M., *Praelectiones iuris canon.*, Romae 1897, vol. V, n. 163-167.

sit causa et tam facile perturbet mentem, cor et bonos mores, cuius ultimum consectarium est amissio fidei, Confessarii et quilibet aliqua auctoritate in alios pollet, numquam cessent admonere omnes de gravissimis periculis, quae sunt in huiusmodi praxi et evocationibus et fortiter arguere huius tanti sceleris reos. Studeant suadere causam spiritismi nonnisi daemonem esse, qui, ut pater mendacii et homicida ab initio [1], nihil aliud vehementer cupit, nisi quaerere quem devoret. Etiamsi in evocationibus pietatem ac devotionem inspirare videtur et piae animae mores gerere, non est ei credendum, quia, ut facilius perdat, « Satanas transfigurat se in angelum lucis » [2]. Quod si quis excusare se velit in his evocationibus, quia plura scire cupit de altera vita et suos mores corrigere, ante oculos praebeatur Christum omnia necessaria ad nostram salutem constituisse, tradendo suam doctrinam Ecclesiae, quam fideliter sectantes, certo salvi sumus; et menti revocetur locus Evangelii, in quo agitur de Lazaro in paradiso et divite in inferno: « Rogo ergo te pater (aiebat dives) ut mittas eum (Lazarum) in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. — Et ait illi Abraham: Habent Moysen et prophetas; audiant illos. — At ille dixit: « Non pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent. — Ait autem illi: Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent » [3].

---

[1] I Petr. v, 8.

[2] II Corinth. xi, 14.

[3] Luc. xvi, 27-31. Cfr. praecipua opera spiritismi seq.: Hardinge E., *History of moderne american spiritualisme*, New-York 1870; Figuier L., *Histoire du merveilleux*, Paris 1881, vol. 4; Pappalardo, *Spiritismo*, Milano 1901; Crookes W., *Force psychique. Experiences nouvelles, Recherches sur les phénomènes du spiritualisme*, Paris 2ª edit.; Lapponi dott. G., *Ipnotismo e Spiritismo*, Roma 1897; Gibier P., *Le Spiritisme (Fakirisme occidental)* 4ª edit., Paris 1896; *Psichische studien*, Lipsiae; Mirville, *Question des esprits*, Paris 1855; Franco P., *Lo Spiritismo*, Roma 1893; Des Mausseaux, *Moeurs et pratiques des demons*, Paris 1865; Pailloux P. S., *Le magnetisme, le spiritisme et la possession*, Paris 1865; Richet, *Les mouvements incoscients;* Bonniot, *Le miracle et ses contrefaçons*, Paris, 5ª edit. 1895; Lescoeur L., *La science et les faits surnaturels contemporains*. Paris 1897; Allan Kardek, *Revue spiritiste mensuelle; Livre des mediums (partie experimentale); Livre des esprits (partie philosophique); L'Evangile (partie morale); Le ciel et l'enfer (iustice divine); La genèse (miracles et predictions) Oeuvres posthumes;* Martignon, *La question du surnaturel*, Paris 1861; Levi Elifas, *Clef des grands mystères*, Paris 1861; De Mausseaux, *Les hauts phenomènes de la magie;* Ribet, *La mystique divine distinguée des contrafaçons diaboliques et des analogies humaines*, Paris 1895; *Revue du monde invisible*, Paris, passim.; Surbled, *Spiritualisme et Spiritisme*, 3ª edit. Paris 1898.

CAPUT II.

DE HYPNOTISMO MEDICO [1]

360. Maximi momenti ac difficillimum argumentum est agere de hypnotismo, tum quia vastissime patet et plura habet nondum ab omnibus penitus probata, tum quia magis oppositae sententiae adsunt ad explicanda insolita et miranda facta, quae ex usu hypnotismi oriuntur, tum demum quia stricte connectitur cum particularibus conditionibus nervei systematis; quae omnia tamen iure petunt ut rite noscatur, et facilius appareat quid sit de eius liceitate et quibus conditionibus licitus censeri aliquando possit. Plura quidem mira nomine hypnotismi circumferuntur; at horum tantum quaedam sunt omnino certa, quia in hospitalibus continuo observantur ac particularis studii obiectum fuerunt plurimis medicis, qui hypnotismo utuntur ad morbos curandos vel ad statuendum quid sit omnino certum in hac quaestione. Multa alia vero adsunt, etiam mirabiliora, quorum nonnulla, etsi in praesenti non possint facile naturali modo explicari, tamen possibile putatur in posterum, ob progressum scientiae observationis, fore ut explicentur; nonnulla vero, quae vires naturae superare omnino videntur. Cum vero haec postrema non a medicis habita sint per experimenta ad hoc instituta, nec impossibilis sit deceptio ex parte hypnotizati, nos omnino praeteribimus, contenti ut haec indicata sint ad simplicem notitiam lectoris.

361. Hypnotismus definiri potest: « *somnus vel status somno similis, in quo hypnotizati facultates spirituales sub actione et directione sunt hypnotizantis, cui obedit, per suggestionem oralem* ».

[1] Hypnotismus idem est ac *magnetismus animalis, mesmerismus, braïdismus* etc.

Uti patet, hac definitione apprime excludimus omnia, quae hypnotizatus agere potest absque suggestione, ut futura praevidere, morborum longinqui alicuius aegrotantis diagnosim facere et curam praebere, tactis tantum quibuslibet ad dictum aegrotantem pertinentibus, res videre et describere, quae in civitate aliqua, hypnotizato ignota, fiunt etc.; omnia haec enim effugiunt praxim hospitalium, et, si existunt, ut videntur, praetergrediuntur vires naturae et postulant, ut explicentur, interventum alicuius causae intelligentis spiritualis. Hic agimus tantum de *hypnotismo clinico* seu *medico*.

362. Ut rite intelligatur natura hypnotismi, optimum ducimus in primis tantum facta certa exponere, qualia nobis tradiderunt ac tradunt quotidie in hospitalibus doctores medici, qui huic studio particulari cura et diligentia incubuere et incumbunt.

Somnus hypnoticus pluribus modis induci potest:

1° Iubetur subiectum oculos attente intueri hypnotizantis per aliquot momenta; paullatim vis, orta ex tali actu, fatigat nervos oculorum et quamdam perturbationem adducit in cerebro, quo subiectum in primis emittit profunda suspiria, dein palpebrae lente decidunt, lacrimae nonnullae fluunt, donec pluries palpebrae contrahuntur ac demum clauduntur; somnus hypnoticus illud iam tenet. At hic processus hypnotizandi non semper effectum volitum, scilicet hypnosim, assequitur.

2° Ponitur obiectum aliquod lucens ante oculos, a quibus paucis centim. distat, et iubetur attente aspici; vel prisma ponitur ante oculos, habens plura specula vitrea, supra quae convenienter cadunt radii solis aut alicuius alius lucis, quod subiectum fixis item oculis intuetur; aliquot post momenta, et aliquando illico, notatur lassitudo oculorum cum strabismo, quod hypnosim adducit. Corpus vero aspiciendum non debet tamen necessario esse lucens; sufficit etiam quodlibet corpus; ita observatum fuit puellam quamdam omnia phaenomena hypnotismi pati, cum, proprio manuali labori occupata, cogebatur attente intueri obiecta ipsa laboris, et plures mulieres hystericas in catalepsiam incidisse, cum se ante speculum aspiciebant; aliquando simplex aspectus fixus proprii digiti sufficit ad inducendum somnum hypnoticum, qui ceterum haberi etiam potest, inopinato proiiciendo vehementem lucem in faciem et aliis similibus modis.

3° Somnus induci potest agendo etiam per aures potiusquam per oculos; ita in nonnullis subiectis sufficit lentus ac monotonus rumor horologii, eodem modo, quo quis, si dormire non valens,

numerare incipit ab unitate et deinceps voce lenta et flebili, vel sicut matres pueris somnum inducunt, cantando monotonas cantilenas ad eorum aures eadem lenta voce. Aliquando hypnosis, etiam cum catalepsia, obtinetur per repentinum sonum vel rumorem. Nota est historia cuiusdam mulieris aegrotantis doctorum Borneille et Regnard, cui, dum sonaret instrumentum, tympano simile, cui nomen *tam-tam*, illico instrumentum e manibus decidebat, et ipsa catalepsi statim corripiebatur.

4° Excitando, scilicet premendo dulciter vel fortiter, zonas, quae dicuntur *hypnogenae*, produci potest somnus hypnoticus. Hae zonae sunt nonnullae corporis externi partes, quae speciali sensibilitate pollent et proprietatem habent, cum sint excitatae, inducere illico somnum hypnoticum vel mutationes afferre in variis gradibus somni artificialis (hypnosis); observantur praesertim in plerisque hystericis; nullo modo visibiles sunt, cum nil anormale in circulatione sanguinis praebeant, sed optime inveniuntur per tactus. Plerumque sunt symmetricae in corpore; earum numerus sat variabilis est.

5° Communius, status hypnoticus obtinetur per suggestionem; notum est voluntatem non minimam partem habere in productione somni, eo modo, quo varii animi status possunt accelerare vel retardare somnum. Methodus suggestionis consistit essentialiter in imperio dato personae, quae est subiectum experientiae, auctoritative et firmiter, ut dormiat. Si persona hypnotizanda numquam antea subiecta fuit somno hypnotico, praeparatur eius animus ad somnum, quaerendo illi suadere, quod somnus necessarius sit, et efficiendo ut idea somni eius mens penetretur et abstrahat ab omnibus circumstantibus, quae eius attentionem distrahere possunt. Semel vero inducta suasione de necessitate somni, paullatim somno afficitur. Doctor Bernheim, qui in methodis hypnotizandi princeps magister facile evadit, ita operatur: « Incipio, ipse ait, dicere aegrotanti me debere utiliter eum subiicere ad curam per suggestionem; possibile esse sanitatem acquirere vel solatium habere per hypnotismum; nullo modo agi hic de praxi aliqua noxia vel extra ordinem, sed de simplici somno vel sopore, qui provocari potest in omnibus; hunc somnum esse tranquillum, beneficum, aptum ad statuendum aequilibrium in nerveo systemate etc.; si opus est, hypnotizo, coram ipso, unum vel alterum subiectum, ut clare videat huiusmodi statum nullum dolorem secum ferre, nec agi de experimento faciendo; et cum effecerim, ut ab eius animo remota sit illa animi praeoccupatio,

quae oritur ex idea magnetismi et cuiusdam rei mysticae, quae coniungitur cum re ignota, praesertim cum ipse viderit aegrotos ad pristinam sanitatem restitutos vel, hac praxi, in meliorem conditionem salutis reductos, ipse magis confidit et permittit hypnotizari. Tunc ei dico: « Aspice in me, et nil aliud cogita nisi dormire. Iam percipis pondus quoddam palpebrarum, laborem oculorum, qui nictant, et in proximo sunt ut lacrimis profundantur; visus fit confusus; oculi clauduntur ». Nonnulli claudunt oculos et illico dormiunt. Aliis vero iterum eadem dico, fortius loquor, addo gestum (nil refert cuius naturae sit); pono duos digitos manus dexterae ante oculos subiecti et rogo, ut eos fixis oculis intueatur; vel meas manus pluries ante eius oculos fero ex alto ad imum; vel etiam suadeo attente aspicere meos oculos et simul quaero, ut omnem eius attentionem in idea somni colligat. Dico: « Tuae palpebrae clauduntur; non potes amplius aperire oculos; gravitatem percipis in brachiis, in cruribus; nil aliud percipis: somnus venit », et, voce magis auctoritativa, addo: « dormi ». Saepe hoc verbum effectum volitum assequitur; oculi clauduntur, aegrotus *dormit* vel saltem actionem somni patitur » [1]. Aliquando vero, absque motibus manuum, idem doctor somnum inducit, suggerendo alicui hypnotizando omnia phaenomena, quae somnum praecedunt vel comitantur, ex. gr. ait: « En virum iuvenem; nunc fiet ut dormiat; palpebrae incipiunt gravari somno, aperiuntur et clauduntur, madefiunt... en procidunt... clauduntur... ipse nequit amplius extollere... non potes amplius aperire oculos... hoc tibi est impossibile... somnus invadit totum corpus... extollo tuum brachium... non potes amplius illud demittere... non potes amplius... tibi est impossibile flectere brachium » [2]. Ita agendo, plerumque somnus illum tenebat. Notatur tamen posse variari pluribus modis adventum somni per suggestionem; potest enim iuberi aliquid fieri, cui coniunctum sit imperium dormiendi; ex. gr. dici potest: « numera usque ad sex, et, cum ad numerum sex perveneris, somno corripieris », vel « cum hoc vel hoc feceris, dormies », vel, ut agebat de Yong (de la Haye), iubendo pluries profundas inspirationes facere et certitudinem praebendo, quod, post earum certum numerum, somnus venturus erit; vel coniungi potest idea somni alicui actioni facien-

---

[1] Bernheim, *De la suggestion et des ses applications à la therapeutique*, pag. 1.
[2] Coconnier, *L'hypnotisme franc.*, Paris 1898, pag. 17.

dae, ex. gr.: « cum vis dormire, pone saccarum in cyato aquae, et dormies, vel profer nomen meum, addendo « dormi » et illico dormies ». Item suaderi potest, quod, statuta hora, hypnotizandus dormiet; et, re quidem vera, dicta hora hypnotizandus inquietus fit, opus inceptum relinquit et dormit [1]. Si vero subiectum pluries submissum fuerit somno hypnotico, in hunc iterum atque iterum induci potest tantum imperando ut dormiat. Uti ex dictis liquet, suggestio est princeps et certior methodus hypnotizandi.

6° Potest etiam somnus naturalis immutari in somnum hypnoticum, quod pluries factum est et efficitur a medicis. Doctor Bernheim casum huiusmodi ita narrat: « Recenter, inveni in hospitali, cui inservio, mulierem phthysi affectam dormientem, quam numquam somno hypnotico subieceram. Tangens leviter eius manum, dico: « noli expergefieri; dormi; cura ut dormias; non potes expergefieri ». Post duo minuta, extollo eius brachia, quae catalepsi corripiuntur. Eam relinquo, cum dixerim fore ut post tria minuta expergefacta foret. Paullo post eius excitationem, quae contigit fere tempore indicato, redeo ad colloquendum ei; ipsa nihil meminit. En somnum naturalem, in quo potui cum dormiente communicationem habere; quod constituit somnum hypnoticum » [2]. Idem agebat Noizet; tangendo leviter digito frontem aut cavum stomachi dormientium somno naturali ac profundo, et paullo post eos interrogando, plerumque responsa ab iis recipiebat; quod quidem significat hoc modo immutasse somnum naturalem in somnum somnambolicum [3]. Neque hoc tantum; potest immutari somnus, ex anesthesia inductus, in somnum hypnoticum. Notum est per chlorophormium induci somnum et auferri sensibilitatem. Constat ex experientiis doctorum et praesertim doctoris Abdon Sanchez Herrero suggestiones induci posse in dormiente per anesthesiam, ita ut hic doctor, tot suffultus experimentis, dicat: « per chlorophormizationem praecedentem et suggestionem adhibitam tempore somni ex anesthesia apto ad suggestiones, posse semper produci somnum hypnoticum, etsi subiectum scienter vel inscie quamlibet resistentiam opponat » [4].

---

[1] Coconnier, ibid., pag. 19-21.

[2] Bernheim, *De la suggestion* etc., pag. 275.

[3] Liebault, *Le sommeil provoqué* etc., pag. 16.

[4] Abdon Sanchez Herrero, *L'hypnotization forcée ou contre la volonté arrêtée du sujet. Premier Congrès international de l'hypnotisme*, pag. 317.

Concludendo igitur dicimus ex diversis mediis, quae adhibentur ad somnum provocandum, nonnulla actionem habere in *nervos periphaericos*, eos excitando, nonnulla speciali modo agere in *sensus et imaginationem*, nonnulla in *imaginationem tantum*, alia demum *immutare somnum naturalem* vel *anestheticum* in *somnum hypnoticum;* hinc primi processus sunt pure *somatici* seu *corporei*, secundi *psycho-somatici* seu *psycho-corporei*, alii mere *psychici*, ultimi vero dici possunt *immutatores somni naturalis vel anesthetici*.

363. Expositis methodis ad obtinendum somnum hypnoticum, necesse nunc est notare phaenomena, quae in hoc statu occurrunt. In primis tamen dicendum phaenomena communia omnibus hypnosi dormientibus non adesse; immo, ut experientia constat, haec variare saepe etiam in ipso subiecto. Dormiens enim potest servare oculos apertos vel clausos; oculi possunt habere ordinariam positionem vel pupillas celatas sub palpebra superiori; potest dormire stans aut sedens; circulatio sanguinis potest fieri celerior, sicut et respiratio, cum congestione faciei et sudoribus; somnus potest esse tranquillus vel perturbatus, vel nil horum observari.

364. Habito somno hypnotico, possunt obtineri eiusdem tres status seu phases, quae sunt: 1° *letargia* seu *status letargicus*, 2° *catalepsia* seu *status cathalepticus*, 3° *somnambulismus* seu *status somnambolicus*.

Prima phasis distinguitur ex sequentibus characteribus: hypnotizatus retinet caput inclinatum, palpebras clausas, membra penitus resoluta; nihil audit, nihil percipit, nihil sentit; possunt hinc transfigi manus, pedes et quaelibet alia pars corporis absque dolore; potest fortissima voce clamari ad eius aures, quin aliquod signum praebeat sensationis; anesthesia seu insensibilitas est perfecta; hac ratione, in tali statu, pluries possibile fuit perfici graves operationes chirurgicas cum pleno felici exitu; lethargia dividit absolute hypnotizatum ab omnibus circumstantibus et ut mortuus apparet; aufert omnino conscientiam et activitatem cerebri. Tamen functiones omnes vitae vegetativae perseverant; hypnotizatus enim respirat, circulatio sanguinis pergit eius cursum, processus assimilationis, de sassimilationis et excretorii prosequuntur. Quod maximi momenti est, notatur specialis proprietas, quam acquirunt *musculi*, sub actione centrorum medullae spinalis, quae fit maximo gradu sensibilis, cui respondent variae contractiones musculorum; premendo enim aut aliter exci-

tando certos nervos, illico contrahuntur musculi, ad quos eorum rami feruntur; hoc modo plures motus produci possunt, qui, si persona esset expergefacta, minime possent produci, quia hae contractiones requirunt perfectam notionem anatomicam ac ideo prae se ferunt maximam difficultatem; quod quidem penitus excludit quemlibet dolum ex parte hypnotizati. *Insensibilitas* ergo, *carentia conscientiae* et *activitatis cerebri, maxima irritabilitas medullae spinalis sunt potiores characteres lethargiae.*.

Alter status seu *catalepticus* notatur praesertim ex sequentibus characteribus: hypnotizatus praebet particularem flexibilitatem ac levitatem membrorum, qua potest retinere, per aliquod tempus, varias positiones corporis, quas hypnotizans ei tribuit, etiam valde defatigantes, quin aliquid appareat calliditatis; desunt enim, in his positionibus, illa membrorum oscillatio ac labor, quae in statu normali evidentissime conspiciuntur et simulari nequeunt; sensibilitas generalis penitus deficit, respiratio procedit lenta ac superficialis; visus et auditus particulari vi pollent, quo fit, ut externas sensationes ipse plene recipiat; per nonnullas leves et rapidas frictiones aut alia media potest produci generalis musculorum contractio, ita ut musculi totius corporis contrahantur et duri, ut lignum, fiant; particularis huius status est facilitas *fascinationem* patiendi, adeo ut hypnotizatus oculis et motu ubique sequatur hypnotizantem vel speculum; oculi sunt fixi et videntur fere petrefacti; eius adspectus indicat mechanice haec agi, scilicet se geri ut automa et mere passive. Tamen si aliquis motus imprimatur eius membris, eumdem motum ipse continuat, donec lassitudo perveniat, quae finem ponit; ita, ex. gr., si in gyrum inducatur eius manus, ipse statim servat indefinite eumdem motum, donec, defatigatione accedente, eius manus, ob inertiam, decidit. Particulare omnino cathalepsiae est, quod, si in sensum muscularem agatur, determinando speciales organorum aptitudines, respondentes vultus musculorum contractiones statim manifestantur, illis aptitudinibus penitus respondentes. Ita, ex. gr., si catalepticus fit genu flectere et eius manus coniungantur modo orantis, eius vultus omnino refert aptitudinem orantis, quae potest progredi usque ad simulandam extasim; si eius manus claudantur et brachia extollantur ante pectus, eius vultus contrahitur ad iracundiam; ita, variando positiones, omnes passiones possunt manifestari per has aptitudines, quae ex expressione vultus statim apparent.

Tertius periodus hypnotismi est phasis *somnambolica,* in qua aliquando pellis et mucosae sensibilitate carent, et sufficit etiam levis tactus pellis ad producendam contractionem musculorum subiacientium et idem tactus sufficit ad removendas has contractiones. Status somnambolicus specialiter distinguitur *ob suggestiones,* quibus subiici potest hypnotizatus.

Vix notare oportet hasce phases in hypnotizatis non apparere semper ordine, quo exposuimus, sed saepe hypnotizationem incipere ex una alterave earum.

365. Habito semel somno hypnotico, notantur plura phaenomena, ex quibus recensemus tantum, quae formant obiectum nostri studii, et sunt: 1° *absoluta relatio, quam hypnotizatus servat cum hypnotizante,* cui credit omnino et obedit, dum ceteras personas, quae praesentes esse possunt, nec videre, nec audire, nec ullo modo affici ab eis videtur; 2° *hallucinationes;* 3° *illusiones;* 4° *suggestiones, perficiendae statuto tempore;* 5° *duplicitas personalitatis* seu *conscientiae;* 6° *vesicatio cum haemorrhagia.*

366. 1° Quod hypnotizatus servet *relationem* cum hypnotizante est factum commune et ordinarium, quod nunquam deest. Omnia phaenomena, quae in hoc somno producuntur, ortum ducunt ex variis suggestionibus, quas hypnotizans dirigit ad hypnotizatum, qui omnibus eius dictis fidem praestat eique paret.

367. 2° *Hallucinationes* constituunt particularem statum hypnotizati, quo ipse, iuxta suggestionem, quam ab hypnotizante recepit, videt mente, quae non sunt, vel non videt, quae sunt; primae hallucinationes dicuntur *positivae,* alterae vero *negativae.* Hic oportet in memoriam revocari, hypnotizatum non servare relationem, nisi cum hypnotizante; omnia, quae extra hypnotizantem sunt, pro ipso non exsistunt, nec aliquo modo ab eis afficitur; eius mens et attentio nulla re distrahitur et tantum occupatur ac tenetur verbis operatoris, quae vera putat ob impedimentum attentionis, quo non potest cognoscere an vera sint, quae ei suggeruntur. Hypnotizatus est velut dormiens, qui somniat, et vera in somnio putat, quae ei phantasia repraesentat, sive quoad facta, sive quoad audita, vel gesta. In omnibus se gerit ut somnambulus naturalis, qui in suis actibus dirigitur tantum ideis, quae in eius mente excitantur, nec aliquod videt, nec audit, nec a circumstantibus ullo modo afficitur. Ita, ad obtinendas hallucinationes *positivas,* sufficit hypnotizato dicere, ante ipsum esse, ex., gr., simiam, canem, felim, flores, arbores, et quid-

quid aliud et addere aliquam descriptionem rei suggestae; ipse affirmat simiam, canem, felim etc. videre; quia verba hypnotizantis excitant in eius cerebro imagines dictis obiectis respondentes et, cum imagine, plura, quae eadem obiecta comitantur; et, re quidem vera, ipse describit motus varios simiae, eius magnitudinem, colorem, modos simulandi, in plantas ascendendi etc.; item de ceteris animalibus; de plantis vero suggestis loquitur de eorum coloribus, de foliis, de floribus, quorum odores varios, bonos aut foetidos, percipere putat etc.; si ei dicatur prope esse canem, qui potest ei nocere, ipse affirmat canem videre et statim eum ceteris indicat; totum eius corpus paratur ad defensionem, cautissime procedit, et canem imaginarium insequitur, donec in fugam coniiciat; si ei indicatur in loco experimenti adesse eius inimicum, qui conatur ei nocere et suggerantur verba, quae ei odium, aversionem et spiritum ultionis inspirant, tota eius persona ostendit signa evidentia iracundiae; et, si ei praebeatur, ex. gr., fragmentum chartae, dicendo esse cultrum ad inimicum interimendum et excitetur ad homicidium, ipse insequitur imaginarium inimicum, donec pluries imaginarium cultrum in eius corpus infixerit; post factum vero apparet defatigatus, etiam sudore perfusus, et huius status nullam rationem, expergefactus, tribuere potest, quia eius actus e memoria plene evanuit.

Item *hallucinationes negativae* eodem modo obtinentur; si enim suggeratur aliquam personam praesentem non amplius esse in loco experimenti, pro hypnotizato expergefacto dicta persona non existit; ipsam enim nec videt, nec audit; si persona enim, imaginarie absens, ei loquitur, non recipit responsum; si eum tangit, ostendit non tangi; si, ante oculos apertos, manibus pluries motus facit, parva interiecta distantia, quod necessario deberet producere reflexe casum palpebrae, oculos non claudit, nec ullam videtur affici sensatione; quod quidem quemlibet dolum omnino excludit; si persona, pro absente habita, imponit sibi petasum vel pallium, ac salutat, pluries agitans in aëre petasum vel pallium, hypnotizatus videt clare utrumque obiectum in aëre se movere ac stupet, non videns qui haec movet. Potest pluribus modis variari haec experientia et semper melius apparet hypnotizatum nullo modo affici praesentia personae imaginarie absentis; possunt etiam in praxi reduci media et formae experimentorum valde delicatae, quae statim ostenderent simulationem, si adesset, et semper idem obtinetur effectus, quo exclu-

ditur penitus quilibet dolus; pro hypnotizato, persona indicata per suggestionem uti absens, re non existit, ac ideo non potest eam videre.

368. *Illusiones* habentur, cum quis obiectum aliquod pro alio putat vel qualitates aut proprietates in eo considerat, quae desunt. Illusiones observantur frequenter statu in vigiliae, somni et plurium morborum. Si hypnotizato dicatur tabulam, quae ei ostenditur, esse canem, ipse videt canem; si arborem vel hominem, arborem vel hominem ipse videt; si suggeratur aquam, quae ei praebetur, esse vinum, vel dianthum rubri coloris esse album, ipse vinum et dianthum album videt.

369. *Suggestiones* vero perficiendae statuto tempore, habentur, cum hypnotizato suggeritur aliquid faciendum vel omittendum plures post horas vel dies a suggestione; expergefactus, *plerumque* nullam servat memoriam suggestionis receptae; cum vero venerit hora vel dies statutus, suggestio in eius mente excitatur, quae eumdem statum iterum adducit, quo erat tempore suggestionis seu statum somnambolicum, et perficit vel omittit imperium tempore hypnosis habitum. Ita, ex. gr. si hypnotizato suggeratur, post decem horas vel dies, necesse esse ut ad medicum N. pergat, qui ei aliquid traditurus erit, expergefactus, frequenter nullam habet memoriam imperii recepti; at, cum venerit hora vel dies statutus, reapparet suggestio antea habita et cum ea status somnambulismi; et, quin sit compos sui, ut omnes somnambuli, imperium habitum perfecte exequitur. Dicimus *plerumque* vel *frequenter* hypnotizatum non habere memoriam actionis faciendae vel omittendae statuto tempore, quia, saepe, ipse, aliquod ante tempus, quo exequi debet suggestionem, notat eius mentem teneri ac agitari cogitatione suggestionis exequendae, etsi nesciat noscere eius originem.

Iuxta naturam suggestionum possunt in hypnotizato afferri *perturbationes in omnes sensus*. Si ei praebeatur cyatus aqua plenus, et suggeratur esse suavem potionem, ex. gr., coffeum, *anisetta*, vinum amabile etc., ipse bibit ac suavibus sensationibus *gustus*, dictis liquidis respondentibus, afficitur; si amarissima ac ingrata potio praebeatur, ex. gr. ex salibus mineralibus confecta, et suggeratur persuavem esse potionem chocolati, grata ac manifesta voluptate bibit ac gaudet; si manducandum tradatur solanum tuberosum crudum, suggerendo esse dulce malum, ipse manducat et testatur vere esse gratum ac dulce.

Si prope *nares* hypnotizati ponatur vas continens, ex. gr., ammoniacam, et suggeratur esse vas plenum aqua artificiali suave olente, suavissima voluptate *odorat* ac gaudium ostendit, et potest etiam rogare ut linteolo nonnullae guttae infundantur, quia specialem hanc suavitatem valde amat; si praebeatur vas aquam communem continens, dicendo quod foetet et nauseam provocat, statim, odorando, illud a se removet, dicendo valde foetere et initia omnia nauseae ostendit.

Suggeratur hypnotizato per viam transire cohortem militum, instrumenta musica grate sonantem, et ex iis aliquod instrumentum excellere, et nonnulla describantur de imaginario hoc concentu; ipse audit symphoniam et omnes eius gradationes; quod si dicatur re hos sonus non existere, circumstantes nihil audire, ipse affirmat hos sonus vere esse, quia audit, et valde mirari ceteros eos non percipere. Post aliquot temporis suggeratur musicam finem habuisse; statim hallucinatio cessat et nil amplius audit. — Si suggeratur hypnotizato, ut operabatur dr. Bernheim, eius aurem dextram, ex. gr., non amplius audire sonitus horologii, re non amplius audit horologium per hanc aurem; si dicatur neutram aurem posse amplius dictum horologium audire, reapse in neutra audit amplius sonitus horologii; potest etiam transferri, per suggestiones, impossibilitatem sonus audiendi ab una ad alteram aurem, scilicet inducere surditatem. Ita, pluries experimenta variando, plane ostenditur etiam *auditum* valde perturbari in hypnotizato per suggestiones. Brevi, omnes sensus per hypnosim possunt magnas perturbationes pati.

370. Eo modo, quo potest induci anesthesia seu insensibilitas in aliquo organo sensus, potest etiam induci *immobilitas* in variis membris; ita, si suggeratur, ex. gr., brachium non amplius servare capacitatem recipiendi externas sensationes, hypnotizatus, in brachio, nulla afficitur sensatione; hoc statu non advertit ignem supra ipsum positum; potest per ferrum ipsum transfigi, et transvehi per fluidum electricum adeo intensum, ut in statu normali impossibile sit ferre; ipse nihil percipit, nullum motum agit, nullo omnino dolore afficitur; eius brachium se gerit ut mortuum. Per suggestiones potest obtineri etiam *anesthesia* generalis.

Suggestio potest propriam actionem ferre etiam in *sensum muscularem*. Si alicui hypnotizato dicatur se non amplius sentire, ex. gr., suum brachium vel crus, haec membra esse velut mortua; ipse

sensu horum organorum statim caret et nescit utrum sint elevata an sub cultricibus posita.

Per suggestiones possunt produci *paralyses* membrorum. Si hypnotizato dicatur, se non posse amplius brachium vel aliud membrum movere, ipsum paralysi affectum esse, esse impossibile ut possit movere, inutile esse se conari ad illud movendum etc., ipse non potest amplius re illud organum movere; in omnibus apparet ut paralysi affectum; potest etiam nervea realis paralysis per oppositas suggestiones removeri.

Cum suggestio, ab hypnotizato recepta, nonnisi hallucinatio sit, quam ipse ut veram habet ob impedimentum noscendi veritatem, inductum hypnosi, ita suggestiones, opportunitate vel arbitrio variatae, possunt differentes animi status excitare, quae praesertim observantur in statu catalepsis; immo successive in uno eodemque subiecto ipsi provocari possunt; qui animi status per externas corporis positiones ac vultus expressionem manifestantur. Pulchrum exemplum, inter tot, quae afferri possunt, de hac successione statuum animi in eodem subiecto, est, quod refert P. Coconnier, coram ipso habitum, dum hypnotismi studio incumbebat in hospitalibus cum praeclaris medicis Galliae. Agebatur in casu de puella quadam circiter duodecim aut quatuordecim annor., quae cum laboraret perturbationibus nerveis, quibus nil profuere ordinaria medicamenta, iudicatum fuit a medico necesse esse ad hypnosim habere recursum. Ut vero melius in ea capacitas suggestiones recipiendi evolveretur, doctor afficiebat eius imaginationem, proponendo eius phantasiae, successive, plures scenas et iubebat nonnulla facere, quae ipsam amare doctor noverat. Postquam hypnosim in eam induxerat, doctor ei dicebat: « es in specioso horto, floribus ornato; aspice rosas, lilia, dianthos, cespitem iasminorum... ». Puella subridehat, admiratione capta spectaculi, quod ante oculos habebat. « Tibi veniam do ut colligas et fasciculum facias ». Eius vultus sensu quodam gaudii tunc perfusus fuit. Statim se inclinat et opus incipit; manu dextra carpit primum florem, quem sinistra stringit; postea caedit et colligit circum ipsam lilia, rosas, dianthos; et omnia haec sedens; videntur flores venire ad eam ut colligantur. Ipsa vero non casu capit flores; manu illos seligit, ordine disponit, ut fasciculus pulcher visu sit... « Tuus fasciculus pulcherrimus est, et persuavis odor ex eo in aëra emanat ». Ipsa tunc attente illum adspicit ac pluries odorat, ostendendo speciale gaudium ac satisfactionem... « Si vis, affer pul-

chrum hunc manipulum ad Virginem... pete ab Ea restituat tibi sanitatem ». Illico puella surgit, extollit manibus manipulum et supplices oculos attente dirigit murum versus, in quo sibi repraesentat Virginem. Eius facies candidi fervoris expressionem sumit, quae adstantes commovet, dulciter labia movet, eius genae vivaci colore perfunduntur, pectus elevatur, respiratio convulsa fit.... Diutius immorari in hac experientia, quae eius exaltationem maxime excitabat, prudens non erat... « Fasciculus tuus acceptus fuit.... non amplius in manibus tenes.... iam contenta et plene satisfacta es ». Statim tranquilla fit et omnia in ea indicat quietem ac statum satisfactionis » [1].

Suggestio potest etiam ferre propriam actionem etiam in *memoriam,* aiendo hypnotizato, quod, semel expergefactus, haec et haec non recordabitur; quod re ita fit.

Ex dictis clare liquet, hypnotizatum in omnibus obedire imperio hypnotizantis et ab huius voluntate pendere. Notandum tamen aliquando hypnotizatum servare totam vim propriae voluntatis et nullo modo recipere suggestiones, quae sint contra eius conscientiam, immo eas aperte repellere et protestari, se numquam illas accepturum esse. Attamen videtur id fieri cum somnus non sit profundus.

371. 5° Quod spectat ad *duplicitatem personalitatis* seu *conscientiae,* ut aiunt, hoc evenit, cum hypnotizato suggeratur se esse, ex. gr., militem, presbyterum, medicum, senem, iuvenem et similia; ob impossibilitatem actualem verum noscendi, has suggestiones habet ut veras, et actus, corporis motus, vocem et totam personam immutat, quae respondet ideae suggestae.

372. 6° Quod demum spectat ad *vesicationem* cum haemorrhagia, dicendum hoc rarissime obtineri et nonnisi in particularibus subiectis. Vesicatio, cum vel sine parva effusione sanguinis, locum habet suggerendo imperative hypnotizato se debere absolute, dato loco corporis, vesicationem et haemorrhagiam producere; quod saepe non fit sine dolore patientis; haemorrhagia consistit in nonnullis guttis sanguinis apparentibus in pelle, quae, hac causa, etiam rubra fit.

373. Haec phaenomena hucusque exposita sunt *certa,* quoad

---

[1] Coconnier, *Op. cit.,* pag. 107-108.

exsistentiam, cum quotidie in hospitalibus habeantur, excepto ultimo facto, qui tantum in paucis casibus habitus fuit.

374. Cum hypnosis, uti mox vidimus, totum hominem physicum et psychicum valde perturbet, quaeri potest an sequi debeant in sanitate consequentiae et incommoda alicuius gravis momenti. Certe, haec incommoda et malae consequentiae non defuerunt. Non infrequenter enim, post hypnotizationem, plura incommoda habita fuere, ex quibus maioris momenti sunt leves paralyses (paresiae), catalepsia, aliquando delirium, facilitas iterum ac iterum in hypnosim vel somnambulismum incidendi quavis etiam levi causa, alienatio et debilitatio mentis, capitis dolores, diminutio memoriae, defatigatio generalis, hysteria, convulsiones nervosae epilepticae, augmentum sensibilitatis, coecitas plus minus partialis oculorum, amnesia (amissio memoriae), melancholia et etiam suicidium [1]. Tamen notandum haec incommoda, in praesenti, post accuratiores methodos et praxim scientificam, difficile locum habere.

375. Cum his non parvis incommodis, hypnotismus praebuit et quotidie praebet maximos triumphos in nonnullis gravissimis morbis, tum physicis, tum psychicis qui alias curari non potuerunt; per ipsum enim quamplurimi curati et omnino sanati fuere, qui affecti erant paralysi crurum cum anesthesia, hemiplegia, multiplici forma maniae, hysteria, hystero-epilepsia, convulsionibus nervosis, nevrasthenia, nevrite cubitali, vomitu nervoso incoërcibili, chorea, tetania brachiorum, insomnia, impotentia ex causis moralibus, pluribus nevralgiis, nonnullis morbis spinalibus, paralysi rheumatica, cephalalgia nervosa, pluribus psychopathiis, quales, ex. gr., agoraphobia (timor, pavor, animi palpitatio ante spatium vacuum), morphinomania, alcoolismo, mania furandi (kleptomania), habitu mansturbationis et aliorum criminum contra naturam, et plurimis aliis, qui videri possunt penes auctores, qui de hac materia speciali modo pertractant [2].

---

[1] V. Lombroso C., *Studii sull' ipnotismo* etc., Torino 1885, pag. 20-24; Pitres, *Leçons cliniques sur l'hysterie et l'hypnotisme*, vol. II, pag. 331. — Notandum, Lombroso non dicere veritatem, cum loquitur de hypnotizationibus prof. Donato et de incommodis, quae venerunt nonnullis iuvenibus, post eorum hypnosim, ut videri potest in: Delbeuf, *L'hypnotisme et la liberté de représentations publiques*, pag, 74 et ss.

[2] Ex tot operibus cfr.: Bernheim, *Hypnotisme, suggestion, psycoterapie*, Paris 1891; Grasset, *L'hypnotisme et les medecins catholiques;* Cullère, *La therapeutique suggestive, Zeitschrift für Hypnotismus;* Beaunis, *Le somnambulisme provoqué;* Conca, *Iste-*

Talis est status scientificus hypnotismi, brevi expositus, tum quoad methodos, tum quoad effectus,

376. Si nunc hypnotismi naturam et causam inquirimus, duae sententiae nobis occurrunt, quarum altera omnia phaenomena praeter naturam esse opinatur et originis diabolicae, altera vera omnia dicta phaenomena non esse contra naturam, nec originis diabolicae acriter propugnat.

377. Argumenta potiora primae sententiae sunt:

1° Hypnotismus est morbus vel status morbidus iuxta medicos *omnes;* omnis vero morbus debet habere causam, diagnosim, prognosim et curam; causa hypnotismi posset esse fluidum, quod transmittitur ab hypnotizante ad subiectum, vel imaginatio subiecti ipsius; at fluidum nequit admitti, quia plures ex se ipsis hypnosim patiuntur; nec imaginatio est causa, quia saepe subiecta nullo modo imaginationem exercent ad hypnosim habendam. Media vero ordinaria adhibita ad hypnosim provocandam et dispositiones subiectorum non sunt proportionata effectibus, qui in hypnotismo habentur. Ergo hypnosis nullam habet causam naturalem. — Nec phaenomena, quae hypnosim comitantur, sunt iuxta naturam, quia cito producuntur et cito disparent iuxta voluntatem hypnotizantis. Potest-ne esse naturale, quod phaenomena, tam gravia et tanti momenti, illico producantur et illico removeantur, iuxta imperium datum? — Nec suggestio hic aliquid valet; nam, ad producendos effectus physicos, quales in hypnosi habentur, necessaria est causa physica, cum causa moralis, sicut suggestio, non satis sit; eoque magis hoc attendendum, quia subiectum hypnotizanti tantum et non aliis circumstantibus omnino obedit. — Et hallucinationes et suggestiones, quae post hypnotizationem ad effectum reducuntur, et haemorrhagiae, quomodo explicari possunt per causas naturales, quae semper eodem modo agunt? Ergo in hypnosi, quae est morbus, nil regulare accidit et quoad causam et diagnosim, dum in ceteris morbis utrumque est notum. Idem dicendum de prognosi et cura. Quomodo explicari potest imperium hypnotizantis, scilicet suggestionem, sufficere ad removendum morbum, ad miros tot effectus producendos? Quomodo simplex insufflatio

---

rismo ed ipnotismo, Napoli 1888; Schenk-Notzing, *La terapia suggestiva delle psicopatie sessuali*. Torino 1897: Lapponi, *Ipnotismo e Spiritismo*, Roma 1897, c. 7: Coconnier, *Op. cit.*, pag. 215-243: Franco, *L'ipnotismo tornato di moda*, Torino 1888, pag. 147-167; Méric, *Le Merveilleux et la Science*, Paris, 8ª edit.

in oculis potest a statu hypnotico subiectum restituere ad pristinum statum post tot phaenomena, etiam gravia, hypnosis? Ergo hic morbus oritur ex causa, quae nec physica, nec physiologica est; ideo est extra physiologiam et hac ratione est praeternaturalis.

2° Hypnotismus, iudicio medicorum, nocet sanitati; et, hac ratione, Gubernia et plures Academiae hypnotismum publicum proscripserunt. Dein est graviter immoralis, quia non licet valedicere propriae libertati morali et amittere iudicium conscientiae, cum homo, tali statu constitutus, indifferens sit ad bonum vel malum. — Nec hypnosis aequiparari potest chlorophormio, cuius usus semper illicitus est, si excipias graves necessitates et debitas cautelas adhibendas, cuius boni effectus tunc valde superant damnum suspensae libertatis moralis; adde etiam, quod, sub actione chlorophormii, patiens incapax est crimina perpetrandi, dum in statu hypnosis omnia mala committere potest iuxta naturam suggestionum. — Accedit quoque, quod hypnotismus est etiam contra civilem societatem, quia potest auxilium ferre mille fraudibus et mille criminibus, et est contra familiam, quia suggestiones, futuro tempore secuturae, possunt esse causa infinitorum malorum propter applicationem practicam. Longe maioris damni est iuvenibus et puellis, cum possit esse fomes passionum, cum hypnoticae sessiones in privatis domibus locum habeant, ubi inveniuntur simul collectae personae utriusque sexus et diversae aetatis. Cum ergo causa non possit esse naturalis et tot pessimi effectus habeantur, patet causam nonnisi daemonem esse; hypnotismus est pars spiritismi, cuius causa et actor est diabolus.

3° Haec thesis confirmatur doctrina Ecclesiae, quae condemnat hypnotismum, cum declarat: « Applicatio principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis ». (Respons. S. O. 28 iul. 1847) [1].

378. Contra huiusmodi argumenta opponit valida argumenta opposita sententia.

Contra primum argumentum. Hypnosim esse morbum, aiunt fautores arterius sententiae non est commune apud medicos, qui speciali

---

[1] Hanc sententiam defendunt P. Franco, *L'ipnotismo tornato di moda*, 8ª edit., Prato 1888; Moreau, qui gallice praedictum opus transtulit; P. Marc, *Institutiones morales;* Imbert-Gourbeyre, *La stigmatizations, l'extase divine et les miracles de Lourdes*, Paris 1896, 2ª edit., vol. II, pag. 481 et ss. et plures alii Aa.

modo hypnotismi studio incubuere; nam, etsi nonnulli teneant esse morbum, plures alii tamen morbum esse valde timide affirmant, ex. gr. doctor Ladame [1]; principes vero medici in hypnosi negant omnino esse morbum, ex quibus sufficiat audire Bernheim, qui dicit: « somnus realis per suggestionem habitus nullo modo differt a somno naturali » [2], Liébeault, qui ait: « duo somni (scilic. naturalis et hypnoticus) iidem sunt in omnibus » [3], et Forel, qui affirmat: « affinitas hypnosis et somni naturalis negari nequit, et opinionem doctoris Liébeault amplector, dicentis unum discrimen esse, scilicet relationem, quae existit inter hypnotizatum et hypnotizantem » [4]. Hypnosim ergo esse morbum, iuxta medicos *omnes*, affirmari non potest.

379. Quod vero hypnosis non differat a somno naturali et unum efficiat, vel nonnisi particularis status sit somni ipsius naturalis, habetur ex hoc, quod eadem media possunt utrumque somnum producere, et somnus artificialis paullatim, ex se, in somnum naturalem immutatur, et somnus naturalis per verba et simplices tactus potest immutari in somnum hypnoticum [5]. Dein, cum hypnosis et eius phaenomena possint cito produci et cito removeri, quod quidem in nullo morbo notatur, quomodo potest hypnosis ut morbus haberi? Accedit, quod si hypnosis adhibetur ad arcendos particulares morbos et vires reficiendas [6], quomodo hypnosis, si essentialiter est morbus, potest morbos curare et repellere et vires reficere? — Nec verum est omnia media apta esse ad hypnosim inducendam; nam, qui normali valetudine gaudet et numquam hypnosi subiectus fuit, nec voluntatem habet hypnotizari, nullo modo mediis ordinariis hypnosi corripietur; ut praedicta media suam vim exerceant, scil. hypnosim adducant, requiritur subiectum hysteria vel, in genere, nevrosi esse affectum, vel quod antea iam hypnosim passum sit. Non licet ergo affirmare omnia media satis esse ad quemlibet hypnotizandum. – Ceterum signa genesis somni naturalis et artificialis sunt eadem. Cum quis enim vult somnum capere, quietem corporis, silentium, etiam obscuritatem, quaerit, corpus tegit ad vitandum aërem vel insectorum puncturas,

---

[1] Ladame, *L'hypnotisme et la médecine legale.*

[2] Bernheim, *De la suggestion et de ses applications à la therapeutique*, pag. 23.

[3] Liébeault, *Le sommeil provoqué et les états analogues*, pag. 27.

[4] Forel, *Der Hypnotismus und seine Handhabung*, pag. 38.

[5] Bernheim, *De la suggestion* etc., pag. 220; Liébeault, *Le sommeil provoqué*, pag. 27.

[6] Beaunis, *Le somnambulisme provoqué*, pag. 211.

praebet corpori commodiorem situm, omnem ideam e mente repellit, quae eius attentionem et intellectum distrahere potest, et nil aliud cogitat, nisi dormire. Praeter has causas, aliae adsunt, quae somnum inducunt, ex quibus necessitas physica dormiendi, quae manifestatur quadam corporis et virium debilitatione et sensuum fatigatione, quae omnia parum prosunt ad fovendas spiritus distractiones, labor physiologicus digestionis, lectio vel conversatio fastidiens, rumor monotonus, aspectus debilis lucis, numeratio lenta et repetita alicuius verbi vel numeri, et tot alia, quae miro modo concurrunt ad removendas spiritus distractiones et efficiendum ut mens una idea somni occupetur. Balnea tepida, obtundendo sensibilitatem tactus, quam maxime fovent somnum. Uti videtur, voluntas dormiendi, remotio distractionum, sensuum quies, maior attentio in fovenda et servanda idea somni, varia media, quae finem habent augendi vim huius ideae, constituunt praecipua elementa in genesi somni naturalis. Somnus vero artificialis seu hypnosis habet eadem elementa et genesim. Notum est enim hypnosim non haberi, si hypnotizandi attentio distrahatur aliis ideis, si cogitat nolle dormire, vel suasionem habeat hypnosi non correptum iri. Praeterea, ut hypnosis succedat, quaeritur semper ut hypnotizandus omnes ideas repellat et tantum ideam dormiendi foveat; ponitur commodo scamno, commendatur silentium, curatur temperatura cubiculi ut sit dulcis. Ut celerior sit somnus, adhibentur media supra enunciata, quae omnem eius attentionem fortius tenent et invitatur persona, ut nil aliud cogitet, nisi somnum; paullo post, ob fatigationem sensuum, decidunt palpebrae, vel, nisi sponte decidant, digito clauduntur oculi, imperando quod dormiat. Uti patet, ex mediis psychicis (imaginatio, voluntas, absentia distractionis etc.) et physicis (adspectus vel fixatio oculorum, commoda positio corporis, silentium etc.) oritur naturaliter somnus. His positis, patet eadem elementa psychica et rationalia generare somnum artificialem et naturalem, scilicet fiducia dormiendi, consensus voluntatis ad somnum, sedatio sensuum, attentio mentis ad unam ideam dormiendi. In hypnosi vero deest necessitas naturalis dormiendi et adest imperium, saepe datum, dormiendi, quod quidem ad hoc tantum inservit, ut augeatur attentio ad somnum. Talis est genesis et natura utriusque somni, ut, ex Liébeault [1], sum-

[1] Liébeault, *Sommeil provoqué*, pag. 10-12.

matim exposuimus et quotidiana experientia constat; qua re videtur posse certe inferri utrumque somnum unum et idem constituere.

380. Neque ex hoc, quod hypnosis phaenomena cito producuntur et cito auferuntur, neque ex absentia prodromorum, quae praecedunt symptomata omnia morbi, fas est affirmare hypnosim habere causam praeternaturalem. Nam omnia haec supponunt hypnosim esse morbum, quod nondum est demonstratum; et, dato etiam quod hypnosis s't morbus, est-ne verum, quod omnis morbus naturalis suos prodromos habet? Phaenomena hypnotica certo maximam similitudinem prae se ferunt cum phaenomenis hystericis; et in his, eo modo quo in magna hysteria perfecta et regulari, hebentur prodromi et simptomata; at sunt etiam varietates seu formae in quibus omnino desunt et prodromi et symptomata, hypnosis consequens et phaenomena, quae praecedunt vel consequuntur convulsiones [1].

381. Nec valet dicere, quod ad producendos tot effectus physicos in musculis in statu hypnosis, necessaria sit causa physica, cum causa moralis, ut suggestio, non est satis; nam hoc argumentum in falso nititur; causa enim physica non solum potest producere varias mutationes physiologicas in organis corporis, sed saepe, et quidem aliquando vehementius, etiam causa moralis potest gravissimas perturbationes adducere in corpore. Nam, ex. gr., « stupor, vivi animi commotio, pavor ex aliquo periculo etiam imaginario, valent producere in corpore vehementem perturbationem, etiam crisim violentam, paralysim, catalepsiam, anesthesiam, hallucinationes et ipsam amentiam. Quotidiana experientia permittit quodlibet dubium de hac re amovere. Suggestio vero est causa moralis huius generis; nil ergo mirum, quod similes effectus producat. Neque ad hoc necesse est, ut organa sensuum physice immutentur, vel physica aliqua qualitas creetur, quae sentienda sit. Sufficit ut organa reddantur apta ad gignendam impressionem et fibrae sensus afficiantur eo modo, quo afficiuntur cum datam sensationem recipiunt, quod quidem hic locum habet concursu imaginationis activae » [2]. Insuper notum est fortem pavorem, insperatam notitiam gaudii vel doloris vehementis, producere ruborem vel pallorem pellis, celeriores vel tardiores cordis

---

[1] Richet, *Études cliniques sur la grande hysterie*, pag. 166-167; Pitres, *Leçons cliniques sur l'hysterie et l'hypnotisme*, tom. I, pag. 220.

[2] Lelong, *La vérité sur l'hypnotisme* pag. 62.

pulsationes et etiam syncopem et mortem. Quae omnia gignit causa mere moralis.

382. Quod vero hypnotizatus tantum hypnotizanti obediat, illum audiat et cum illo tantum communicationem servet, dum, si suggestio naturalis causa esset, eosdem effectus gignere deberet, si alii suggestionem praeberent, respondent adversarii: « Verum est suggestionem, causam naturalem, debere producere suos effectus, quicumque sit illam inducens, *dummodo* tamen eaedem conditiones serventur; at, si conditiones mutantur, patet effectum eumdem posse non haberi; quod quidem contingit in praesenti casu, in quo conditio mutatur. Ipse enim solus hypnotizans, ex circumstantibus, ponit se in communicationem cum subiecto per somnum excitatum et per vim absolutam, quam hypnosis exercet in voluntate et organismo; consequenter ipse solus potest audiri et obtemperari. Ut vero alius posset eumdem effectum habere, oporteret in eodem statu esse, scilicet communicationem cum subiecto habuisse. Sed contrarium hic locum habet; ipse enim praeventus est ab hypnotizante, qui voluntate subiecti potitus est, ac ideo nihil retinet pro ceteris. Mirum est ergo, si alius nullum effectum assequatur? Disparilitas status reddit rationem disparilitatis effectus » [1].

383. *Hallucinationes* vero, quae in hypnosi habentur, nullam difficultatem pariunt. Nil enim communius et frequentius apud homines distractos, pluribus serio intentos et apud somnambulos. Omnes hi enim cum mentem habeant gravi cogitatione ligatam, nil aliud sequuntur, nil aliud spiritu revolvunt, nisi ideam, qua tenentur; hinc circumstantes non advertunt, rumores non audiunt, salutantibus non respondent, obstacula, quae eis opponuntur, mechanice effugiunt; in tali statu nil pro ipsis existit praeter ideas, quae eorum mentem occupant et distractiones excludunt. Nonne huiusmodi fuere Archimedes, Ampère et doctor Robertus de Hamilton, d'Aberdeen? Nonne somnambuli quotidie exempla nobis praebent hallucinationis positivae et negativae et amnesiae? Qua ratione ergo ad actionem diaboli recurrere in his phaenomenis, cum haec facta in hypnosi notentur, quae nonnisi artificialis somnambulismus est? [2].

384. Quoad *suggestiones* vero, quae post hypnotizationem ad ef-

---

[1] Lelong, *Op. cit.*, pag. 64.

[2] Coconnier, *Op. cit.*, pag. 194 et 195.

fectum reducuntur, notandum omnia elementa, quae illas constituunt, inveniri in activitate nostra psychologica statu vigiliae, ac ideo nullam praeternaturalem causam requirere. Nam suggestio, ut rite notat Méric et ut facile omnibus patet, « tria elementa postulat, scilicet suggestionem, huius servationem vel permanentiam in cerebro inscio hypnotizati et, demum, eius exsecutionem statuto tempore » [1]. Hinc 1° hypnotizatus suggestionem recipit eodem modo, quo reciperet, si esset vigilans; 2° servat in mente suggestionem eodem modo, quo servaret imperium datum aut invitationem factam tempore vigiliae; servatio suggestionis est phaenomenon simile servationi imaginum, etiam per annos, in memoria imaginativa et eodem modo explicatur [2]; et 3° statuto tempore exequitur imperium eodem modo, quo exequeretur, si illud recepisset vigilans. Nil ergo suggestio post-hypnotica continet, quod sit praeter naturam [3].

385. Quoad *haemorrhagias* demum, adversarii respondent, nil praeter naturam et ipsas prae se ferre; nam physiologi moderni satis explicant per imaginationem valde exaltatam in somno artificiali, quae potest efficere sanguinis affluxum in aliqua parte corporis cum pellis inflatione et sanguinis quadam exsudatione; quae phaenomena, hac ratione, nonnisi perturbationes circulationis essent et effectus actionis animae in corpus [4].

386. Contra *secundum* argumentum opponunt adversarii alia argumenta. In primis obiicitur: hypnotismus nocet sanitati ac ideo proscriptus fuit ab Accademiis et Guberniis. Et recte quidem. At Academiae et Gubernia numquam obstiterunt, quominus hypnotismus adhiberetur a medicis causa illum melius noscendi et morbos curandi; proscripserunt tantum usum et abusum a profanis, in theatris aliisque publicis locis, causa ludus vel spiritum recreandi; hypnotismus enim potest ferre bonos et malos effectus; bene et iuxta certas causas et regulas a peritis adhibitus potest esse valde utilis et salutaris; male, casu et ab imperitis adhibitus potest esse causa infinitorum malorum. Idem evenit de venenis, quae, si sumantur

---

[1] Méric, *Le Merveilleux et la science*, Paris, 8ª edit., pag. 269-270.

[2] Id. *Op. cit.*, pag. 270.

[3] Cocomnier, *Op. cit.*, pag. 197.

[4] Lelong, *Op. cit.*, pag. 133; Bonjour, *Hypnotisme, télépatie et Spiritisme*, pag. 16; Schneider, *L'hypnotisme*, pag. 342, apud Cocomnier, *Op. cit.*, pag. 197-198.

incaute et absque norma, possunt esse causa etiam mortis, dum valent sanitatem ferre, si iuxta medicas praescriptiones adhibeantur.

387. At fortius argumentum fautores diabolicae originis sumunt ab illiceitate amittendi liberum arbitrium et iudicium propriae conscientiae, quo fit, ut homo indifferens reddatur ad bonum et malum. At respondent adversarii, dicendo, in hypnotismo non amitti liberum arbitrium et conscientiam, sed tantum harum facultatum *usum* ad tempus. Qua re, hoc posito, si per se, absolute et semper illicitum est amittere, vel ad breve tempus, usum liberi arbitrii et conscientiae, sequitur necessario, semper, per se et absolute illicitum esse et usum chlorophormii. At praedicta sententia huius usum et suspensionem usus rationis admittit ob graves causas et adhibitis necessariis cautelis. Ergo etiam usus hypnotismi licitus erit in gravibus casibus et necessariis cautelis adhibitis; qua re, ex hoc latere, dici non potest illicitus seu immoralis usus hypnotismi.

388. Alia ratio, ex qua declaratur illicitus hypnotismus, est, quia, hypnotizatus potest fieri aptus ad perpetrandum quodlibet crimen, quod ei suggeratur; et quis non videt, ipsi aiunt, quomodo, hac ratione, illicitus sit? At haec ratio nihil probat; omnia enim, quae periculum continent, non sunt ex hoc ipso illicita; quod quidem esset, si pericula nullo modo vitari possent. At in hypnotismo huiusmodi pericula omnino vitari possunt, et medici ipsi hoc iam cogitarunt; doctor enim Beaunis explicite dicit: « Necessaria est norma, a qua nunquam abire liceat, scilicet quod somnus nonnisi coram tertia persona, parente, marito, patre etc., provocetur, quae uno eodemque tempore hypnotizantem et hypnotizatum tueantur » [1].

389. Nec fas est dicere hypnotismum esse contra civilem societatem et familiam; nam, debite et honeste adhibito a peritis in gravissimis casibus, nullum damnum nec societati nec familiae sequi potest. Ceterum « nihil est, quo humana malitia non possit abuti, quando etiam ipsa Dei bonitate abutitur » [2]. Hoc timore admisso, impossibilis evadit hominis et civilis societatis quilibet progressus.

390. Quod demum hypnotismus sit perniciosus pro moribus iuvenum, non est attendendum; nam hypnotismus a solis peritis et debitis observatis conditionibus adhibendus est, et non ab imperitis, causa

---

[1] Beaunis, *Le somnambulisme provoqué*, pag. 39.

[2] S. Thomas, *Summa theol.*, III, q. 53, a. 8 ad 1.

ludi aut recreationis vel mali finis. In hoc casu, damna, quae venire possunt, sunt-ne tribuenda hypnotismo, an potius iis, qui indebite illo utuntur?

391. His argumentis expositis, patet quid tenendum de condemnatione magnetismi, acta a S. O. Ibi enim dicitur illicitum esse applicare principia et media pure physica ad effectus vere supernaturales, ut physice explicentur. Effectus hypnotismi, hucusque expositi, quomodo dici possunt vere supernaturales, si, iuxta superius dicta, non videntur excedere leges naturales physiologiae et psychologiae?

392. At fautoribus sententiae, quae tenet hypnotismum, prout supra retulimus, nil habere praeter naturam et elementa sui esse inveniri in physiologia et psychologia hominis, non satis est argumentis contrariae sententiae optimis rationibus respondere, sed hypnotismi studio funditus incumbunt, ut eius natura plene appareat et ex ea noscatur an licite adhiberi possit et quibus conditionibus. Ex auctoribus catholicis, qui hunc finem sibi proposuerunt, nobis videtur P. Coconnier, O. P., prae ceteris in omnibus felices habuisse exitus. Hinc non ingratum esse debet lectori, si valde summatim eius argumenta exponimus, cum agatur de re maximi momenti, tum quia in praesenti adhibetur ut methodus curae plurium morborum, tum quia non pauci, confundentes hypnotismum cum spiritismo, aut huius partem retinentes, abrupte illum damnant et in omnibus casibus proscribunt. Quae praxis et valde periculosa est in praxi et omnino anti-scientifica.

393. Ad noscendam naturam hypnotismi, ipse A. proficiscitur ex principio D. Thomae, dicentis: « *Iudicium de bonitate alicuius rei non est accipiendum secundum ordinem ad aliquid particulare, sed secundum seipsum et secundum ordinem ad totum universum* ».

At in primis notandum: 1° ex experientia quotidiana constare certum esse hypnotismum quamplurimis sanitatem reddidisse, pluribus gravissimisque morbis affectis, quin ullum damnum physicum vel morale retulerint; quod quidem significat damna et incommoda, quae aliquando habita fuerunt ex usu hypnotismi, non esse ex natura hypnotismi ipsius, sed ex eius abusu provenire; 2° in eligendis factis certis hypnotismi, necesse esse recurrere tantum ad medicos honestos et doctos, qui hypnotismi studio speciali modo incubuere, solo ducti amore scientiae et proximorum sanitatis.

394. His praemissis, A. inquirit quae elementa sint *essentialia*

hypnosi. Auctoritate d.rum Bernheim, Dèjerine, Forel, docet somnum non esse essentialem hypnotismo, quia pluries habita fuit suggestibilitas absque somno. Quid ergo est essentiale, si somnus excluditur? En: « Hypnosis, ipse A. ait, status quidam est sensibilitatis systematis nervei, naturalis et spontaneus, aut excitatus vel arte et voluntarie vel accidentaliter et involuntarie, quo quis fit suggestibilis gradu sat variabili, scilicet fit aptus ut afficiatur imagine, quae per verba ei suggeritur, ita ut ipse illam ut obiectivam habeat, et, plus minus perfecte, in praxim reducat quod haec imago repraesentat » [1]. Hinc ut patet, hic status versatur circa imaginationem, iudicium, memoriam etc.; potest haberi ex indole particulari personae alicuius vel hereditate, aut arte, ut supra exposuimus; dein hypnotizatus tendit ad executionem illius rei, ab imagine repraesentatae; ita, si ei dicatur: « ecce flos, accipe eum »; ipse mente videbit florem et colliget etc.; demum notetur imaginem excitari per verba, et verba statuere communicationem inter hypnotizantem et hypnotizatum et movere indirecte eius voluntatem, prout imagines, ita excitatae, gratae vel ingratae sunt; Deus enim tantum potest directe hominis voluntatem movere. Hinc sequitur duo tantum constituere essentiam hypnotismi, h. e. *suggestibilitatem* et *suggestionem;* in hoc omnes doctores medici conveniunt [2].

395. His positis, P. Coconnier quaerit utrum hypnotizare vel hypnotizari sit licitum. Iuxta doctrinam D. Thomae, docet non omnes actus humanos, quoad specificam moralitatem, esse necessarie bonos vel malos, quia nonnulli possunt esse indifferentes; hinc, ex ipsa D. Thomae doctrina, statuit illum actum habere bonitatem moralem specificam, cum obiectum habet conforme rationi; illum contra esse specifice malum, cum eius obiectum non convenit rationi, et illum demum, circa cuius obiectum nil ratio statuit, esse absque moralitate definita, scilicet esse indifferentem [3]. At ratio nihil iubet relate ad hypnotismum; nec ratio Dei, nec ratio hominis iubet hypnotizare vel hypnotizari; hinc, cum hypnotismus nulla lege praescribatur, illum velle non est ponere actum convenientiam habentem cum lege existente, quae conditio est essentialis pro eius liceitate; ergo hypno-

---

[1] Coconnier, *Op. cit.*, pag 257.
[2] Idem, ibid., pag. 258-259.
[3] Id., *Op. cit.* pag. 261, 262.

tizare et hypnotizari non sunt actus, qui dici possunt boni; at pos sunt esse mali vel indifferentes. Item prohibitio explicita formalis, sive ex parte rationis, sive ex parte legis, non adest. Tamen possunt esse mali iuxta aliquas circumstantias, quia « malum provenit etiam ex singulis defectibus », ut docet cum communi S. Thomas. Manet ergo inquirendum, an in elementis essentialibus hypnotismi aliquid sit, quo reddatur illicitus.

396. Hypnotismus importat statum specialem psycho-physiologicum, in quo hypnotizatus putat verum, quod ei suggeritur, et, ob impedimentum noscendi veritatem, inductum somno, tendit ad efficiendum quod per verba suggestionis indicatur. Nunc, simplex directio verbi ad aliquem, per se, nec bonum nec malum constituit; bonum et malum morale ex fine et circumstantiis desumendum erit. At status suggestibilitatis erit-ne malus? Quod hypnotizatus, tali statu, putet videre aliquid, colligere flores, percipere odores, et alia similia pati, per se non potest esse malum; nam hypnotizatus est somniator et aliquid simile in somnio omnes patimur, cum hoc tamen discrimine, quod, in somno naturali, somnium provenit ex auto-suggestione, dum in somno provocato provenit ex verbis, quae relativas imagines in cerebro excitant; omnia haec supponunt activitatem phantasiae, minime vero eius perturbationem. At ratio de hoc nil aliud dicit, quam de somnio; abest ergo specifica moralitas.

397. Exaltatio vero phantasiae in hypnotizato nil habet, quod sit praeter naturam; nam quotidie evenit, etiam nobis, in variis vitae circumstantiis, in quibus phantasia excitatur, robur dicendi augetur etc.; quod quidem, etsi non efficiat statum hominis normalem, non est certo contra naturam. Id evenit etiam in hypnotismo; eo magis, quia phantasia late per omnia transcurrit. Certo hypnosis potest adducere talem phantasiae exaltationem, quae sit praeter ordinem, eo modo quo hominis exaltatio potest ferre amentiam. At per se hypnotismus hoc non requirit. Hinc suggestibilitas nil habet, quod sit contra naturam.

398. At, quid de rationis iactura, quae in hypnosi accidit? Erit-ne malum? — A., iuxta doctrinam S. Thomae, exponit notionem mali, quod est « defectus boni, quod natum est et debet haberi » seu « privatio debitae perfectionis ». Hinc, suspensio momentanea *usus* rationis non potest esse malum, quia homini impossibilis est *actualis* usus rationis, qui proprius est angelorum. Et homo pluribus causis suspendit usum rationis, quin cesset vivere. Ergo ex hoc la-

tere tantum non potest dici malum pati temporaneam iacturam rationis. Quod quidem valet etiam de privatione temporanea libertatis, quae sequitur rationis statum.

399. At maior difficultas oritur ex subiecto, qui subest voluntati hypnotizantis, quod videtur esse contra dignitatem hominis. — A. respondet, constare ex experientiis, quarum plures refert, hanc potestatem hypnotizantis non esse *necessariam* hypnotismo et non semper contingere; nam pluries visi sunt subiecti fortiter resistere, et non recipere suggestiones, quae eorum conscientiae adversabantur. At, magis attente inquirendo discrimen inter dormientem ordinarium et hypnotazatum, apparet minimum inter utrumque esse hoc discrimen. Et re quidem vera « sponte dormiens, ait dr. Bernheim, nonnisi cum se ipso servat relationem; ultima idea persistens in eius somno, impressiones, quas nervi peripherici sensitivi et nervi sensuum pergunt transmittere ad cerebrum, immutationes ex visceribus orientes, constituunt initium imaginum ac impressionum discrepantium, quae efficiunt somnium. Qui negant phaenomena psychica hypnotismi, vel non admittunt nisi in temperamentis nervosis statu morboso, numquam considerarunt quae fiunt in somno normali, in quo cerebrum magis ordinatum a recto ordine divertit, in quo facultates disiunguntur, in quo ideae magis insolitae, conceptus magis absurdi dominium habent? Humilis ratio humana aufugit, spiritus magis rectus sinit se hallucinationibus affici, et fit, in tali somno, ludus somniorum, quos imaginatio evocat. In somno provocato, idea hypnotizantis praesens manet in spiritu hypnotizati, et, ob, id, hypnotizanti possibile est uti activitate eius imaginationis, suggerere somnia et actus dirigere, quas voluntas debilis vel absens probare non valet ».

400. Examini subiiciendo quae patitur homo, somno normali dormiens, clare apparet eum esse sub potestate obiectorum circumstantium et modi fungendi eius cordis, viscerum et praesertim stomachi et hepatis; iuxta positiones, quas tenet in somno, contingunt ei somni laeti vel ingrati, agitati et terrefacientes, quibus fit, ut audiatur ridere, loqui, se movere, minari et etiam surgat et ambulet; item rumor, qui producitur, odor florum, qui possunt esse in cubiculo, insectorum punctio et tot alia huius generis, causa sunt, ut in eius phantasia oriantur plures imagines, quae inducunt varios animi motus et etiam actiones, omnino insolitas et discordes. Hinc dicendum, dormientem somno normali esse sub potestate obiectorum cir-

cumstantium et status suorum organorum. Immo aliquando fit, ut quis loquens et tangens leviter, ex. gr., manum dormientis, responsum ab hoc recipiat, uti evenit saepe in hospitalibus; quod quidem agunt aliquando etiam matres, quae loquuntur cum pueris dormientibus, qui respondent dormiendo, bibunt, si potus eis apponatur ad os; at, expergefacti, nullam horum memoriam servant. In his casibus habita fuit hypnotizatio, scilicet communicatio cum dormiente. Quae omnia demonstrant hominem, ex natura, non posse, semper et ubique, dominari propria imaginatione et actibus, et numquam affici actione circumstantium obiectorum; qua re dicendum vel ex hoc latere, quo hypnosis fert hanc momentaneam potestatem hypnotizantis, hanc non esse contra ius humanae naturae et proinde per se illicitam.

401. Quod vero attinet pericula pro sanitate et incommoda ex usu hypnotismi, dicendum, iuxta doctores Bernheim, Grasset, Forel et plures alios, in praesenti haec pericula vitari posse, si hypnosis adhibeatur a peritis et honestis medicis et coram personis fiduciae hypnotizantis, ut ordinarie fit. Dein addendum, pericula hypnosis valde minora esse quam ex usu chlorophormii, cum hypnosis facile dirigi possit, quod quidem in usu chlorophormii saepe non est possibile

402. Ex praemissis dicendum hypnotizationem voluntariam non esse, per se, actum malum, sed indifferentem; at malum esset, si quis hypnotizaretur contra propriam voluntatem; si dormienti somno naturali suggererentur quae, vigilans, ipse reprobaret, vel, quae essent contra legem naturae, Dei vel Ecclesiae; si hypnotizans incapax esset hoc munere fungendi sive ex parte honestatis, sive scientiae; si demum quis hypnosim peteret absolute et absque fine definito, quia homo non gaudet iure adeo absoluto.

403. At, cum nonnulli putent hypnotismum esse per se malum, A. inquirit, an, dato etiam quod talis sit, adsit aliquis casus, in quo certe non sit malus. Hinc exponit communem doctrinam S. Thomae et theologorum, ex qua probatur nonnulla praecepta cessare obligare, cum eorum observatio stricta opponitur intentioni legislatoris, quae est, ut nil fiat contra ordinem, virtutem et proinde contra rationem, vel cum adest aliqua necessitas (ex. gr. propriae tutelae in occisione aggressoris) ponendi actum, quem permittit ius naturae; item S. Thomas docet esse sapientis medici plerumque procurare aut permittere minorem morbum ad curandum vel vitandum maiorem, et nullum sapientem debere iacturam rationis pati, nisi pro aliqua recompen-

satione alicuius aequalis vel melioris boni. His positis, ex casibus morbosis, quae quotidie habentur in hospitalibus et per hypnosim curantur, A. ostendit commoda habita post hypnosim esse longe maiora, quam momentaneam illam rationis iacturam et incommoda, quae sequi poterant. Qua re dicendum, hypnosim aliquando, etiam in hypotesi quod sit malum, esse licitam.

404. At omnia haec tenent, si hypnosis non sit diabolicae originis; nam, si est diabolicae originis, numquam licet cum daemone communicationem habere. Ad noscendum vero utrum hypnosis talis sit, A. exponit principia psychologiae S. Thomae et nonnullas auctoritates catholicorum doctorum, quas hic breviter colligimus.

405. Homo constituitur duobus elementis, quorum alterum materiale, spirituale alterum; ac ideo ipse retinet proprietates corporis, qua materia, et spiritus, qua non materia. Proprietates corporis assequitur scientia naturalis, proprietates seu facultates spiritus assequitur psychologia. Ex his facultatibus non omnes sunt eiusdem officii, nec eiusdem momenti in genesi vel phaenomenis hypnosis. Ex facultatibus, quae in his phaenomenis principem locum tenent, veniunt potentiae illae, quas S. Thomas appellat *sensus interiores;* de his A. D. pulchram habet doctrinam, quae brevi ita colligi potest. Homo percipit duas classes obiectorum, materialium scilicet et concretorum (ex. gr. hunc equum, hanc plantam etc.) et immaterialium et universalium, quia habet ideas generales equi, plantae etc. et ratiocinatur de veritate, sapientia, iure etc. *Binis* his classibus obiectorum respondent *binae* classes facultatum perceptionis, scilicet, *sensus*, qui sunt facultates organicae, et *intelligentia* seu ratio, quae est facultas minime organica, cum de immateriali agat. At sensus ipsi duplicem classem comprehendunt, scilicet sensus *exteriores* (visus, auditus, gustus, tactus, odoratus) et sensus *interiores,* qui in encephalo celantur et nonnisi ex eorum operationibus noscuntur. Quotidiana experientia docet omnes nos non solum videre, tangere, odorare, sed etiam omnes has sensationes coniungere, ita ut ex iis repraesentatio integra et unica obiectorum oriatur. Sed quid in nos hoc agit? Debet esse facultas aliqua sensitiva, cum munus ei sit in ordinem ponendi sensationes et « cognoscere sensibilia, in quantum sunt sensibilia, est sensus » ut ait A. D. At nullus ex sensibus externis hoc agere potest, cum oculus ex. gr. nonnisi luce afficiatur, auditus sonitu etc.; ergo dicendum in nobis esse sensum, qui omnes excitationes colligit, quas in sensibus externis causae externae in-

ducunt, et hunc sensum A. D. appellat *sensorium commune, sensum communem.* Uti videtur, sensus communis non afficitur directe a corporibus eorumque proprietatibus, sed indirecte, scilicet per sensationes, quas in organis sensuum corpora externa excitant. Si hic sensus ita afficitur sensibus externis, poterit etiam affici variis statibus organismi et esse sedem illius inferioris ordinis conscientiae, quam S. Thomas *conscientiam sensibilem* appellat. Omnibus his inspectis, sensus externi continuatio mutata essent sensorii communis, quod se haberet instar receptorii loci sensibilitatis externae. Sensorium, iuxta S. Thomam, est primus ex sensibus internis.

Etsi hanc doctrinam A. D. moderni physiologi non admittant, tamen illi non refragantur; immo nonnulli horum aliis verbis illam probant. Attamen physiologorum doctrina de hac re non est certa.

Alter sensus internus est *imaginatio*, quae est potentia « sensitivae partis » et « apprehensiva similitudinum corporalium, etiam rebus absentibus, quarum sunt similitudines ». Per hanc possumus plura praeteritae vitae nobis repraesentare, quia imaginatio servat imagines obiectorum, per sensus receptas.

Tertius sensus internus est *memoria*, quae habetur, iuxta S. Thomam et B. Albertum Magnum « quando distincte *recognoscimus* id, quod prius vidimus, audivimus et didicimus ».

Quartus sensus est *aestimativa*, scilicet facultas practice iudicandi de utili, de noxio, de convenienti rerum. Insuper S. Thomas aperte docet, ex facultatibus animae, nonnullas posse agere, quin ceterae agant, et activitatem alicuius facultatis eo maiorem esse, quo minor est aliarum activitas et versa vice; causae vero, quae haec efficiunt, possunt esse in nobis vel extra nos. Ita dolor vehemens, cito veniens, cum ad aliquod magni momenti mens est intenta, trahit ad se intentionem animae, qua opus omittitur; si vero opus totam intentionem animae absorbeat, potest dolor non adverti.

406. His praemissis, Auctor ad analysim revocat nonnullas facultates maioris momenti et primo quidem imaginationem, et inquirit causas, quae illam movent et efficiunt, ut reappareant « phantasmata servata in organo », ut ait A. D. Multae sunt causae, quae hoc operantur: est in primis voluntas; cum enim quis vult praeterita in mente sibi repraesentare, sufficit ut aliquid eorum cogitet, et illico multa phantasmata oriuntur, quae ad rem cogitatam referuntur; dein, quidquid contingit in spiritu vel in corpore sufficit ad excitandam imaginationem eo modo, quo operantur innumerae causae externae:

qua re satis est, ut unum phantasma excitetur, et plura alia illud comitantur; quod quidem non fit casu, cum imaginationi applicari possint regulae, quibus adsociatio memoriarum subiacet, et quae, iuxta S. Thomam, sunt: 1° lex similitudinis; memoria et *imago* Socratis secum fert memoriam et *imaginem* Platonis, qui ei sapientia similis fuit; 2° lex contrarietatis; si Hectorem cogitamus, statim occurrit phantasma Achillis; 3° lex affinitatis; imago patris revocat imaginem filii. Quod quidem significat, cum imagines non oriantur casu, possibile esse, aliquo modo et debite, dirigere phantasiam.

At notetur aliquando imaginationem nos decipere, cum, in quibusdam casibus, per eam imagines rerum ut res ipsas accipimus; quod A. D. ita exponit: « Deceptio in nobis fit secundum phantasiam, per quam interdum similitudinibus rerum inhaeremus, sicut rebus ipsis », uti fit in somniis. Quod quidem locum habet, cum non possit per aliam facultatem cognosci veritas. Ait enim A. D.: « Hoc, quod rerum species vel similitudines non discernantur a rebus ipsis, contingit ex hoc, quod vis altior, quae iudicare et discernere potest, ligatur »; et « sic ergo cum offeruntur imaginariae similitudines, inhaeretur eis, quasi rebus ipsis, nisi sit aliqua alia vis, quae contradicat, puta sensus aut ratio; si autem sit ligata ratio et sensus sopitus, inhaeretur similitudinibus, sicut rebus ipsis ». Hanc doctrinam confirmat quotidiana praxis communis et physiologia.

407. Praemissa hac doctrina psychologica S. Thomae, P. Coconnier quaerit quae sit nostra scientia de *somno*. Physiologi, ad explicandam causam somni, plures hypoteses imaginarunt, ex quibus nulla tamen omnino omnibus placet. At psychologi de somno recte opinati sunt, ex quibus praesertim Aristoteles et S. Thomas. Somnus in primis non extinguit omnes corporis activitates; functiones enim vegetativae perseverant. Item somnus non impedit *omnino* activitatem sensuum externorum, et Aristoteles expresse nobis dicit: « dormientem aliquando audire rumores, cantum galli vel latratum canis, videre lucem, liquorem degustare, tactum percipere, at debiliter et veluti a longe »; « ipse audit quaestiones, quae ei proponuntur, iisque respondet ». Omnia haec confirmat praxis quotidiana et experimenta d.rum Bernard, Mosso et Tarchanoff. At attente notandum, hasce perceptiones esse *electivas*, hoc sensu scilicet, quod ad nonnulla tantum obiecta referuntur, ceteris exceptis. Insuper tempore somni, imaginatio, memoria sensitiva non sunt absque activitate, et impressiones, etiam minimae, possunt percipi et haberi ut vehementes; nervi ipsi

motores et musculi voluntarii non sunt omnino ligati et impediti, quominus agant; hac ratione visi sunt plures vigilantes, iter faciendo, somno corripi et ita pergere iter; immo nonnullos, hoc statu, interrogationes percepisse, iisque respondisse. Ratio ipsa et libertas non sunt omnino ligatae, sed plus minus impediuntur ad actionem, prout sensus plus minus ligantur iuxta variam intensitatem somni. Demum notum est plures expergefieri hora ab ipsis antea statuta; quod quidem speciali modo evenit illis, qui aegrotantibus inserviunt, matribus, quae filios nutriunt, iis, qui ferreis viis occupati sunt, militibus, et generatim omnibus, qui, aliqua gravi causa, fortiter volunt, data hora, e somno surgere.

408. Expositis omnibus his de psychologia humana et de somno, P. Coconnier incipit interpretationem hypnotismi. In primis, habito somno hypnotico directe, aut immutato somno naturali, dicitur ex. gr. hypnotizato, « ante te est pulchra rosa, quae suave olet... in tuis manibus est pulcra avis, quam tu valde amas... audi, transit per viam cohors militum cum instrumentis musicis sonantibus... tu es miles, utique, es miles... habitum habes militum... militum tenes imperium... bibe hunc gratum potum vini (quod est aqua)... » etc. Omnia haec suggeruntur, describendo singulas scenas, ut phantasmata iis respondentia nitidius appareant. Hypnotizatus has scenas videt et impressiones accipit, velut ac si essent reales. Quomodo haec explicantur? Hypnotizatus, singulas suggestiones orales audiendo, sibi repraesentavit respondentia obiecta, eo modo, quo lector eadem obiecta sibi repraesentat; at lector, cum non dormiat, per rationem et sensuum experimentum, facile videt ipsa non esse realia; at hypnotizatus, ob somnum, habens rationem et sensus plus minus ligatos, nequit veritatem agnoscere et dicta obiecta ut vera habet, scilicet, ut ait D. Thomas, oblatis imaginariis similitudinibus inhaeret, « quasi rebus ipsis, nisi contradicat sensus aut ratio ». Quae cum ita sint, ipse afficitur omnibus illis affectionibus, quas pateretur, si videret vigilans ipsa obiecta realia. Hypnotizatus est somniator artificialis vel somnambulus. Uti patet, hypnotizans non agit in voluntatem, sed in imaginationem, excitando phantasmata rerum, quas suggerit.

409. Cum vero suggeritur hypnotizato, quod ipse non potest brachium vel aliud membrum movere, nec aliquod nomen proferre, et re ita fit, videtur difficilior esse explicatio. At oportet in primis memoriae revocare, hypnotizati sensus carere ordinata activitate, quae hic est plus minus incohaerens, et eius rationem item esse

plus minus ligatam et oportet cognoscere conditiones physiologicas requisitas ad motum voluntarium producendum vel verbum proferendum. Has conditiones Aristoteles, B. Albertus M., et S. Thomas nobis tradunt. S. Thomas docet id, quod in motu *voluntario* primum impulsum tribuit, esse *bonum actuale*, prout ostenditur ab imaginatione vel intelligentia. « In motu animalis, ait A. D., movens quod non movetur, est bonum *actuale* appetitum, prout est intellectum vel imaginatum ». Ergo, iuxta hanc doctrinam, tria requiruntur ad motum voluntarium producendum : 1° quod hic motus nobis repraesentetur saltem ab imaginatione ; nihil enim possumus velle, quod non sit saltem imaginatum ; 2° quod hic motus, ab imaginatione repraesentatus, sit bonum ; voluntas enim non potest ferri nisi ad bonum, saltem sub quadam consideratione ; 3° quod bonum repraesentatum sit *actuale,* scilicet quod sit habitum vel possibile ; voluntas enim non potest velle, nisi bonum possibile. Hinc applicando haec principia, sequitur, si imaginatio praebet voluntati bonum, quod haberi non potest, voluntatem nullo modo imperare motum membrorum. Hae conditiones, uti evidens est, valent etiam pro prolatione verborum, cum et prolatio verborum sit motus voluntarius. Immo S. Thomas, quoad verba, docet *verbum* posse accipi triplici modo : « verbum tripliciter in nobis dici potest » ; significat enim verbum, quod per os profertur : « verbum quod ore profertur » ; significare potest cogitationem conceptam a spiritu « intellectus conceptum » et imaginem, quam verbum pronunciandum repraesentat et a quo procedit « ipsa imaginatio vocis.... a qua procedit ». Ex hoc dicendum, sicut de motu voluntario, voluntatem non cogere, nisi prolationem illorum verborum, quorum imagines sunt in imaginatione et quorum prolationem ratio noverit opportunam vel possibilem.

410. Hinc, applicando hanc doctrinam, facile explicantur dicta phaenomena. In suggestionibus, per quas hypnotizatus non potest movere membrum vel verbum proferre, adsunt tantum *duae* conditiones, scilicet imago motus, excitata per verba, et bonum, idest, quod esset bonum praedictos actus exequi ; at *tertia* conditio, scilicet quod hoc bonum *obtineri possit,* deest ; cum enim suggestio induxerit impossibilitatem movendi membrum vel proferendi verbum, ob quam impossibilitatem dictum bonum obtineri nequit, et, ratione et sensibus ligatis, hipnotizatus non possit noscere veritatem ob hypnosim, eius voluntas non poterit inducere motum in organa,

a quibus et motus membri et prolatio verbi pendet. Uti videtur res evenit ut doctrina exposita requirit.

411. Item, cum dicitur hypnotizato se hypnotizantem non visurum, et eius praesentiam non advertere, etiamsi acubus pungat eius manum etc., haec item explicari possunt. Nam certum est apud somnambulos retinam fieri insensibilem etiam saepe sub vivissima luce, ut ait dr. Maury; hinc, cum hypnotizatus sit somnambulus, nil mirum quod, tali statu, hypnotizantem non videat, etiamsi sit ante eius oculos et efformetur in retina eius figura. Dein, S. Thomas docet, nullam facultatem aliquid percipere actu, absque *attentione* « vis cognoscitiva non cognoscit aliquid actu, *nisi adsit intentio* »; ex hoc fit, ut aliquando imaginatio non afficiatur quibusdam imaginibus, quas servat in suo organo, ob defectum intentionis, « quia intentio non refertur ad ea ». Hinc sequitur, quod hypnotizatus recipiat quidem in oculis imaginem hypnotizantis et punctiones in manibus, at nullo modo iis afficiatur, quia deest intentio, et voluntas nequit vim exercere in organis, nisi ratio vel imaginatio repraesentet bonum possibile; at hic, bonum ab hypnotizato, ratione suggestionis, habetur ut impossibile, cum nequeat per rationem et sensus ligatos noscere rei veritatem. Nec mirum est quod hypnotizatus possit audire hypnotizantem et minime illum videre; nam, cum semel hypnosi sese subiecerit, idea fortior, quae in eo remansit, cum somnus eum tenuit, est idea hypnotizantis, ob quam communicationem servat cum illo et eius attentio tota colligitur in ipso; quod quidem ei impedit quominus possit ad aliud intendere praeter suggestiones. Qua ratione vero eum non videat, iam diximus.

412. Sectatores originis diabolicae hypnotismi maximi faciunt factum, quod in hypnosi locum habet et quo utuntur ad corroborandum argumentum originis praeternaturalis. Factum est sequens. Cum quis fixis oculis intuetur quadratum rubri coloris positum super folium album usque dum retina defatigetur et tunc illico rubrum auferatur, ipse videt quadratum viridem et album simul; idem evenit in hypnotizato, suggerendo colores, qui easdem patitur affectiones, velut re attente intueretur obiectum coloratum reale. At, cum causa imaginaria (suggestio), aiunt, non possit effectus reales producere, et color, visus ab hypnotizato, non habeat ut causam, nisi quadratum suggestum, remanet dicendum huic facto non posse tribui causam naturalem. P. Coconnier huic obiectioni adaequate respondet, nisus psychologia et physiologia. At priusquam responsionem praebeat,

praemittit notionem circa existentiam et proprietates, quas habent *imagines periphericae subiectivae*. Cum quis, sive vigilans, sive dormiens, hallucinationes patitur, certo noscit hasce sedem habere intra cerebrum; sed aliquando fit, ut imagines seu hallucinationes appareant in parte peripherica nervorum sensuum; hae imagines tunc dicuntur *periphericae subiectivae*. Quod tales imagines re existant, neminem latet; nam, saepe accidit quod quis, dormiens, somnia habeat et improviso somnum dimittens, pergat, per aliquod tempus eamdem hallucinationem videre oculis apertis; casus hic est hallucinationis intracerebralis, quae fit peripherica; immo, aliquando, nonnulli sunt, qui, pro arbitrio possunt frui hisce imaginibus peripheriçis subiectivis, ut eveniebat d.ri Meyer; sufficit ut, clausis oculis, aliquid vehementer repraesentetur in imaginatione; dein, apertis oculis, notatur pergere visionem imaginis ita habitae. Hinc talia facta satis essent ad diluendam obiectionem; nam, si, excitando fortiter imaginationem, fit ut sensus externi, modo speciali visus, afficiantur eodem modo, quo afficerentur obiectis realibus, sequitur eadem phaenomena perceptionis realis locum habere in sensatione originis subiectivae easdemque physicas leges ibi locum habere. At explicationem psychologicam nobis praebent Aristoteles, S. Thomas et Albertus M., quibus omnia haec facta iam nota erant, et B. Albertus clariorem notionem nobis tradit. Imagines rerum acceptarum per sensus cum pervenerint in sensus nostros internos, non remanent inertes, sed, variis causis, possunt novam acquirere activitatem, pulchriores fieri, simul se se coniungere et tot phaenomena praeter ordinem producere, ut omnes noscunt; at omnes hae imagines contrariam viam tenent, descendunt scilicet ab organis internis ad sensus peripheriços. Quod Albertus M. ita exponit: « Simulacra primo a sensibus vadunt ad fundum animae sensibilis, ad organum imaginationis et phantasiae, et exinde refluunt lucentes et successive venientes ad primum sensitivi principium ». Ratio vero huius processus est, quia organa sensus interna coniunta sunt per nervos cum organis sensuum externorum « et continuus sit nervus ab interioribus ad organa veniens ». Consectarium vero huius doctrinae, quae experientia innititur, est, quod sensus externi, cum sint affecti his imaginibus eodem modo ac si affecti essent ab obiectis realibus, determinantur ad actum perceptionis sibi propriae, scilicet ad visionem pro oculis, ad auditum pro auribus etc., velut ac si respondentibus obiectis realibus afficerentur. Hinc facilis evadit responsio ad praefatam obiectionem. Nam, cum hypnotizati imagi-

natio sit vehementer excitata, imago quadrati rubri descendet a sensorio comuni usque ad retinam, quam vehementer item excitabit; vehemens vero haec excitatio defatigabit oculos. Si tunc illico ostendatur hypnotizato charta alba, eius retina, ob vehementem impressionem rubri coloris, non percipiet statim album colorem, sed colorem viridem et album simul; omnia haec sunt effectus mutationis status retinae,qui idem est, tum si excitatio provenit ex sensorio communi, tum si provenit ab externo per obiecta realia. Ceterum haec doctrina Aristotelis, D. Thomae, B. Alberti M. et omnium scholasticorum confirmatur ex moderna physiologia; nervi enim, tum motores, tum sensoriales, sunt eiusdem naturae, ac ideo, per se, possunt indifferenter transmittere sensum vel motum, si invertatur locus excitationis, qui pro motoribus est internus, pro sensitivis est externus.

413. Dimissa hac obiectione, remanet ut explicetur exsudatio sanguinis. Oportet in primis notare maximam esse actionem moralis in corpus, quam quotidiana experientia late probat. Notum est enim imaginationem producere tot effectus physicos, qui videntur fere impossibiles; ipsa enim agit in cor, accelerando vel retardando eius motus, impellit sanguinem in faciem aut removet, producit sensationes caloris et frigoris, nauseam, emissionem sudoris, reddit capillos albos, adducit vel aufert morbos, excitat vel deprimit vim nervorum, est saepe causa haemorrhagiae cerebri vel vasorum chordis et mortis ipsius, reales reddit morbos imaginarios hypocondriaci etc. Noscuntur etiam nonnulla facta, a doctore Tuke et aliis collecta, in quibus imaginatio, vehementissime excitata sensationibus pavoris, terroris et similibus, produxit exsudationem sanguinis. Hanc actionem imaginationis in corpus plene cognoverant psychologi, et S. Thomas ei tribuit magnum imperium; dicit enim: « ex hoc, quod anima *imaginatur* aliquid et vehementer afficitur ad illud, sequitur aliquando immutatio in corpore ad sanitatem vel aegritudinem, absque actione principiorum corporalium, quae sunt nata in corpore aegritudinem vel sanitatem causare »; et: « corpus autem transmutatur praeter ordinem principiorum naturalium, praecipue *per aliquam imaginationem fixam,* ex qua corpus calefacit per concupiscentiam vel iram, *aut etiam immutatur ad febrem vel lepram* ». Etsi, in praesenti, noscatur natura leprae, quae ab imaginatione provenire nequit, tamen patet quantam vim A. D. tribuat phantasiae in immutando corpore. His praemissis, poterit negari imaginationem, valde exaltatam, posse producere exsudationem sanguinis? Immo Suarez,

loquens de sudore sanguinis I. Christi in horto, ait: « Dico, Christus Dominus, absque speciali miraculo, sanguinem sudavit, ex vi internae afflictionis et agoniae, quam in illa oratione passus est ». Eadem ratione physica et naturali ipsum factum explicat Maldonatus et Caietanus. Dom. Calmet asserit opinionem, quae tenet sudorem sanguineum I. Christi naturalem, esse communem; ait enim: « *communis opinio* docet sudorem illum sanguineum naturalem quidem fuisse, sed maiori expressum vi et copia, quam soleat plerumque », et addit: « exempla quidem multa suppetunt sudoris sanguinei ex inopinato terrore seu discrimine sine miraculo educti ». Accedit quoque auctoritas Benedicti XIV, qui in opere « *De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione* » lib. IV, part. 2, c. 26, 7, quod est opus maximi momenti et quo utuntur RR. CC. in his materiis, cum loquitur de sudoribus et lacrimis sanguinis, quae aliquando fluunt a corpore et oculis servorum Dei, dicit multa esse exempla sudoris sanguinei « citra ullum miraculum profluentium » ut videri potest apud Dom. Calmet, quem ipse citat, et addit alia facta nosci huius sudoris, qui habitus fuit non solum vi morbi corporis, sed etiam ob tristitiam et spiritus poenas; quae facta, ait « perfecte demonstrant, non solum ex infirmitate corporis, sed etiam ex moestitia animique dolore naturaliter lacrymas, sudoremque manasse ». Quibus factis certis admissis, Benedictus XIV concludit et sudorem sanguinis Iesu Christi potuisse fieri, absque miraculo, ob spiritus afflictionem « quomodo *naturaliter* in aliis hominibus, vehementi passione, modo humano, affectis, potuit naturaliter sudor sanguineus a corpore, potuerunt lacrymae sanguineae ab oculis emanare ». Qua re, ipse Pontifex concludit relate ad Sanctos, si in vita servorum Dei talia facta habentur, non esse computanda inter miracula: « ex hoc efficitur ut, si aliquando in evolvendis actibus Servorum Dei, sive Beatorum, *similia occurrant, haec a classe miraculorum arcenda sunt* ». Quibus notis, videtur certum posse affirmari, exsudationem sanguineam, habitam in hypnosi, in qua maxime phantasia exaltatur ob vivas descriptiones et suggestiones aptas receptas, non requirere, ut explicetur, originem diabolicam, nec tale factum vim naturalem imaginationis excedere. Ceterum ex psychologia compertum est, animam esse formam substantialem corporis et nihil esse « in corpore animato, ut ait B. Albertus M., quod non subdatur per aliquem modum animae motibus ». Qua re, si intelligentia et voluntas, quae sunt facultates psychicae, possunt actionem habere in corpus, illud

pluribus modis immutando, a fortiori imaginatio, quae est facultas organica, fortiter excitata, poterit vehementius agere in corpus et plures mutationes adducere, ut mox ex D. Thoma audivimus [1].

414. Omnibus his ergo praemissis, prout psychologia summorum DD. et physiologia nos docet, nobis videtur posse tuto concludi phaenomena clinica hypnotismi, quae superius recensuimus, talia esse, quae, ut explicentur, nullam omnino requirunt causam, quae capacitatem activitatum organicarum et spiritualium hominis excedant, ac ideo posse aliquando esse licitum usum hypnotismi in morbis curandis.

415. Cum vero hypnotismus plus minus privet hominem usu conscientiae et libertatis, et, non bene, aut ab imperitis adhibitus, possit secum ferre plura incommoda, ut licite in praxi reducatur, necessariae sunt nonnullae conditiones, sive ex parte aegrotantis, sive ex parte medici, quarum notio valde utilis confessariis esse potest cum frequentissime in praesenti adhibeatur praesertim in hospitalibus; quae conditiones sunt:

1° Ut morbus, qui per hypnosim curari vult, nequeat alio modo curari, aut talis naturae sit, ut nonnisi per eam meliores effectus obtineri possint;

2° Ut hypnotizandus sponte petat vel acceptet hanc curam;

3° Ut hypnotizans sit medicus peritus in hac re, honestus et absque omni mala suspicione, et hypnosis habeatur per media licita;

4° Ut suggestiones sint honestae et aptae naturae morbi;

5° Ut hypnotizatio et suggestiones fiant coram persona fiduciae hypnotizandi, servatis omnibus regulis honestatis et morum [2].

---

[1] Coconnier, *Op. cit.*, cap. X-XV.

[2] Hanc sententiam tuentur, praeter medicos fere omnes etiam catholicos, Meric, *Op. cit.*, l. 2, ch. 2, pag. 233; Lapponi, *Op. cit.*; Mattiussi, *Fisica rationale*, P. II, pag. 571 et ss.; Lehmkuhl, *Theol. moral.*, edit. 10ª, n. 994, nota; Bucceroni, *Casus Conscientiae*, edit. V, vol. I, pag. 109; Berardi, *Casus Conscientiae*, an. 1893; Genicot, *Theol. moral. instit.*, ed. 2ª, vol. I, n. 272.

DE V PRAECEPTO

Non occides
Ex. xx, 13.

CAPUT I.

DE ABORTU ET OPERATIONIBUS CHIRURGICIS PARTUS

416. Abortus, ut notum est, est praematura eiectio fetus ex utero matris. Potest oriri ex causa mere naturali, vel ex causa artificiali multiplici.

417. Hic distinguere oportet *partum praematurum* artificialem ab *abortu obstetrico*. Nam notum est, non semper praegnationem novem menses perdurare et aliquando fetum nasci septimo vel octavo mense [1] vitae intrauterinae; tunc fetus dicitur *viabilis*, quia, etsi primo tempore sui ortus multo studio et cura indigeat, potest tamen vivere extra matris corpus et paullatim bene sese evolvere, sicut infantes nono mense nati. Fetus contra, qui ante hoc tempus nascuntur, nequeunt ordinarie vitam extrauterinam degere. *Partus praematurus* artificialis igitur consistit in provocatione partus, antequam praegnatio completa sit, h. e. circa septimum vel octavum mensem, quum iam fetus est *viabilis* vel etiam sexto mense (cfr. not. praeced. et n. 426).

Abortus vero obstetricus consistit in provocatione partus antequam fetus sit viabilis, ac proinde cum nullo modo potest extra corpus matris vivere. Si certo constet fetum *iam esse mortuum in utero*, per se patet, huiusmodi abortum provocare non solum licitum,

[1] Iuxta Beclard (*Op. cit.*, pag. 1127 not.) aliquando infantes nati sunt sexto mense et sexto mense cum dimidio, et perfecte vixerunt.

sed necessarium esse, ne grave matris valetudo detrimentum patiatur. Quaestio maximi momenti in hoc ergo versatur an et in quibus casibus [1] permissio abortus licita evadat. — Ad hoc necessarium est nonnulla praemittere ex chirurgia obstetrica.

418. In primis prae oculis habendum est, ut iam innuimus, non semper fetum in loco suo naturali et physiologico, h. e. utero, evolutionem agere (237 et ss.); sed aliquando, ut vidimus, extra uterum, h. e. in tubis, ovariis vel cavitate abdominis se se evolvere (fetus ectopici). Patet, cum quaestio est de abortu, non agi nisi de fetibus uterinis.

419. Quum abortus provocari velit, opus semper est inducere contractiones in involucris muscularibus uteri, quae fetum eiicere valeant (241). Causae, quae hoc efficere possunt, multae sunt, quarum nonnullae (helleborus, segala cornuta, venae sectiones, balnea) in totum corpus directe agunt, reflexe vero in uterum; nonnullae vero tantum locales sunt, quae, cum fortius et directe in uterum actionem habeant, eiectionem certiorem inducunt; qua re huiusmodi causae locales in obstetritia adhibentur, et consistunt in perforatione membranarum fetus, vel dilatatione intrauterina, in occlusione vaginae et pluribus aliis modis. Aliae causae indirectae abortus sunt compressiones, percussiones, convulsiones, vehemens pavor, omnesque illae causae, sive physicae sive morales, quae magnam exaltationem nerveam in muliere afferunt, ex qua oriuntur contractiones uterinae.

Item abortum saepissime inducunt, praeter nonnullas potiones medicas, etiam mansturbatio, coitus nimis frequens, inflammationes vulvae, nonnulli morbi intestini recti [2]. Insuper abortus locum habet mortuo fetu, ut saepe fit primis mensibus praegnationis, cum insufficiens evadat eius nutritio ob nimiam evolutionem membranarum fetalium aut ob gravem haemorrhagiam provenientem ex utero vel ex aliis organis; aliquando vero fetus moritur causa morbi ex infectione matris, qui illum interimit, aut (et hoc frequentissime) causa syphilidis, a patre transmissae, quin noceat matri, dum immediate organa essentialia vitae fetus mortaliter afficit. Alia causa, satis frequens, abortus, habetur in inflammationibus uteri et praesertim in metrite, quae contractiones vehementes uterinas, fetum eiicientes,

---

[1] Morbos, in quibus doctores obstetrici indicatum censent abortum, vide, ex. gr., apud Cuzzi, *Op. cit.*, pag. 46 et ss., vol. II.

[2] Dr. Graily Hewit, *Op. cit.*, pag. 808.

inducunt quarto vel quinto mense praegnationis; item dicendum de morbis, quos febris aut anemia comitantur, et de quadam praedispositione ad abortum, quo fit, ut aliquando nonnullae mulieres, ob quasdam parvas impressiones, quae aliis feminis minime nocent, abortum patiantur, ut sunt nonnulli parvi labores et minimae excitationes, levis agitatio spiritus etc. Aliquando demum abortus haberi potest ob excitationes, quae fiunt in nonnullis nervis, quae, via reflexa, transmittuntur ad nervos uterinos, contractiones inducendo, uti sunt excitationes in vaginam aut super vulvam aut ubera [1].

420. *Operationes chirurgicae,* quae frequentius fiunt tempore partus, tripliciter dividi possunt, de quibus necesse est nonnullas notiones habere. Hae sunt: 1° *Operationes, quae neque fetum neque matrem offendunt;* 2° *Operationes, quae occidunt fetum et embryotomiae nomine colliguntur;* 3° *Operationes, quae laedunt organa matris, minime vero fetus.*

421. *De operationibus ad extrahendum fetum aptis, absque laesione fetus vel matris.* — Hae dicuntur omnes illae operationes per manus aut instrumenta habitae, quae partum efficere valent, sive producendo contractiones uterinas *per expressionem,* ut aiunt, fricando scilicet convenienter manus super abdomen, sive extrahendo fetum per apposita instrumenta (forceps, retroceps), aut per media meccanica ad augendam vim instrumentorum apta. Huc referuntur etiam varii casus praesentationis fetus.

422. *De operationibus, quae fetum occidunt et nomine embryotomiae vocantur.* — Hae consistunt in reductione vel divisione variarum partium fetus, quae singulae postea paullatim extrahuntur, cum nullo alio modo extractio fetus sit possibilis. Hae operationes vario modo peraguntur, prout fetus praesentat caput, pelvim aut truncum; ita habentur sequentes operationes:

a) *Craniotomia* (κρανίον = cranium; τομή = sectio, abscissio), qua perforatur cranium infantis et extrahitur massa cerebralis; contractiones uterinae, quae tunc oriuntur, minuunt volumen capitis et infans facilius eiicitur; aut, si reductio capitis non sit sufficiens, per manus vel apta instrumenta perficitur extractio. Craniotomia obtinet propter nimiam angustiam pelvis aut ob nimiam magnitudinem capitis infantis. Usus craniotomiae ad servandam vitam matris,

---

[1] Schroeder, *Op, cit.*, pag. 448 et ss.

cum nullo alio prorsus modo partus obtineri possit, et, nisi ita fiat, mater una cum filio moritur, sat antiquus est. Hippocrates enim, Celsius et Soranus et medici arabi plura instrumenta describunt ad hanc operationem peragendam.

b) *Cephalotripsia*, (κεφαλή = caput; τρίβω = comminuo), qua fortiter comprimitur caput infantis, donec massa cerebralis et sanguis resistentiam vincit ossium et pellis capitis; aliquando vero, ut operatio facilius evadat, cephalotripsiam praecedit craniotomia. Instrumentum ad hoc est species quaedam forcipis, qui dicitur *cephalotribus* vel *cephalotritor*. Haec quidem operatio aeque est antiqua ac praecedens et aliquando mortalis evadit etiam pro matre. Adhibetur ob nimiam angustiam pelvis. Mortalitas pro muliere est 30,4 %.

c) *Cephalotomia*, qua, mediante instrumento, quod dicitur *cephaloserra*, dividitur caput infantis sensu longitudinis in duas partes. Haec methodus doctori Wan-Huevel bonos effectus praebuit et indicata invenitur in casibus gravis angustiae pelvis, quum cephalotripsia non sufficit ad extrahendum fetum. Prae cephalotripsia nonnulla commoda praestare videtur, cum mortalitas mulierum sit tantum 21,3 %.

d) *Sfenotripsia* (σφήν = cuneus), qua perforatur, in pluribus locis, basis capitis. Iuxta doctorem Hubert, hac operatione mulieres moriuntur, in angustiis mediis (80-64 mm.) alvi, 16,66 % et in angustiis extremis (min. 65 mm.) 12,05 %.

e) *Embriulcia*, qua separatur caput a trunco (decollatio) vel scinditur pectus vel columna vertebralis per aptas forcipes (detruncatio). Haec operatio locum habet, quum fetus praesentat truncum; tunc, cum non possit alio modo fieri extractio, scinditur fetus in plures partes, quarum singulae postea extrahuntur.

f) *Eviscerațio*, qua, post perforationem abdominis aut pectoris infantis, extrahuntur viscera ventris et thoracis; dein, per apta instrumenta, in columnam vertebralem vim mechanicam agentia, flectitur columna vertebralis et fit extractio. Haec operatio adhibetur cum eiectio, nulla operatione, supra indicata, possibilis evadat; et. aliter, decollatione peracta, reliquum fetus non potest eiici, quia corpus est ordinario maius aut iecur aut renes sunt nimis evoluti. Haec operatio non videtur esse absque periculo matris.

g) Quando vero praegnatio est extrauterina (211 et ss.) seu ectopica, communiter docent doctores obstetrici hanc praegnationem

tractandam esse velut quemlibet tumorem malae naturae; ac proinde, certitudine de hac praegnatione primis mensibus comparata, statim per laparatomiam exstirpandam esse cystim vel fetum interimendum per fluidum electricum vel per iniectiones morphinicas. Etiam paullo serius, hac praegnatione cognita, dicta operatio chirurgica quam cito est facienda, quin vitae fetus aliquo modo provideatur [1].

423. Iuxta doctorem Morisani, operationes (ab *a* ad *f*) tunc fieri oportet, quum gravissima obstacula adsint ad expellendum fetum, dummodo fetus certo iam mortuus sit aut eius viabilitas multas incertitudines prae se ferat.

Alii vero doctores, ex quibus Schröder et plurimi alii, ad ostendendam liceitatem embryotomiae, fetu vivente, ita opinantur: in omnibus casibus, in quibus embryotomia indicatur, nisi haec fiat, mater et puer moriuntur; hac peracta, fere semper mater servatur; vita vero matris, multis rationibus, utilior ac magis necessaria est quam vita fetus; ergo embryotomia non tantum licita censenda, sed ad hanc medicus agendam obligatur, ut servetur mater.

424. *Operationes, quae laedunt organa matris, quin aliquid patiatur fetus,* sunt sequentes:

a) *Symphiseotomia,* qua scinditur fibro-cartilago, quae coniungit duo ossa pubis; operatio indicatur, quum pelvis sit nimis angusta. Haec operatio a Sigault anno 1768 ortum ducit. Cum agitur de nimia angustia pelvis, scissio membranae fibro-cartilagineae pubis latitudinem pelvis auget et facilius partus obtinetur. In nonnullis casibus, loco huius operationis, partum praematurum artificialem aliqui doctores suadent. Iuxta doctorem Novi, ex viginti quatuor praegnantibus, quae hanc operationem passae fuere in hospitali Incurabilium Neapoli, decem et octo valetudinem consecutae fuerunt et sex mortuae; ex fetibus, decem et novem vixerunt et quinque mortui sunt. Aliquando symphiseotomia locum cedit craniotomiae et cephalotripsiae.

b) *Operationes unitae* ita appellatae, primo a doctore Iacolucci propositae anno 1867 ad vitandum partum caesareum et hysterotomiam. Hic doctor tenet illicitam esse provocationem abortus et embryotomiam, vivente fetu, ad cuius extractionem, ob nimiam an-

---

[1] Max Runge, *Op. cit.*, pag. 203; Schauta, *Op. cit.*, pag. 580; Schroeder, *Op. cit.*; pag. 421.

gustiam pelvis, partus caesareus necessarius esset, et proposuit partum praematurum artificialem cum symphiseotomia; incommoda matris multo minora evaderent; et hoc arbitratur agendum esse, etiam fetu mortuo. Per has operationes unitas partus caesareus vitatur et mater paucos post dies sanatur.

c) Partus caesaerus, qui consistit in extractione fetus per incisionem ventris (laparatomia) et uteri matris, quum nullo alio modo, ob angustiam pelvis aut alias causas, partus obtineri possit. Hic partus dicitur caesareus, iuxta Plinium, quia Scipio Africanus, ita eductus fuit e ventre matris; dicitur etiam *gastro-hysterotomia, laparo-hysterotomia, sectio-caesarea.*

425. Haec operatio fieri potest: 1° in muliere mortua, fetum vivum habente, 2°. in muliere vivente, fetum vivum vel mortuum habente.

Operatio caesarea, in muliere mortua, antiquissima est, et, inter romanos, Plinius [1] memorat nonnullos viros celebres hoc modo e ventre matris eductos. Haec, iuxta doctorem Morisani, indicata esset, quum fetus iam *viabilis* esset, quod accidit circiter post 28 hebdomadas a conceptione; et, etsi ignoretur quanto tempore a morte matris infans in utero vivere pergat, ipse, cum multis aliis doctoribus, opinatur: 1° fetum mori *antea* aut *eodem tempore,* si matris morbus lente progreditur, ut fit in morbis ex infectione, et *paullo post* mortem matris, si mater morte violenta obiit, ut in apoplexia, haemorrhagia, etc.; 2° *probabile* non esse fetum haberi vivum per operationem caesaream, nisi per quindecim aut ad summum viginti minuta a morte matris; hoc transacto tempore, generatim loquendo, fetum extrahi iam mortuum [2].

426. Hae affirmationes, in tanta generalitate expositae, etsi tot doctorum auctoritate suffultae, admitti non possunt, quia in primis sat difficile est exacte statuere tempus praegnationis; et dein, supra demostravimus, animationem fetus fieri statim ac peracta est fecundatio; ac proinde, post hanc, agitur de vero homine vivente, et, operatione neglecta, eius mors procuratur, quin baptismus administrari possit. Complurima enim exempla habentur collecta a docto-

---

[1] *Hist. natur.*, lib. VII, cap. 7.

[2] Morisani O., *Manuale delle operazioni ostetriche*, 2ª edit., Napoli 1878, pag. 177. et seq.

ribus, quae ostendunt persistentiam vitae fetus, quocumque tempore praegnationis et etiam multas post horas a morte matris.

Cangiamila in suo rarissimo opere « *Embriologia sacra* » [1] refert non pauca exempla horum fetuum, qui e sinu matrum defunctarum viventes extracti fuere, a doctoribus ipsis, qui operationem fecerant, transmissa ad auctorem.

Doctor Ignatius Amato, monrealensis chirurgus, sequentia exempla refert de praegnantibus, diverso tempore, mortuis, a se vel ab aliis chirurgis excisis, fetum viventem servantibus, et indicat etiam tempus, quod vixit infans post operationem, cum nomine baptizantis.

1. Die 3 Novemb. 1719: Margarita Bruno, uxor Francisci; a 7 mensibus gravida; canonicus Parocus Franciscus Turdo infantem baptizavit, qui fere una hora postea vixit.

2. Die 14 Aug. 1724; Antonia Monte, Iosephi uxor; a 6 mens. gravida; canonicus Ioseph Falco infantem baptizavit, qui uno quadrante vixit.

3. Die 24 Septemb. 1724; Anna Maria Calcagno, Iosephi uxor; a 7 mens. praegnans; infantem, qui uno quadr. postea vix., idem Falco baptizavit.

4. Die 4 martii 1725; Augustina Smiriglio, Damiani ux.; a 5 mens. praeg.; idem Falco baptizavit fetum, qui postea uno quadr. vixit.

5. Die 8 Octob. 1725; Sancta Agnelli, Iacobi ux.; ab 8 mens. praegn.; Canonicus Turdo infantem baptiz., qui 5 horas cum quadr. postea vixit.

6. Die 15 Ianuar. 1728; Antonina Mini, Antonini ux.; ab 8 mens. praeg.; idem Turdo baptizavit puerulum, qui aliquantulum postea vixit.

7. Die 9 Novemb. 1728; Rosalia Maniscalco, Ioannis ux.; a 5 vel 6 mens. praeg.; cañcus Dominicus Pupella fetum baptizavit, qui aliquantulum postea vixit.

8. Die 25 Aprilis; Iulia Dimitri, Ioseph ux.; a 3 mens. pregn.; excisa *fere post horam a morte;* dñus Emanuel Cangiamila fetum baptizavit, qui uno quadr. postea vixit.

9. Die 24 Novemb. 1733; Lauria di Agostini, Isidori ux.; a 6 mens. circiter praegn.; cañcus Xaverius Cobelli infantem baptizavit, qui postea fere dimidia hora vixit.

10 Die 6 Aug. 1734; Eleonora li Manni, Antonii uxor; a 9 mens. praegn.; canonicus Turdo fetum baptizavit, qui postea aliquantulum vixit.

11. Die 4 Octob. 1734; in terra « Parco » dicta; Vincentia Greco, Nuntii ux.; a 3 mens. et paucis dieb. praeg.; dñus Antonius Paruta, Cistercensium Prior, fetum baptizavit, qui postea 2 horas vixit.

12. Eadem die 1734; Vincentia Vetrano, Francisci ux.; a 7 mens. praegn.; cañcus Laurentius Carlino fetum baptizavit, qui postea aliquantulum vixit.

13. Eadem die 1734; illustris dña Iosepha Grasseo, a 6 mens. praegn., mar-

---

[1] Palermo 1745, pag. 112 et ss.

chionis di Mira il Rio uxor, excisa fuit a doctore Iosepho Calafato coram chirurgo Amato; cañcus Xav. Colelli fetum baptizavit, qui postea aliquantulum vixit.

14. Eadem die 1734; Rosaria Giudice, Bartolomaei ux.; a 9 mens. praegn.: a doctore Ippolyto Pagnotta excisa; fetum baptizavit sacerdos Philippus Seggio, et postea atiquantulum vixit.

15. Die 23 Febr. 1736; Rosaria Biundo, Georgii ux.; a 9 mens. praegn.; fetum baptizavit dñus Dominicus Pupella, et paulo post obiit.

16. Die 10 Ian. 1739; Ioanna Daidone, Petri ux.; a 7 mens. praegnans: cañcus Antoninus Costarelli baptizavit fetum, qui fere 2 horas postea vixit.

17. Die 14 Sept. 1741; Agatha Lannelli, Pauli uxor; a 3 mens. praegn.: a doctore Pagnotta coram doctore Amato excisa; sac. Franc. Marano fetum baptizavit, qui uno quadr. postea vixit.

18. Die 15 Aug. 1743; Rosaria Bracco, Dominici ux.; a 8 mens. praegnans.: cañcus Turdo fetum baptizavit, qui uno quadr. postea vixit.

19. Die 3 Septemb. 1743; Anna Ribaudo, Petri ux; a 8 mens. praegnans.; in agro prope Montereale e fulgure interempta fuit et *post tres horas cum dimidio* excisa; fetus baptizatus fuit, qui post, ea fere dimid. hora vixit.

20. An. 1742: N. N. a 7 mens. praeg.; parocus Albertus Carlino infantem baptizavit, qui uno quadr. postea vixit.

21. An. . . . . N. N. a 3 mens. circiter praeg.: cañcus Pupella Domin. infantem baptizavit, qui paulo postea obiit.

Eidem Auctori chirurgus Corleonensis doctor Ioseph Cimino per epistolam 14 Nov. 1744, significavit se fecisse 13 operationes caesareas, in mortuis gravidis et semper vivos infantes invenisse, de quibus quinque casus seq. ad Cangiamila misit:

1. Die 27 Sept. 1719; Rosa Giovenco, Blasii ux.; a 7 mens. praeg.; Sac. Ioannes Gagliardo fetum baptiz.. qui uno quadr. postea vixit.

2. Die 5 Aug. 1722; Rosa Sciacchitano, Antonini ux.; a 9 mens. praegnans.: excisa *dimidia hora* post mort.; Sac. Onuphrius Cotrone puerulum baptiz., qui postea dimidia hor. vixit.

3. Die 23 Aug. 1726; Ioanna Cardella, Salvatoris ux.; a 8 mens. praegnans.: post *dimidiam hor.* a morte excisa; Sac. Ioan. Gagliardo fetum baptiz., qui postea dimidia h. vixit.

4. Die 28 Sept. 1737; Natalia Salemi. Stephani ux.: a 3 mens. praeg., statim a morte excisa; fetum baptiz. sacerdos Paulus di Luca.

5. Die 7 Maii 1741; Laurea Cammarata. Stephani ux.: quum iam unum geminum peperisset, ob defatigationem et debilitationem, ante alterius ortum, obiit: operatione peracta, fetum baptiz. Sac. Franc. Inserla et fere statim obiit.

Neque hoc satis; pleraque enim alia exempla authentica exstant, quae ostendunt fetus vitam degisse in utero, etiam *multas post horas a morte matrum*. Idem Cangiamila refert Panormi se observasse quatuor exempla infantium, qui vivi extracti fuere e ventre post 15, 21. 23, 24 horas a morte matrum: immo nosci-

mus, aliquando infantes natos ex se fuisse, etiam plurimas post horas a morte matris [1].

Ex Debreyne-Ferrand alia exempla habemus de vita fetus, *multas post horas a morte* genitricis. Paulina. principissa Schwartzenbergensis, praegnans, Parisiis obiit ob combustionem habitam in quodam convivio; postero die a morte, facta eius ventris excisione, inventus fuit in utero infans vivus; item alia mulier praegnans, post 24 horas a morte excisa, habebat filium viventem in utero [2].

427. Omnia haec exempla et plurima alia, quae adduci possent, a chirurgis ipsis allata, satis ostendunt, mortua praegnante, semper faciendam esse operationem caesaream, quocumque tempore a morte matris et a conceptione, ut infans baptizari possit; observandum tamen est, hisce in casibus, minime terendum esse tempus, sed quam cito operatio fieri oportet, ut maiore certitudine infans vivus haberi possit.

428. Doctores obstetrici hodierni haec facta minime ignorant; sed illa explicant, asserendo vel non vera esse, vel mulieres subiacuisse morti apparenti et non reali [3]. Quod hoc aliquando factum sit, possibile certo est; quod vero doctores, haec facta afferentes, semper se se fefellerint, certo admitti non potest; unus etiam tantum casus vitae fetus post mortem matris sufficeret omnibus christianis medicis, ut operationem perficerent quam cito, ad conferendum baptisma et gloriam coelestem illis puerulis procurandam. At facta certa sunt plurima.

429. Certo oportet, ante operationem, certiorem se reddere de *vera et non apparenti morte matris,* quia praegnantes facile morti apparenti subiacent; et non semel, hac re neglecta, in operatione, ob dolores, signa vitae in his mulieribus habita fuere. Necesse ergo est in hac operatione procedere velut ac si de muliere vivente ageretur.

430. Quod vero fetus possit in utero matris mortuae per aliquod tempus vivere, praeter experientiam, rationem etiam ex embryologia habemus, ut supra (238) exposuimus, cum loquebamur de circulatione fetus, quae est omnino independens a circulatione matris, cum circulatio in placenta fetali sit penitus clausa, eiusque sanguis nullo modo commisceatur cum sanguine matris.

---

[1] Cangiamila, Ibid., pag. 101 et ss.; Garnier P., *Impuissance* etc., pag. 381.

[2] Debreyne-Ferrand, *Op. cit.*, pag. 179.

[3] Morisani, *Op. cit.*, pag. 178.

431. Si vero fetus iam *mortuus* est et de eius morte *certitudo* habeatur, et, ut semper supposuimus, de nimia angustia pelvis agatur, optime locum habent, iuxta doctorem Morisani, symphyseotomia et cephalotripsia ad extrahendum fetum.

Si demum mater hanc operationem recuset, cum nulla alia, ob nimiam angustiam pelvis, possibilis evadat, omnes fere doctores docent non expectandum esse tempus mortis fetus ut extrahatur, quum pericula matris, hac causa, semper maiora fiant, sed embryotomiam operandam esse, ut mater servetur.

432. Operatio caesarea semper operatio gravissima existit, etsi usus chlorophormii dolorum gravitatem auferat; tamen in praesenti, ob perfectiorem artem chirurgicam et politiores methodos, praesertim ad vitandam setticemiam, multo minorem numerum mortium affert; et, quamvis per se, ut diximus, semper operatio gravissima sit, tamen cum quadam facilitate et valde laudabili exitu perficitur. Collata hac operatione cum embryotomia, semper prima praeferenda est huic. Multae collectiones statisticae ad hoc confectae sunt; et, etsi in his multae circumstantiae, ut natura morbi, methodi operationis, conditio valetudinis mulieris etc., e calculo arithmetico evidenter effugiant, cum notetur tantum quot mulieres mortuae et quot sanatae sunt, tamen sufficiunt ad ostendendam praeferentiam sectionis caesareae relate ad embryotomiam, tam pro matre quam pro fetu, in casibus, ubi possibilis indicatur.

433. Ita ex 100 mulieribus, quae operationem caesaream passae fuere, iuxta doctorem Kaiser servatae sunt 38, iuxta Michaelis 46, iuxta Mayer 46, iuxta Hermann 57, iuxta Indes-Lacomb 60, iuxta Villeneuve 69; videlicet ex 100 operatis, 52,6 salvatae fuerunt.

tem, iuxta Garimond, ex 100 mulieribus, eamdem operationem passis,

ab anno	1750	ad ann.	1800	servatae fuere	32
»	1801	»	1832	»	37
»	1832	»	1839	»	51
»	1839	»	1851	»	60

Cura aseptica recentiori tempore adhibita, mortalitas adhuc minuit. Nam:

ex	24	mulieribus, obierunt	4	iuxta	Saenger
»	16	»	6	»	F. A. Kehrer
»	23	»	2	»	Leopold
»	100	»	8,6 - 8,4	»	Winkel

h. e. ex 100 matribus perierunt tantum 10.

Iuxta doctorem Struzzi, ex 150 exemplis collectis ab ann. 1876 ad ann. 1884, habitae fuere tantum 49 mortes, h. e. servatae fuere mulieres 67 %.

Insuper, ex operatione caesarea, ex 100 infantibus, salvati fuerunt 65 iuxta Scanzoni, 67 iuxta Hermann et Leopold, 70 iuxta Kaiser, 72 iuxta Villeneuve, 87 iuxta Leopold.

Ex analogis statisticis, sequitur, ex operatione embryotomiae tot fere matres periisse, quot ex operatione caesarea, infantes vero, ut patet, omnes periisse [1].

Nam iuxta R. Leen in Kilian, ex 127 mulieribus, 23 mortuae sunt, et iuxta prof. Halbertsma ex 100 perierunt 39. Omnibus his statisticis operationis caesareae et embryotomiae collatis, sequitur, ex 200 mulieribus, sectionem caesaream servasse 122, embryotomiam vero tantum 72 [2].

Immo, iuxta doctorem Morisani, si medicus per examen certo cognoscat fetum esse vivum et operationem caesaream quam sollicite agat, infans salvus erit, si sat paucos casus excipias. Idem sentit et Schröder [3].

Ergo praeferenda semper est operatio caesarea embryotomiae, etiam tantum medicaliter spectata. — Ad hoc addatur, operationem caesaream minoris periculi esse mulieribus antea illam iam passis [4].

434. Silentio nunc minime praetereunda nobis videtur alia operatio, quae recentiori nostro tempore proposita et effecta fuit, et, quamvis non optimos effectus in primis attulerit, tamen ultimis hisce temporibus multo meliores attulit. De operatione ablationis uteri et ovariorum loquimur, scilicet de *amputatione utero-ovarica* per laparatomiam. Egregius doctor P. Porro, pavensis, nuper pie defunctus, primus eius utilitatem indicavit et experimenta inivit in cuniculis et postea in muliere, etsi iam antea nonnulli doctores illam indicarint. Haec operatio etiam *operatio porrensis* dicitur.

Cum operatio caesarea peragitur, saepe magna oritur haemorrhagia, in maximo discrimine vitam mulieris adducens; dum, e contra, ablatio uteri et ovariorum hoc periculum removet et matrem servat. Etiamsi vero in sectione caesarea tanta haemorrhagia non habeatur, haec operatio porrensis, iuxta Morisani, semper optima evaderet, quia 1° per excisionem uteri difficillimum est, quicumque modus suturationis adhibeatur, quod margines excisos perfecte inter se cohaereant ita, ut impossibilis fiat effusio sanguinis et puris in cavitate ventris; 2° quia pars excisi uteri ordinarie suppuratur et suppuratio potest offendere graviter partes internas abdominis aut

---

[1] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 18-21.

[2] Debreyne-Ferrand, *Op. cit.*, pag. 177.

[3] Schroeder, *Op. cit.*, pag. 365.

[4] Surbled Dr. G., *La morale dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène*, Paris 1871, pag. 258.

externas; et 3° quia in sectione caesarea gravis haemorrhagia fere cito mortem matris affert. Per ablationem vero uteri et ovariorum omnia haec incommoda auferuntur. Insuper status puerperii difficiliorem reddit bonum exitum operationis caesareae; et quamvis, post hanc, omnia optime procedant, subsequens praegnatio mulieris satis probabiliter mortem adduceret. Consequentia immediata operationis porrensis, ut patet, est impossibilitas ulterioris fecundationis, cum haec operatio non sit, nisi perfecta mulieris castratio [1].

435. De *gastrotomia* seu *laparatomia*. Haec operatio consistit in scissione abdominis, quae fit: 1° quando fetus suam evolutionem peregit in ventre, aut 2 quum, ab utero, per huius scissionem, in ventrem penetravit.

In his casibus, si extractio fieri potest per viam naturalem, haec tentanda est; aliter laparatomia adhibetur. Haec facienda est quam cito, praesertim si fetus adhuc vivit; aliter cito moritur et minima est spes eum servandi.

In casu verae praegnationis extrauterinae, si scissio cystis in fine septimi mensis locum habet, plerique doctores opinantur extrahendum esse fetum mediante laparatomia, praesertim si fetus vivus sit; tunc maior adest spes, ut nonnulla exempla docent, servandi vitam utriusque, id est matris et filii.

Cum vero praegnatio extrauterina praegnationis ordinariae tempus consequatur, quod quidem sat rarum est, tunc aperienda est cystis ad salvandam matrem et filium. Si tandem, ut in nonnullis casibus fit, vita fetus per vaginam noscatur, per huius incisionem (elitrotomia) extractionem exequendam nonnulli obstetrici censent.

436. Recentiori demum tempore, operationi caesareae nonnulli doctores subrogandam censuerunt, meliori cum effectu, *pelviotomiam* et *sectionem pubicam subperiosteam*. — *Prima* operatio consistit in hoc, quod praeter symphisim pubis (121, *b'*), secatur unum aut ambo ossa pubica et unum aut ambo ossa ischia, ut maior pateat via ad extrahendum fetum, cum talis operatio fiat in nimia angustia pelvis.

Altera vero consistit, in eodem casu, in ablatione totali vel partiali partis anterioris pelvis, intacto remanente periostio ossium pelvis, quod, postea, paullatim partem ablatam renovat. Haec operatio,

---

[1] Morisani, *Op. cit.*, pag. 198.

etsi quam maxime sit a doctore M. De Cristoforis commendata, plausum tamen non recepit doctorum, quum videatur vera commoda prae ceteris operationibus non secum ferre. Nobis tantum sufficiat indicasse [1].

---

[1] Pro his omnibus operationibus, obstetricos doctores vide superius notatos et praesertim Morisani.

CAPUT II.

DE LICEITATE PRAECEDENTIUM OPERATIONUM CHIRURGICARUM

437. Praedictis operationibus, summatim expositis, quae in praesenti passim ubique fiunt, inquirendum nunc est utrum omnes liceant, nec ne. Sequentia statui possunt:

438. 1° Omnes operationes, quae nullo modo laedunt matrem neque fetum, non modo licitae, sed praeceptae sunt, quia ad hoc tantum fiunt, ut adiuvetur opus naturae ad perficiendum partum.

439. 2° Quoad operationes, quae nomine *embryotomiae* supra recensuimus et, ut servetur mater, crudeliter et directe fetum occidunt, omnino illicitae censendae sunt. Diu de liceitate harum operationum a nonnullis Aa., etiam theologis, discussum fuit; et rationes potiores, quae adducebantur ad earum liceitatem tuendam, relationem habebant: 1° ad theoriam *iniusti*, etsi *innocentis*, aggressoris vitae matris, ex parte fetus; (hoc in casu potius dicendum esset matrem attentari vitae fetus, quia, plerumque, ad huius nativitatem opponitur nimia angustia pelvis matris); 2° ad theoriam de *collisione iurium*, cum fortius sit ius vitae maternae prae iure fetus, qui ius maternum laedit; 3° ad *prioritatem* iurium, cum ius vitae matris antiquius sit iure vitae fetus, et 4° ad gravia incommoda educationis prolis iam natae, familiae etc., secutura ex morte matris. Omnes hae rationes nihil valere, cum de directa occisione hominis agatur, apud Aa. invenies, qui ex professo hanc quaestionem tractarunt [1].

440. Insuper huic quaestioni finem dedit S. C. S. O.

---

[1] Cfr. ex. gr. Ballerini-Palmieri, *Op. cit.*, edit. 3ª, vol. II, pag. 681; Coppens Ch., *Morale et Médecine*, trad. p. I. Farges etc. Einsieldeln 1901, pag. 32 et ss., etc.

Nam, anno 1884, propositum fuit S. C. a Card. Archiepiscopo Lugdunensi dubium, an *tuto* doceri posset in scholis catholicis licitam esse operationem *craniotomiae*. Responsum fuit:

Eñe et Rñe Dñe,

Eñi PP. mecum Inquisitores Generales in Congregatione generali habita feria IV die 28 labentis Maii, ad examen revocarunt dubium ab Eminentia tua propositum « An tuto doceri possit in scholis catholicis licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, quando scilicet, ea omissa, mater et filius perituri sint, ea e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte? » Ac omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum, quae hac in re a peritis catholicis viris conscripta ac ab Eminentia tua huic Congregationi transmissa sunt, respondendum esse duxerunt « *tuto doceri non posse* ». Quam responsionem, cum SS. D. N. in audientia eiusdem feriae et diei plene confirmaverit, Eminentiae tuae communico, tuasque manus humillime deosculor, humillimus ac addictissimus servus tuus.

Romae 21 Maii 1884.

R. Card. Monaco [1].

Paullo serius (an. 1889) interrogata eadem S. C. de liceitate quarumdam operationum chirurgicarum, craniotomiae affinium, hanc resp. praebuit:

Revño Archiep. Cameracensi,

Anno 1886, Amplitudinis tuae praedecessor dubia nonnulla huic Supremae Congregationi proposuit circa liceitatem quarumdam operationum chirurgicarum craniotomiae adfinium. Quibus sedulo perpensis, Eñi ac Rñi PP. Cardinales, una mecum Inquisitores generales, feria IV, die 14 currentis mensis, respondendum mandaverunt « in scholis catholicis tuto doceri non posse licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, sicut declaratum fuit die 28 Maii 1884 et quamcumque chirurgicam operationem directe

[1] *Il Monitore ecclesiastico*, an. 1884, pag. 164.

occisivam fetus vel matris gestantis ». Idque notum facio Amplitudini tuae ut significe Professoribus Facultatis medicae Universitatis catholicae Insulensis. Interim etc.

Romae die 14 Augusti 1889.

R. Card. Monaco.

Ex his responsionibus declarantur illicitae tantum operationes chirurgicae craniotomiae adfines, quae sunt omnes, quas superius nomine *embryotomiae* recensuimus, quia evidenter sunt directe occisivae fetus.

441. 3° Omnes operationes, quae fiunt in organis matris, quin aliquid detrimenti fetus capiat, cum iustae adsint rationes iudicio medico statuendae, licitae censendae sunt, quia periculum mortis matris plerumque sat remotum est et nullo alio modo partus obtineri potest.

442. 4° Quoad vero *operationem porrensem*, hoc notamus, eam consistere in vera mutilatione partis corporis, et haec, ut omnes conveniunt theologi, licita tunc est tantum, cum agitur de servanda vita, quae aliter servari non potest. Hinc, cum quaestio sit de impedienda morte matris, sive ob haemorrhagiam ex operatione caesarea provenientem, sive ob aliam quamcumque causam, cuius medicus iudex est, ex qua grave imminet periculum matris, quod aliter removeri nequit, operatio porrensis nullo modo illicita dicenda. Ad hanc tamen exequendam consensus mulieris, quae domina est sui corporis, necessario requiritur. Ratio est, quia aliter vita servari non potest.

Si vero haec operatio fiat ad vitandum periculum novae praegnationis vel novae operationis caesareae, si graviditas sequatur, sine qua partus obtineri nequit, non videtur licere; quia 1° dubia est nova praegnatio; 2° operatio caesarea non adeo gravis in praesenti existit, ut gravissimum periculum vitae matri immineat, eaque multos minoris periculi evadit, cum mulier iam antea eam passa sit; 3° non videtur, per se, praefata ratio sufficere, ut mulier amittat hoc modo suum sexum, cum haec operatio tam gravis sit, quam operatio caesarea [1]. Eo vel magis quia, ut omnes theologi conveniunt, mulier, his constituta conditionibus, si, ex propria experientia

[1] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 27.

aut iudicio medico, prudenter timeat novam praegnationem, ex qua sequatur grave periculum mortis tempore partus, a reddendo debito excusatur [1].

Si demum operatio porrensis petatur a mulieribus nuptis vel innuptis, ut facilius possint de copula delectari vel vitae coniugalis incommoda vitare, per se patet, omnino illicitam evadere. — Notetur insuper venerea desideria, post operationem, eadem vi persistere, sicut antea [2].

443. 5° Quoad *embryotomiam* notandum est, pro praxi, fere omnibus chirurgis suasum esse vera obligatione se teneri ad dictas operationes agendas, ut mater salvetur; immo in nonnullis regionibus medici lege obligantur ad has peragendas; hinc quaeri potest quomodo Confessarius vel Parochus, ad aegrotanti adsistendum vocatus in hisce operationibus, se se gerere debeat. — Respondendum nobis videtur, valde prudenter debere confessarium et parochum procedere in his circumstantiis et ita se gerere, ut nihil indicent de earum illiceitate, quum praeviderint monitionem ipsam, in illis adiunctis, nihil proficere, ut *ordinarius* et *generalis* est casus; alioquin mulier, ad operationem inducta a viro vel parentibus vel medico ut vita sibi salvetur, nimiis anxietatibus angeretur; et, amissa bona fide, in qua versatur, si forte per operationem succumbat, magno periculo vitam aeternam amittendi exponeretur. Sacerdos igitur disponat poenitentem, ut maximam fiduciam in Deum, in Virginem immaculatam et Sanctos habeat, confessionem excipiat, ut, si forte per operationem pereat, vitam aeternam acquirat, et, quantum potest, satagat ut fetui baptisma conferatur. Certo nimis dolorosum est sacerdoti huic opeperationi occisionis fetus assistere et membratim extractum aspicere; at prudentia et charitas christiana hortantur ad silentium, ne peccatum tantum materiale ob bonam fidem, in qua versantur aegrotans et aliquando etiam medicus, formale evadat; in conspectu Dei enim non peccata materialia ponderantur, sed tantum peccata formalia. Oportet etiam prae oculis habere, fere omnes medicos nostri temporis parvi aut nihili facere aut etiam spernere doctrinam moralem catholicam aut perfecte ignorare, cum doctrinae materiali-

---

[1] Marc Clem., *Inst. moral. Alphonsianae*, ed. 7ª, Romae, vol. II. n. 2108.

[2] Surbled, *La morale dans ses rapports avec la Medec. et l' hygiène*, Paris 1891 pag. 78.

sticae usque ad medullam ossium eos invaserint, et ob id etiam difficilius erit aliquid boni sperare ex manifestatione illiceitatis illarum operationum.

444. Huc redit quaesitum sequens S. O.:

Beatissime Pater,

Stephanus Maria Alphonsus Sonnois, Archiepiscopus Cameracensis, ad pedes Sanctitatis tuae devotissime provolutus, quae sequuntur, humiliter exponit.

Titius medicus cum ad praegnantem graviter decumbentem vocabatur, passim animadvertebat lethalis morbi causam aliam non subesse praeter ipsam praegnationem, hoc est fetus in utero praesentiam. Una igitur, ut matrem a certa atque imminenti morte salvaret, praesto ipsi erat via, procurandi scilicet abortum seu fetus eiectionem. Viam hanc consueto ipse inibat, adhibitis tamen mediis et operationibus, per se atque immediate non quidem ad id tendentibus ut in materno sinu fetum occiderent, sed solummodo ut vivus, si fieri posset, ad lucem ederetur, quamvis proxime moriturus, utpote qui immaturus omnino adhuc esset.

Iam vero lectis quae die 19 Aug. 1889 S. Sedes ad Cameracensem Archiepiscopum rescripsit « tuto doceri non posse licitam esse quamcumque operationem directe occisivam fetus, etiamsi hoc necessarium foret ad matrem salvandam » dubius haeret Titius circa liceitatem operationum chirurgicarum, quibus non raro ipse abortum hucusque procurabat, ut praegnantes graviter aegrotantes salvaret.

Quare ut conscientiae suae consulat, supplex Titius petit utrum enuntiatas operationes in repetitis dictis circumstantiis instaurare tuto possit.

S. C. respondit:

Feria IV die 21 Iulii 1895.

In Congreg. generali S. R. et Univ. Inquisitionis, proposita suprascripta instantia, Emi ac Rmi Domini Cardinales, in rebus fidei et morum Inquisitores generales, praehabito revd. Consultorum voto, respondendum decreverunt « *negative* » iuxta alia decreta, diei scilicet 28 Maii 1884 et 19 Augusti 1888.

Sequenti vero feria V die 25 Iulii, in audientia R. P. D. Adsessori impertita, SSmus D. N. relatam Sibi Em. Patrum resolutionem adprobavit.

L. ✠ S.

I. Mancini Can. Magnoni
S. R. et Univ. Inquisitionis Not. [1].

415. Cum Rituale Roman. dicat: « Si mater praegnans mortua fuerit, fetus quam primum caute extrahatur, ac, si vivus fuerit, baptizetur », quaestio hic fieri potest, utrum Sacerdos vel Parochus, deficiente medico vel chirurgo aut alia habili persona, possit ac teneatur ad operationem caesaream faciendam, ut puer baptizetur, cum notum sit, iuxta superius dicta, non esse cunctandum in hac operatione, cum fetus, mortua matre, non multo post, ordinario, certo moriatur.

R. Non omnes conveniunt theologi; nonnulli enim affirmantem sententiam tenent, ex quibus Dens, Cangiamila, Dinounart, Debreyne [2], Lequeux, Card. Deschamps, Craisson [3]; negantem vero plurimi alii, ex quibus Capellmann [4], Card. Gousset (qui indicat hanc operationem minime convenire characteri Sacerdotis, qui, ex hac, molestias a magistratibus recipere posset), Lupellus (asserens deficillimam esse operationem, minime statui ecclesiastico decentem, sensui populorum et legibus civilibus repugnantem) et nonnulli alii.

De hac quaestione recens et vetus decretum habemus S. O. diei 13 Decemb. 1899 et 15 Feb. 1780. Primum decretum fuit ad casum sequentem:

« Beatissime Pater,

Episcopus N. N. ad V. S. pedes provolutus, quae sequuntur, humiliter exponit:

Parochus N. N. in hac dioecesi, iuxta Ritualis Romani praescripta, iuxta etiam preces mulieris praegnantis et graviter decum-

---

[1] *Analecta ecclesiastica*, Dec. 1895, fasc. 12, pag. 483.

[2] Debreyne, *Op. cit.*, pag. 195, et *Maechialogie*, edit. 2a, 1847, pag. 476.

[3] Craisson, *Notiones theologicae circa sextum decalogi praec.*, 2a edit., Parisiis 1888, pag. 205.

[4] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 29.

bentis, super hac muliere, iam certo mortua, curavit ut operatio caesarea fieret: medicus absens erat, et operatio facta fuit ab alia persona capaci. Puer vivus erat, et fuit baptizatus.

Propter hoc factum, praefatus Parochus fuit accusatus, sed a iudicibus civilibus, sine ulla condemnatione, remissus. Postea autem et propter idem factum, dictus parochus a gubernio stipendio annuo fuit privatus.

Quaeritur ergo:

1° Parochus N. N. egit-ne recte, curando ut fieret operatio, medico deficiente, ab alia persona capaci, morte quidem certa, sed non legaliter cognita? 2° Parochus vel alius sacerdos debet-ne curare, ut, in iisdem circumstantiis, operatio, de qua agitur, fiat, etiam quando sequi debet privatio annui stipendii?

Et Deus etc.

Responsum fuit:

Feria IV, die 13 Decemb. 1899.

« In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres respondendum mandarunt:

Detur Decretum S. O. diei 15 Feb. 1780 ad Vicarium Apost. Sutchuen.

Porro citatum Decretum sic habet:

« Ubi de baptizandis parvulis Rit. Romanum hoc praescribit, scilicet: *Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quam primum caute extrahatur*, huc usque inter christianos casus occurrit, sed regula praescripta nunquam observata est, neque unquam promulgata. Rationes sunt: summa repugnantia, quam Sinenses habent ad eiusmodi sectionem, absoluta apud ipsos artis anatomicae imperitia, gravissimum periculum atroces calumnias contra religionem excitandi, gravesque persecutiones sustinendi cum discrimine salutis et vitae, saltem pro iis, qui sectionem tentare auderent, si factum ad notitiam gentilium perveniret, quod admodum facile est. Causae praedictae possunt-ne silentium excusare?

R. Etsi caute prudenterque agendum sit, ne cum paucos quaerimus, multos amittamus, agendum esse tamen, et sectionis a Rituali praescriptae notitia ingerenda, ne oblivisci videamur eos, quos abundantiori charitate manifestum est indigere. Erit perinde e mis-

sionariorum debito, paullatim et opportune commonere Sutchuenses de miserrima parvulorum perditione in utero matrum decedentium, quibus opitulari nihilominus, quoad humanae possunt vires, postulat christiana charitas, postulat ecclesiastica sollicitudo. Neque improbum videri debere Sutchuensibus aut ullis fidelibus secare matrem mortuam, cum et Dominicum latus dissectum sit pro nostra redemptione. Illud potius rationi absonum atque ab omni pietate remotum, pro inani quadam integritate pudoreque servando defunctae genitrici, viventem natum aeternae morti addicere. Certe non modestia, non virtus, unde tantum profluit malum. Haec autem fetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris, quamvis patefacienda, ut dicimus, ac persuadenda sit, expresse tamen cavet prohibetque Sanctitas Sua, ne missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda. Sat proinde missionariis fuerit illius notitiam edidisse, curasseque ut eius perficiendae rationem perdiscant, qui chirurgicis intendunt laici homines, tum vero, cum casus tulerit, eiusdemque praxim ipsorum oneri ac muneri reliquisse » [1].

Sequenti vero feria IV, die 15 eiusdem mensis et anni, per facultates Eño ac Rño Dño Cardinali S. Officii concessas, SSño̱us D. N. Leo, div. prov. Pp. XIII, sententiam Eñorum et Rñorum Patrum adprobavit ».

I. Can. Mancini
S. R. et U. Inquisit. Notarius.

Bucceroni de hac re, habet: « Quilibet sane, *mortua matre*, si foetus adhuc vivat, idque constet, procurare debet ut baptizetur. Quare, si morali certitudine in ipso utero baptizari non potest, aperiendus matris uterus est a peritis vel etiam ab aliis. Sacerdotes vero, regulariter saltem, hac obligatione non tenentur propter gravissima ex parte civilis auctoritatis incommoda [2] et propter scandalum, quod in populo haberetur. Hinc ex decreto S. O. 15 Feb. 1760 missionariis in Sina prohibitio hac in re facta est » [3].

---

[1] *Collectanea S. C. de Propag. Fide*, Romae 1893, n. 573, pag. 235.

[2] Incommoda ex parte civilis auctoritatis in hoc sunt, quod in hac operatione quemdam *dolum* quis videre posset ob *absentiam legalis testationis* mortis realis, a medico necroscopo emittendae.

[3] Bucceroni, *Institutiones Theol. Mor.*, edit. 4ª, vol. II, n. 472, nota. — Cfr. et Genicot, *Op. cit.*, vol. II, n. 145.

446. Pro omnibus vero non peritis, qui, in casu huius necessitatis, sectionis caesareae operam dant, ad salvandum aeterne infantulum, cavere debent ne mors matris sit tantum apparens, et noscere quomodo operatio incisionis facienda sit.

Quoad *primum* cfr. alterum volumen, in quo agimus de signis mortis.

Quoad *alterum* (h. e. methodum incisionis) ita agitur: mediante *bisturi* aut novacula inciditur pellis superficialis abdominis, incipiendo aliquantulum subtus umbilicum (2 digiti) usque ad symphisim pubis; postea perforatur peritoneum in medio incisionis; hic introducitur digitus index sinister, et, hoc duce, ne intestina quoque laedantur, peritoneum scinditur cum eodem instrumento, manu dextera; tunc matrix apparet; haec perforatur et puer extrahitur, scissis quoque membranis fetalibus. Si vivit, statim baptizatur et, secato ac ligato funiculo umbilicari, nutrici traditur lavandus et custodiendus. Si vero signa vitae manifeste non praebet, sub conditione « si vivis » baptizetur. Si demum statim moritur, baptizatus in utero reponitur, cum matre sepeliendus.

CAPUT III.

DE PARTU PRAEMATURO ARTIFICIALI

447. Praemittimus seq. quaesitum et relativum responsum S. O.

Beatissime Pater

Episcopus Sinaloensis ad pedes S. V. provolutus, humiliter petit resolutionem insequentium dubiorum:

1° Erit-ne licita partus acceleratio, quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet foetus egressio suo naturali tempore?

2° Et, si mulieris arctitudo talis sit, ut neque partus praematurus possibilis censeatur, licebitne abortum provocare aut caesaream, suo tempore, perficere operationem?

3° Est-ne licita laparatomia, quando agitur de praegnatione extrauterina seu de ectopicis conceptibus?

Responsum fuit:

Feria IV, die 4 Maii 1898.

« In Congregatione Generali habita ab Emis et Rmis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres rescribendum censuerunt:

Ad I. Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur iustis de causis et eo tempore ac modis, quibus, ex ordinarie contingentibus, matris et foetus vitae consulatur.

Ad II. Quoad primam partem, negative, iuxta decretum fer. IV, 24 iulii 1895 de abortus illiceitate. Ad secundum vero quod spectat, nihil obstare quominus mulier, de qua agitur, caesareae operationi suo tempore subiiciatur.

Ad III. Necessitate cogente, licitam esse laparatomiam ad ex-

trahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et foetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur.

« In sequenti vero feria VI, die 6 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de omnibus SS. D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SSmus responsiones EE. ac RR. Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI
S. R. et U. Inquis. Notarius [1].

448. Cum procuratio partus praematuri finem habeat consulendi vitae matris et fetus, eo tempore, quo fetus extra uterum vivere possit, etiamsi speciali cura et studio opus habeat. cum aliud medium non sit utrosque servandi, nulla ratio afferri potest, quae dictam accelerationem partus prohibeat; immo tunc ratio vitae matris servandae et fetus dictam procurationem omnino postulat. Notetur insuper, etsi circa septimum vel octavum mensem fetus possit extra uterum vivere, tamen etiam sexto mense natos nonnullos vixisse; quod prae oculis habendum est pro variis casibus, qui in praxi haberi possunt. Hinc:

1° Cum iusta adsit causa (ex. gr. in nonnullis angustiis pelvis, tempore gravis morbi, cum fetus sit hydrocephalus etc.), procuratio partus praematuri circa septimum vel octavum mensem, omnino est licita, quia hoc tantum modo provideri potest vitae matris et fetus, et diuturnior gestatio exponeret utrosque maiori periculo.

2° Si valde incertum sit an fetus possit extra uterum vivere et nullum grave damnum matri eveniat, expectandum est tempus, quo morali certitudine constet fetum posse vivere post accelerationem partus, quia, cum nulla gravis necessitas urgeat in damnum matris, provideri debet, meliori modo quo potest, vitae infantis.

3° Si vero mater, graviter aegrotans, expectare non posset tempus certum, quo vivere possit fetus extra eius sinum, absque gravi damno propriae vitae, tum quia arcta est, absolute vel relative, ad talem fetum, tum quia operationem caesaream aut alias operationes postea faciendas, recuset, et fetus sit etiam sexto mense, in quo etiam infima probabilitas est, quod possit vivere, procuratio partus praematuri item licita est, quia, cum non sit plane impossibile ut et praefato tempore fetus vivere possit, nullus alius modus adest providendi

---

[1] Il *Monitore Ecclesiastico*, an. 23, fasc. 3°. pag. 52.

vitae et matris et fetus; et ad avertendum periculum matris, graviter aegrotantis, licet exponere fetum alicui periculo vel damno.

4° Si, in casu matris graviter aegrotantis, praevideatur aliquam spem esse, accelerato partu, posse ali infantem ope artificialis incubationis, quae in praesenti in praxim deducitur, licitus item censendus partus praematurus ob easdem rationes casus praecedentis, dummodo, in utroque casu, serio et opportune, quantum fieri potest, provideatur vitae matris et fetus [1].

5° Partus praematurus obtineri debet etiam in casu tuberculosis seu phthysis valde gravis pulmonum matris, quum scilicet mater maximis doloribus cruciatur et periculum grave adest eius mortis propriae et fetus, si expectatur finis ordinarius praegnationis; hic partus enim tendit ad minuendos dolores matris et servandum fetum [2].

---

[1] Pascaud. V. *La couveuse artificielle chez les nouveau-nés.* Paris 1899.

[2] Schauta, *Op. cit.*, p. 513.

CAPUT IV.

DE LICEITATE ABORTUS

449. Omittimus casum abortus, fetu mortuo, quia tunc extrahere per abortum fetum, omnino licitum et necessarium est ad praecavendum grave damnum vitae matris. Hic quaestio est de abortu, fetu vivente.

450. Principia generalia relativa ad abortum sunt sequentia:

1° Numquam licet *directe* procurare abortum, quia tunc agitur de vero et voluntario homicidio, quod numquam licet. Hoc valet quocumque tempore a conceptione, iuxta superius dicta de tempore animationis fetus.

2° Non est illicitum *indirecte permittere* abortum, cum scilicet gravis et iusta adsit ratio ponendi causam, ex qua bonus effectus volitus sequatur, etsi ex ipsa causa aliquando abortus sequatur, ut effectus malus, quia effectus bonus directe intenditur, malus vero tantum permittitur. Conditiones vero, quae requiruntur, iuxta Gury, sunt: 1° quod agatur de morbo matris laethali; 2° quod remedia adhibita sint directa per se ad avertendum periculum matris; 3° quod nulla sit spes procurandi vitam aeternam fetui per Baptisma, quae spes abest, cum certo constet ipsum fetum, moriente matre, simul vel ante moriturum [1]. Insuper necessario requiritur ut nullus alius modus in praesenti adsit ad servandam matrem.

451. His praemissis, sequitur:

1° Si matri, gravi morbo laboranti, aliquod remedium subministrandum sit, ex quo periculum ab ipsa directe removeatur et abor-

---

[1] Gury-Ballerini, *Op cit.*, vol. I, n. 402.

tus indirecte sequatur, illo uti, nullo modo est illicitum; patet ex dictis.

2° Si remedium subministrandum *necessarium* est ad servandam vitam matris, etsi *probabiliter* inducat abortum, illicitum non est illud praebere, quia abortus, si sequitur, est tantum per accidens.

3° Si periculum abortus remotum est, et remedium, etsi non necessarium, tamen valde utile est matris vitae, hoc uti illicitum non est, quia viri prudentis est non amittere optimum exitum ob periculum leve.

4° Si mulier laethali morbo laborat vel incessanti vomitu, qui casus frequens est, a quo liberari non potest, nisi procurando abortu, hunc inducere illicitum est, quia non sunt facienda mala ut veniant bona et bonus effectus proveniret ex causa mala, quod numquam licet, nec finis potest reddere licita media adhibita.

452. Duplicem quaestionem hic pertractare necesse est, quae aliquando in praxi occurit.

1° Agitur de muliere praegnante, in qua necesse est reponere uterum gravidum, coarctatum in pelvi minori scilicet coarctatum in parte eius inferiori, mediante punctiones membranarum fetum involventium, ex quo fluit liquidum amnioticum et fit abortus, qui ceterum locum postea haberet; quod quidem evenit in quibusdam anomaliis positionis uteri, nempe in retroflexione, retroversione, descensu et prolapsu. His neglectis, mater simul cum fetu certo peribit, quia periculum est immediatum et gravissimum;

2° Agitur de amputatione uteri gravidi, cum, tempore praegnationis, in texto musculari uteri generantur nonnulli tumores, qui aliquando adeo crescunt, ut proximum inducant periculum vitae matris, nisi auferantur; ablatio vero necessario postulat, ut nequeat effici, nisi auferatur totus uterus, per laparatomiam. Haec operatio excisionis uteri infecti ac depravati statim removet a matre periculum mortis et causat mortem ovi seu abortum. Sunt-ne hae operationes licitae? — Ratio dubitandi est, quia hisce casibus dici posset abortum esse directum, quod numquam licet. Tota quaestio igitur in hoc vertitur, ut rite explicetur, quando dici debeat aliquam actionem *directe* occisivam fetus. Dicitur quaelibet actio *directe* occisiva fetus, cum ipsa per se, immediate et positive tendit ad interimendum fetum, scilicet eius finis directus et proximus est occisio fetus; tales sunt ex. gr. operationes omnes, quas, supra, embryotomiae nomine recensuimus, quae immediate et directe nullum alium effectum habent

nisi mortem fetus et ideo illicitae sunt; *indirecte* vero occisivae fetus sunt illae actiones, quae nonnisi negative et mediate tendunt ad occisionem fetus per abortum, qualis, ex. gr., esset venae sectio, quae potest esse causa mortis et abortus, subtrahendo elementa nutritiva fetus, vel illae, in quibus adhibetur « *medium* vel medicamentum, ex quo *aeque* habeatur sanitas matris et fetus expulsio [1], vel « quando remedium aliquod, reipsa unaque et eadem efficacia, utrumque effectum simul producere potest, sanandi matrem et prolem occidendi, sive primario sanitas matris et consequenter abortus sequatur, sive hi effectus sint sibi invicem paralleli, unus non assumitur necessario *re* aut *intentione* tamquam medium ad alium procurandum. Ergo adest tunc casus actionis bonae aut indifferentis, ex qua sequitur duplex effectus, unus bonus, alter vero malus, quam fas est ponere, si finis agentis sit honestus, pravum scilicet effectum non intendat, et adsit causa proportionate gravis » [2].

Hinc applicando praefata principia propositis casibus, censemus provocationem abortus per punctionem membranarum et effluxum amniotici liquidi et excisionem uteri infecti *(myoma)* gravidi, ex quibus removetur periculum immediatum mortis matris, esse *indirectam;* nam, periculum matris non fit, in utroque casu, ex praesentia embryonis, seu ex praegnatione physiologica; sed in *primo* casu ex ampliato mechanice utero; emissio liquidi amniotici reducit statim volumen uteri et suo loco reponit, cuius *immediatus* effectus est aversio periculi mortis matris et, post haec, sequitur abortus, postea certo secuturus; emissio liquidi, hinc, nonnisi negative et indirecte agit in fetu ad abortum; quod hic quaeritur et fit non est expulsio fetus ad removendum periculum, sed reductio et diminutio voluminis uteri, quod obtinetur, per se, per expulsionem liquidi amniotici et immediate sequitur et intenditur, dum abortus, ex hoc sequens, tantum permittitur. In *altero* casu item non intenditur nec agitur ut fetus occidatur per abortum, qui non est causa periculi matris, sed tantum directe intenditur et peragitur ablatio tumoris uterini, qui proximum periculum vitae matris induxit; ablatio haec, statim et per se, repellit dictum periculum, etsi, eadem operatione abortus necessario sequatur; scilicet occurrit casus, in quo aeque

---

[1] Bucceroni, *Commentarii theologico-morales*, Romae 1890, pag. 47, 3°.

[2] Idem, *Institut. theol. moral.*, edit 4ª, vol. I, n. 744.

parallelus duplex effectus habetur, unus bonus, alter malus; primus directe intenditur, alter vero tantum permittitur.

His admissis, videamus an aliae conditiones adsint, quae cohonestare valeant has operationes. Conditiones supra expositae adsunt omnes; nam:

1° Agitur de morbo laethali matris, ut casus indicant;

2° Operatio adhibita directe et per se tendit ad propulsandum periculum matris, quod plene et immediate habetur per punctionem membranarum et emissionem liquidi amniotici in primo casu et per excisionem uteri in altero, minime per expulsionem fetus, quae indirecte sequitur; aliis verbis bonum non provenit ex expulsione fetus, quod non liceret, sed, directe et immediate, ex fluxu amniotici liquidi, qui minuit mechanicam amplitudinem uteri, et ex excisione uteri;

3° Nulla adest spes baptizandi fetum, cum, moriente matre, etiam ovum moriatur.

Adde insuper nullum alium modum esse, quo mater liberari possit a morte immediata.

His positis, certo putamus, in casibus supradictis, licere avertere periculum immediatum mortis matris per hunc abortum *indirectum*, et *excisionem uteri* [1].

Ceterum theologi nonnulli non conveniunt, saltem in primo casu, in hac solutione, cum iudicent et in hoc casu agi de directa provocatione abortus; at, ut bene notat doctor Capellmann, donec praedictae rationes non evertantur et solide demonstretur omnes conditiones non impleri, quae, iuxta theologorum communem doctrinam, reddunt licitam hanc membranarum punctionem et ideo indirectum abortum, et excisionem uteri, praefatam sententiam tuto defendi posse censemus.

453. Maximi momenti et non parvae difficultatis sunt quaestiones, quae referuntur ad praegnationes *extrauterinas* (244 et ss.), quarum praegnationum consectarium est semper mors fetus, cum nasci nequeat, et saepe etiam mors matris. Tractatus de hisce praegnationibus ad varios casus reduci potest:

1° Si mulier prae se ferat tumorem internum, cuius natura nosci non potest, quique potest esse verus tumor vel fetus ecto-

---

[1] Cfr. et Capellmann, *Op. cit.*, edit. 1ª, latinar. 5, pag. 17.

picus, opus est in primis medicum nihil agere et expectare tempus, quo facilius diagnosis fieri queat de tumore vel de fetu extrauterino. Quod si res est de fetu, necesse item est expectare tempus ad operationem laparatomiae agendam, quo fetus sit viabilis, quod accidit circa septimum vel octavum mensem; quia aliter, sine causa necessaria, operatio tenderet ad damnum ovi.

2° Si, expectando tempus, quo fetus sit viabilis, si existit, et praesentia fetus nondum certo noscatur per pulsationes cordis, rationabiliter timeatur grave periculum vitae matris, ob retardatam operationem, tunc licitum est agere laparatomiam ad salvandam matrem. Nam, hoc in casu, probabilis seu dubia est praesentia fetus, cum tumor possit non esse cystis cum fetu et fere certum est periculum matris; hinc conditiones requisitae ad licite operandum omnes adsunt; nam: 1° non intenditur mors fetus, si existit, cum periculum proveniat ex praesentia tumoris, qui aliam causam habere potest; 2° *directe* quaeritur avertere periculum a matre, quod obtinetur *immediate* per excisionem tumoris; 3° cum existentia fetus sit mere probabilis, eius ius ad vitam est item mere probabile; ius vero matris ad vitam est certum, quod ipsa servare intendit; ius certum praevalere debet iuri tantum probabili; 4° aversio periculi a matre non fit per occisionem fetus, si existit, quod numquam licet, sed tantum et quidem immediate, per excisionem tumoris, quam sequitur postea mors fetus, si existit; 5° aliud medium non adest ad salvandam matrem. Eo magis hoc licet, quia in praegnationibus ectopicis, ordinarie fetus moritur multo prius quam propriam evolutionem assequatur aut non est capax vivendi, cum cystis rumpitur. Attamen curandum est, si fetus existit et vivit, ut statim baptizetur.

3° Si, ut in casu mox exposito probabilis existentiae fetus, loco excidendi tumorem, ageretur in cystim per fluidum electricum vel iniectiones morphinicas, ut plures doctores agunt in praesenti, non liceret, quia, hisce operationibus fetus exponeretur directe et per se ad mortem *certam* et nullum levamen praeberetur matri, si res esset de tumore; si vero res esset de fetu in cysti, salus matris proveniret ex directa fetus occisione; fluidum enim electricum et iniectio morphinica finem habent tantum, in casu, interimendi fetum.

454. Si vero praesentia fetus sit certa et in proximo sit ut cystis rumpatur, adducendo mortem certam matris et fetus, disputatur an laparatomia tunc sit licita ad salvandam matrem, cum fetus certo pereat.

Apud theologos haec quaestio non invenitur; apud medicos vero catholicos, qui scientia medica et morali callent, quique dictam quaestionem pertractarunt, non eadem occurrit sententia; nonnulli enim tuentur hoc in casu licitam esse operationem tumoris, dummodo baptizetur infans, quia mors fetus tantum permittitur et indirecte quaeritur; alii vero tenent hanc fetus mortem esse directe volitam, sed, cum infans evolvatur loco non naturali, considerari potest ut iniustus aggressor vitae matris; alii demum talem operationem omnino damnandam censent.

In hac quaestione solvenda oportet distinguere, an scilicet 1° adsit etiam levissima spes servandi fetum, quia viabilis vel probabiliter viabilis est, an 2° certo non sit viabilis, puta secundo vel tertio mense suae evolutionis. Hinc, applicando praecedentia principia, habemus:

Si *primus casus* locum habet, censemus licitam omnino esse operationem excisionis tumoris; adsunt enim conditiones omnes, quae illam cohonestant seu licitam reddunt: nam 1° agitur de morbo laethali, qui aliter removeri non potest; 2° operatio adhibita excisionis tumoris est medium, ex quo *aeque* paralleliter sequitur sanitas matris et expulsio fetus; hoc medium enim, immediate et per se, repellit periculum mortis a matre, quod directe quaeritur et habetur, et dein causat eiectionem fetus, qui ex hoc *potest* perire (*certo* una cum matre postea moriturus), quae mors, si occurrit, tantum indirecte venit et non intenditur, ut patet; 3° nulla adest, aliter, spes baptizandi fetum; et 4° bonum, quod obtinetur (vita matris) maioris momenti est, quam mors tantum possibilis fetus, certo una cum matre alias morituri.

Quoad vero *alterum casum* non viabilitatis fetus, habemus responsionem S. O. ad sequens quaesitum: « Utrum aliquando liceat sinu matris extrahere fetus ectopicos (extrauterinos) adhuc immaturos nondum exacto sexto mense post conceptionem? — R. Negative, iuxta decretum 4 Maii 1898, vi cuius fetus et matris vitae quantum fieri potest serio et opportune providendum est; quoad vero tempus iuxta idem decretum orator meminerit nullam partus accelerationem licitam esse, nisi perficiatur tempore ac modis, quibus ex ordinarie contingentibus matris ac fetus vitae consulatur ». 5 Maii 1902.

CAPUT V.

DE ALCOOLISMO

455. Quadraginta circiter abhinc annos, novum vulnus exortum est, maximi detrimenti homini ac civili societati, scilicet *potionum alcoolicarum*. Hoc nomine intelligimus omnes illas substantias liquidas alcool continentes, quocumque nomine in commercio prostent, uti sunt *vinum, sicera, wermuth, bitter, aquavite, benedictine, trappistine, curaçao, chartreuse, anisetta, absynthium* etc. Omnes hi liquores, cum satis moderate sumuntur et horum maior pars nonnisi necessitate, minime valetudini nocent; cum vero absque moderata mensura consumuntur, tunc abusus obtinet pessima consectaria secum ferens.

456. Damnum, quod valetudini ferre potest alcool, non pendet tantum a quantitate, sed etiam ab eius qualitate et individui quadam praedispositione ad abusum contrahendum. Non semper enim alcool pro liquoribus conficiendis purus, ut dicitur, est, cum saepe plures alii alcool commisceantur inferioris qualitatis et etiam perniciosi, ut sunt alcool propylicus, amylicus, metylicus etc. Alcool vini *alcool etylicus* dicitur. Iuxta doctorem Hermann, omnes potiones alcoolicae, etiamsi multum dilutae, quam maxime nocent, si stomachus vacuus sit; minime vero, si stomachus iam cibos continet; in hoc casu digestionem faciliorem reddunt, excitant iecur et glandulam pancreaticam, quo fit ut facilior evadat etiam digestio intestinalis; cum vero alcool adipata alimenta solvat, maior obtinetur etiam adipum emulsio ac proinde eorum absorptio. Alcool ita in sanguinis circulum immissus, organa excitat, et dein partim per pulmones et renes praecipue emittitur, partim in corpore ipso causa respirationis comburitur, calorem augendo.

457. Quaenam vero sit quantitas minima alcool, quae in corpus introduci potest absque valetudinis detrimento, determinari nequit, cum hoc pendeat a pluribus conditionibus alcool ipsius et individui, et cum pessimi eius effectus non statim observentur, si excipias casus, in quibus magna quantitas alcool sumpta fuit, quae, paucas post horas, mortem afferre valuit.

458. Multae sunt *causae,* ob quas abusus tam facile oritur. In primis notamus nonnullas praedispositiones facillime abusum inducere; tales sunt praecipue, quae observantur in nevrasthenicis et filiis natis ex patribus, potionibus alcoolicis satis deditis, quibus tamen abusus peiores producit effectus. Consideranda dein est ratio actualis societatis quoad operarios, a quibus ordinarie quaeritur quantitas laboris, qui eorum vires excedit; quo fit, ut hi, ad servandum laborem, ex quo eorum filiorumque vita pendet, ad potiones alcoolicas manus et os porrigant, quia excitatio sequens maiorem laborem conficere permittit. Ab usu vero ad abusum brevis gradus intercedit, qui facillime superatur, maximam miseriam adducendo. Item immodicum desiderium divitias et vitae commoda augendi plurimos impellit ad alcoolicas potiones, ut maior excitetur vis et activitas in explendis negotiis, ex quibus maius lucrum retrahere possunt. Saepe otium inducit abusum alcoolicum. Aliquando etiam accidit, ut nonnulli morem habeant, praesertim intuitu domesticae parsimoniae, semel in die cibos sumendi; et tunc, sive ob difficiles digestiones productas ex nimia copia cibi, sive ob vacuitatem stomachi, peracta cito digestione, si cibus non sufficiens fuerit, utuntur potionibus alcoolicis, quae facillime abusum ferunt. Nonnullae professiones etiam modo speciali alcoolismum fovent, ita ex. gr. notatur frequentissimus apud illos, qui inserviunt in locis, in quibus paratur faba arabica (coffaei potio), vinum vendentes vel conficientes, liquores praeparantes, in opificiis distillatoriis operam navantes, excusores, machinatores, muliones, in minis laborantes, ferrea cultra et limas conficientes, gerulos, et, brevi, apud omnes, qui mechanicis et laboriosis operibus incumbunt. Etiam inter optimae conditionis homines abusus frequens est, causa fruendi momentanea illa excitatione, quam secum fert alcoolica potio.

459. Abusus alcoolicorum, ob exaltationem organorum corporis et praesertim systematis nervei, potest brevi tempore totam physicam ac moralem hominis naturam profunde turbare ac pervertere. Quum enim abusus semel contractus fuit, ratio graviter turbatur,

corpus, quoad valetudinem, maxime patitur, obnubilantur reflexio et conscientia, deest in passionibus dominium et paullatim sensus rectitudinis et moralitatis deficiunt; quo fit, ut homo, cum hac passione dominatus sit, cuiuscumque criminis capax sit. Tabulae statisticae, hisce nostris temporibus confectae, hoc lucidissime demonstrant.

460. Effectus pessimi ex alcool individuos ipsos alcoolicos et civilem societatem afficiunt. Demonstratum iam est, phthysim seu tubercolosim pulmonarem, effectum esse, pro plurimis, abusus alcoolicorum; praesertim enim hic morbus notatur in personis, superius citatis, quae, aliqua ratione, pravum habitum contraxerunt. Morbi ex infectione alcoolicos potatores, ob minutam contra morbos resistentiam corporis, maxime interimunt; ita evenit in pneumonite, in febri typhoide, erysipelate, cholera morbo, in quibus mors supervenit ob asystoliam, etiam in casibus levibus. Generatim loquendo, affirmari potest, huiusmodi potatores facillime morbos varios contrahere et difficilius sanitatem post eos adipisci. Quod vero maxime deterret, est facilitas maxima in mentis morbos incidendi, ut constat ex operibus et studiis doctorum Claude, Magnan, Fetscherin [1] et aliorum.

Effectus potionum alcoolicarum in *omnibus* corporis organis manifestantur; *systema* vero *nerveum* gravius afficitur. Obmalam actionem alcool in cerebrum, intelligentia perturbatur, eius exercitium mutatur vel minuitur, donec, qui maxime intelligentia excellebat stupidus fiat; voluntas debilitatur et potest etiam amitti ob defectum reactionis; sensus moralis adeo pervertitur, ut pluries visi sint, qui maximam demoralizationem usque ad cynismum ostendebant. Apud ebriosos et alcoolistas frequentes sunt meningites (inflammatio meningum), subita mors ob cerebri congestiones et haemorrhagias, paralysis, epilepsia, mentis alienatio, stupiditas et suicidium; sensibilitas generalis et partialis corporis paullatim minuit et maxima parte potest amitti. Cum vero potio alcoolica particularem actionem exerceat in centra nervea, in primis haec centra excitantur, dein paullatim, ob abusum alcool, excitatio minuit et nequeunt amplius vim nerveam, regulari modo, in organa transmittere; qua re fit, ut plura et maximi momenti oriantur incommoda pro valetudine;

---

[1] Cfr. Jaquet A., *L' alcoolisme*, Paris 1897, pag. 10.

ita frequentes sunt vertigines, mentis stupor et crurum tremor, quibus alcoolici vacillantes ambulant, modo ebriorum, et, putantes hoc e virium debilitatione ortum ducere, iterum ac iterum potiones alcoolicas hauriunt, quibus saepe non amplius valent vestigio haerere; immo aliquando alcool adeo potest centra nervea medullae spinalis male afficere, ut vehementer doleat et oriatur formicatio crurum, quae paullatim amittunt motum et etiam sensibilitatem; haec paralysis dein vesiculam urinariam et intestina pervadit, quo fit, ut urinam emitti, nisi auxilio sondae, aut excrementa retineri nequeant. Neque, causa harum potionum, desunt ophtalmiae et inflammationes aurium internarum cum formatione puris, quod potest sibi aperire viam usque ad cerebrum, adducendo meningitem mortalem.

461. Peiores vero effectus notantur in *organis circulationis* sanguinis; cum enim alcool in stomachum pervenerit, statim absorbetur et in circulationem immittitur; qua re integrum circulatorium systema primo et gravissime patitur; cor ipsum et proxima vasa male afficiuntur; possunt enim oriri vitia cordis, quae gignunt suffocationem, cordis palpitationem ac totius corporis inflationem ob impeditam circulationem. Etiam in venis et arteriis manifestantur pessimi effectus potionum alcoolicarum; cum enim eorum facies interna semper sanguine tangatur, alcool continuo statum excitationis et inflammationis affert ac servat, quo fit ut durae, velut osseae, et rugis sparsae evadant et inflammatione afficiantur; quod quidem non parvi est impedimenti circulationi sanguinis; ad hoc accedit, quod excitatio alcoolica in corde auget eius pulsationes, quibus celerior fit cursus sanguinis, cuius effectus est dilatatio (aneurismata) et productio vasorum; qui effectus praesertim in vasis capillaribus apparet, quae facilius subiiciuntur fracturis et haemorrhagiis. *Canalis* vero *digestionis,* cum magis directe expositus sit actioni alcool, et ipse non paucis laborare cito incipit incommodis et morbis; pharynx enim, amygdalae, esophagus et stomachus fere continua inflammatione uruntur, stomachus male cibos digerit, nervorum contractiones patitur et vomitus sanguinei oriri possunt ob lacerationem eius vasorum, et intestina valde praedisponuntur, ob vim inflammationis, morbo *gastro-enteriti,* fere semper mortali, enteriti, et peritoniti. Cum vero maxima pars alcool sumpti per respirationem emittatur, *alitus* alcoolicus fit, vox mutata et rauca evadit. Cum vero *omnes mucosae* inflammatione continua afficiantur, quaelibet

immutatio temperaturae externae facile bronchites, catharrhos pulmonares, pleuritem et pneumonitem afferunt cum maxima propensione ad phthysim contrahendam. — *Organa* ipsa *genitalia* in primis excitantur, dein paullatim amittunt propriam functionem cum sterilitate vel impotentia et demum paralysi afficiuntur. — *Apparatus* ipse *urinae*, per quem pars alcool emittitur, inflammatur et immutatur, inducendo cholicas nephriticas, albuminuriam, retentionem urinae, catharrhum vesiculae urinariae ac uretrae inflammationes [1].

462. Dein notatu dignum est abusum liquorum alcoolicorum omnibus maxime noxium esse et nullam esse constitutionem, etiam robustissimam, quae pessimos effectus indicatos non experiatur. Experientia enim quotidiana nobis prae oculis ponit, robustissimos etiam viros, liquoribus abutendo, incurrere in supra indicatos morbos et vitam finire praemature et miserrime. Quod si aliquando fit, ut aliquis, ob hos liquores, graves malos effectus non patiatur, et diu vivat, hoc tantum pendet genere vitae, quam degit; agitur enim tunc de illis, qui aperto aëre opera materialia exercent et continuo moventur; aër enim liber et motus faciliorem reddit emissionem alcool. At illi, qui sedentariam vitam degunt, vel parva physica activitate gaudent, pessimos effectus recensitos plene experiuntur. Debiles vero constitutiones penitus destruuntur abusu alcoolico.

463. Iuxta vero qualitatem et naturam temperamenti nonnulla discrimina habentur in effectibus ex potionibus alcoolicis. Illi enim, qui sanguineo temperamento praediti sunt, maiorem impulsum recipiunt ad crimina carnalia, faciliores patiuntur inflammationes et haemorrhagias, et ad vehementiores morbos disponuntur cordis, pulmonum et cerebri, quae sunt organa, quae maiore quantitate sanguinis irrigantur; qui biliare temperamentum habent, peiores fiunt, sensus ultionis et crudelitatis experiuntur vehementiores, facilius aegrotantur inflammationibus canalis digestionis, obstructione hepatis et icteritia; temperamento nervoso dotati vero acquirunt statum omnino particularem gravissimae nervorum excitationis, qui etiam plures mentis morbos, epilepsiam et delirium tremens ferre potest; illi demum, qui lymphatico temperamento laborant, maxime

---

[1] Bergeret, *De l'abus des boissons alcooliques* etc., Paris 1870, pag. 49-165.

debilitantur et ad gravissimas inflammationes canalis digerentis et pellis disponuntur.

464. Praeterea, ad iudicanda incommoda, quae ex abusu alcoolico oriuntur, oportet prae oculis habere legem, quam communis et quotidiana experientia late confirmat, iuxta quam constat actionem alcool maximam esse in illis organis, quae prae ceteris magis exercentur et haec praesertim maiora damna pati. Ita, ex. gr., qui seriis studiis vacant, quibus cerebrum maxime exercetur, speciali modo incidunt in morbos huius organi, scilicet in encephalitem, apoplexiam et plures alios; qui laboribus mechanicis incumbunt et magnam vim muscularem consumunt, speciali modo patiuntur affectiones cordis; qui maxime pulmones exercent, uti cantantes, magistri, advocati etc., morbos pulmonares, scilicet pleuritem, pneumonitem et etiam phthysim incurrunt; qui demum nimis stomachum defatigant ob copiosam alimentationem, morbos hepatis, stomachi et intestinorum minime effugiunt.

465. Hic oportet perniciosissimum praeiudicium refellere, quod pluribus senibus ante tempus mortem affert; dicunt enim senes communiter, *vinum esse lac eorum*, ac ideo iterum ac iterum in die vino et liquoribus utuntur. Nil hoc falsius cogitari potest. Si enim vini moderatus usus valde commendandus est senibus, intemperantia maxime iis est noxia; eorum enim vires, ob aetatem debilitatae, per vinum illico in primis excitantur at cito, finita actione vini, maiore debilitatione corripiuntur; et, cum putent ad eas denuo excitandas, repetendas esse potiones, inducunt in toto organismo statum permanentem excitationis alcoolicae, quae, partim per inertiam propriam illius aetatis, partim ob diminutam capacitatem alcool expellendi, citius incommoda et morbos superius notatos sibi cumulant. *Lac* huiusmodi senum consumit et extinguit citius eorum residuum vitae. Verum eorum lac est cibus nutritivus, non nimis copiosus, non nimis exquisite paratus, usus vegetalium cum carne mixtus, maxima parsimonia vini et pluries in die lac. Huiusmodi cibus vires vere reficit, omnia organa perfecte nutrit ac servat; corpus enim non indiget excitantibus alimentis, sed nutrientibus; cibus vere nutriens proprietatem habet adducendi in omnibus organis salutarem illam excitationem, qua servatur perfecta sanitas,

466. Effectus alcoolici abusus, ob haereditatis leges, ad descendentes transmittuntur, quo fit ut progenies huiusmodi potatorum plurimis morbis afficiatur usque ad familiae extinctionem. Morbi,

qui, hac ratione manifestantur, sunt: strabismus, surditas, surdomutismus, caecitas congenita, anomaliae dentium, partiales paralyses, deformationes columnae vertebralis, morbi nervorum a nevrasthenia usque ad epilepsiam, choream, hystero-epilepsiam et dementiam. Crimina ipsa, ut criminosa vulnera, furta, homicidia, violationes pudoris, adulteria, incesta, abortus, voluntaria incendia, omnes carnalium peccatorum species, latrocinia, continuo augentur, quorum maxima pars ab alcoolicis perpetrantur; quod quidem lucidissime constat etiam ex diebus, in quibus praesertim huiusmodi scelera committuntur, h. e. sabato, die dominica et feria secunda, cum, hisce diebus, maxima sit consummatio alcoolica. In nonnullis regionibus, ut Svetia et Norvegia, in quibus nunc temporis abusus minuitur, etiam numerus horum criminum decrescit, ut ex statisticis notatur. Homo, praeterea, potionibus alcoolicis deditus, causa est maximae paupertatis et miseriae, scandali et mali exempli familiae ac societati; contracto enim semel malo habitu, fit quaedam necessitas augendi quantitatem alcoolicorum ad excitandas vires, ad incommoda et mala vitae obliviscenda et sedandam famem, quae saepe, ob miseriam, sedari aliter nequit.

467. Abusus alcool est etiam causa *alcoolismi acuti* et *chronici*, *Primus*, praeter effectus supra recensitos, consistit in magna ebrietate, quae, pro qualitate potionis alcoolicae, potest etiam convulsiones secum ferre, sat similes motibus epilepticis. In personis, morbis nervosis affectis, in natis a parentibus laborantibus amentia vel alcoolico abusu, observatur etiam capacitas quaecumque crimina patrandi, quin postea ordinarie aliqua memoria maneat. In nonnullis etiam accedere notatum est *delirium alcoolicum acutum* cum illusionibus et hallucinationibus visionis et auditus, terrorem excitantibus; videre enim ipsi testantur flammas, ignem, hostes armatos, animalia, vel audire minas, voces, et cetera huiusmodi. Aliquando hypocondria vel delirium religiosum etiam haberi potest. Haec alcoolismi forma acuta ordinarie profundum somnum gignit, quo depulso, ebrietas disparet et plerumque tenuis recordatio tantum manet.

468. Alcoolismus *chronicus* sat peiores effectus producit, cum in hoc morbo praecipue appareat veneficium alcoolicum, quod omnia corporis organa pessime afficit, et eorum officia profundissime perturbat, ut iam diximus. Deest hinc appetitus, halitus foetet, lingua sordet, pharynx pyrosi laborat; accedunt vertigines, vomitus matutinus, maximae mutationes canalium circulationis sanguinis, et quaedam statio sanguinis in nonnullis partibus (nasus, facies, connexiva oculorum), quo

fit, ut hae partes modo speciali rubro et fusco colore fiant, et congestionibus cerebralibus et aneurismatibus lata pateat via. Renes ipsi aliquando nephrite per alcool corripiuntur; musculi facile atrophici fiunt; senectus ipsa ante tempus advenit. Frequentes sunt in hoc statu hallucinationes et illusiones, praesertim visionis et auditus, ordinarie vespere, antequam somnus veniat; sunt enim plerumque voces, minas indicantes, quas alcoolicus audit ex personis ignotis; sunt animalia terrorem iniicientia, phantasmata, fures armati, qui maxime illum perterrent. Hinc fit, ut inquieti huiusmodi homines evadant et de omnibus suspicentur; cogitationes, delirium comitantes, in eorum mente excitantur, ex quibus particularis momenti est cogitatio proditionis ex parte coniugis vel amantis. Hunc morbum sequuntur etiam corporis tumores, epilepsia alcoolica, dementia paralytica et delirium tremens. Non raro mors ipsa ob apoplexiam venit.

469. Ex his summatim expositis [1], patet quam periculosus hostis pro individuo, familia et societate civili sit abusus alcoolicorum, et quomodo Confessarii et Parochi invigilare debeant in propriis subditis, ne tantum malum oriatur vel, si natum, auferatur. Hic abusus communis nunc temporis est etiam inter mulieres et pueros, et damna, quae sequuntur, iuxta Jaquet, graviora sunt quam graviores epidemiae ac bella atrociora, et nonnisi damnis phthysis aequiparari possunt [2]. Bene esset, si parochi et concionatores in publicis allocutionibus hunc abusum vehementer damnarent et eius pessima consectaria fidelibus ostenderent.

470. In praesenti vero, cum catholica societas munus habeat, ex Apostolica Sede, meliores reddendi opificum conditiones morales et materiales et optimis propositis animata cognoscatur, cum plura bona opera pro ipsis iam erexerit, aliud novum opus additur eius activitati et charitati, quaerendi scilicet media ut alcoolismus penitus eradicetur. Quod quidem pluribus modis assequi fas est: 1° Conficiendo et evulgando scripta gratis aut minimo pretio, in quibus clare et demonstrative, praesertim per exempla, exponantur omnia, quae referuntur ad abusum alcoolicarum potionum et damna, tum physica

---

[1] Plura videri possunt apud Jaquet, *Op. cit.*: Albertoni, *Trattato ital. di Patolog. e Terapia medica*, Vol. I, P. IV, *Avvelenamenti*, Milano, edit. F. Vallardi; Vigouroux, *Op. cit.*, tom. II, pag. 274.

[2] Jaquet, *Op. cit.*, par. 10.

et moralia, tum individualia et quae ad familiam et civilem societatem attinent; 2° habendo frequentes sermones et colloquia publica de alcoolismo; 3° instituendo capsas parsimoniae, in quibus opifices possint, singulis hebdomadis, aliquid pecuniae servare, quam aliter in potionibus alcoolicis erogarent; augmentum continuum huius parsimoniae summam constitueret, pro variis vitae necessitatibus et pro senectute valde utilem; 4° instituendo societates opificum, in quibus maxime curetur eorum institutio religiosa et moralis, inspiretur amor parsimoniae, exponantur pessimi effectus ebrietatum et praesertim familiarum ruina et miseria; habeant hae societates media, quae spiritum recreent et a tabernis arceant, puniant severe, qui alcoolicis abutuntur, praemio donent, qui magis ad evellendum alcoolismi vulnus incumbunt; 5° statuendo demum societates, quae officium sibi assumant impediendi vel evertendi abusum alcoolicorum, scilicet *societates contra alcoolismum;* societates enim huiusmodi, praesertim quae in America exstant, valde profuere ad minuenda mala alcoolismi.

CAPUT VI.

DE USU ET ABUSU MORPHINAE

471. Infirmitatibus, quibus nunc temporis humana species gravatur, praeter alcoolismum, addendi sunt plures alii morbi, qui ortum ducunt ex nonnullis substantiis medicinalibus, ex quibus morbis primum locum tenet *morphinomania*. Notum est, ex papavero (*papaver somniferum*) extrahi opium, quod, inter cetera principia, morphinam continet, quae proprietatem habet minuendi aut tollendi peremptorie sensibilitatem nervorum, ac proinde magno usui est in terapeutica medica ad leniendos dolores, illam inieciendo sub cutem (*iniectio subcutanea*). Haec vero minime ut verum medicamentum habenda est, sed tantum ut solatium dolorum etiam vehementiorum; in causam enim morbi plerumque non agit; et ideo, cum eiecta e corpore sit, quod quidem paullo post a sumptione evenit, dolores redeunt. Tamen in magnis doloribus verum levamen praebet. Quum a simplici usu rationali ad abusum fit gressus, tunc venit necessitas quaedam iniectiones frequentissime renovandi, sive causa dolores sedandi sive fruendi physicis voluptatibus, quas secum fert; tunc *morphinomania* obtinet, quae considerari potest velut mania quaedam morphinae; *morphinomani* vero dicuntur, qui morphinomania laborant.

472. Usus opii ad leniendos nervorum dolores antiquissimus est; et, in praesenti, plures orientales populi abundantissime eo utuntur ad sibi procurandum statum quemdam ebrietatis ac narcosis, quod quidem gignit chronicum veneficium, quod *meconismum* appellatur. Sinenses praesertim et Persae opium fumant vel edunt, magnam annuam quantitatem consumentes. Princeps effectus, qui ex tali usu opii, oritur, est sensus quidam particularis satisfactionis, voluptatis

ac felicitatis; quo fit, ut cito omnia mala et incommoda vitae e memoria decidant, et omnia appareant laeta, hilaritate plena, iucunda, suavia, velut ac si homo in paradisum quemdam deliciosum invectum esset; corpus ipsum huic statui psychico participat; calor enim abundantior diffunditur, cor citius pulsat, respiratio etiam frequentior evadit; quo fit, ut facies rubicundior ac laetior, oculi splendidiores, laetitia maior appareant. Post haec tamen defatigatio quaedam succedit; vultus pallescit, sudor in toto corpore apparet, ac vehemens somnus totum hominem invadit. Per opii abusum vero alia incommoda oriuntur: paullatim appetitus minuitur, vires deficiunt, macilentia ac pallor augentur, nutritio minima evadit, corpus curvatur, primo obstructio ventris, dein relaxatio succedit, donec mors praecox his symptomatibus finem praebet. Quantitas vero opii, quae adhibetur, varia est; a minima quantitate enim incipitur usque ad plura quotidiana grammata (gr. 0,03–0,12 usque ad 4.00).

173. In Europae regionibus usus opii fumandi vel edendi minime invenitur, si Turcas excipias. Morphinae, e contra, apud nos, opium cum omnibus suis pessimis consectariis locum cessit; et nunc temporis eius abusus adeo crevit, ut verum periculum pro domestica et civili societate constituat.

174. Causae *externae*, quae morphinomaniam inducunt, plures sunt, quas noscere sat necessarium esse potest pro praxi. Plerumque sunt medici ipsi, qui morphina abutuntur, sive quantitatem nimis grandem subministrando, sive nimis frequenter iniectiones praescribendo ad dolores sedandos; aegroti ipsi, cum semel hoc dolorum solatium cognoverint, a medico petunt ut saepius morphina uti possint, qui, sive quia morbus chronicus est, sive ob querelas fugiendas molestas, sive quia aegrotus pauper est et medicas visitationes amplius solvere non valet, non solum illam permittit, sed praescriptionem in eius manibus remittit, pro arbitrio renovandam. Hoc admisso, morphinomania procul dubio cito venit. In nosocomiis etiam aliquando directores, saepissime inservientes, ad procurandam quietem aegrotantium nimis loquacium vel nimis doloribus affectorum, eorum tranquillitatem per iniectiones consequuntur. Pharmacopolae quoque, sive ob amorem excessivum lucri, sive ob timorem ne clientes illos deserant, sive ad mulierum voluptates turpiter captandas, absque cautela solutiones morphinicas vendunt. In hac specie maniae, exempla, consilia et lectiones de re morphinica plurimos ad abusum impulere; nonnulli etiam libri speciales, qui popularem medicinam

tradere autumant, bonam actionem morphinicam adeo extollunt, ut lectores, quia absque experientia vel nimis imbecilles vel ingenui sunt, ad illam experiendam, iniectiones adhibent, primo raro dein frequentius, donec magna oritur necessitas eas renovandi, ex quo morphinomania statim oritur. Hoc ipsum sequitur ex nonnullis romanticis libris, in quibus, post scenarum contextum et evolutionis speciositatem, effectus morphinici item nimis extolluntur.

475. Praeter has causas externas, sunt etiam nonnullae causae *internae*, praeter dolores sedandos, quae morphinomaniam facile inducunt. In primis notandum, morphina late uti tum vires tum mulieres, speciatim nobiliores, illos, qui valde mentem studiis applicant, studentes, medicos ipsos, politicis rebus incumbentes, advocatos, scriptores, litteratos etc. Negandum certo non est, hominem, ob plurimas rationes, statu quodam languoris, defatigationis ac fastidii moralis saepe affici, ita ut omnia quaerere satagat, quae hunc statum removere valeant. Quot enim disillusiones in omni vitae genere, quot incommoda, angustiae, difficultates quotidie humanam vitam agitant ac valde perturbant? Augmentum ipsum commodorum actualis humanae societatis, necessitates maiores hinc exortae, agitatio continua spiritus in nonnullis maximi ponderis negotiis et tot aliae huius modi causae, procul dubio mentem nonnullorum maxime vexant, animum opprimunt, spiritus quietem ac tranquillitatem minuunt et etiam auferunt. Hisce in adiunctis, iis, qui morphina abutuntur, huius iniectio omnia haec removet et, saltem aliquo tempore, illa pace et animi gaudio frui sinit, quo aliter gaudere non posse existimant. Mulieres ipsae, quo maiori nervorum sensibilitate pollent, vel quo vehementiores illusiones, in quibusdam vitae circumstantiis, patiuntur, eo magis morphina abutuntur; immo inter elegantiores et nobiliores mulieres etiam praxis increvit, qua, in officiosis visitationibus, praesertim in nonnullis maioribus anni solemnitatibus, munera quaedam sibi invicem offerunt, quae, externe innoxia videntur, intus vero continent syphunculum ad iniectiones morphinicas faciendas; consistunt enim haec dona in involucris parvis, argenteis vel aureis, externe artificiose confectis, vel in thecis pro acubus servandis, vel parvis vasis pro salibus et similibus obiectis, quae syphunculum, solutione morphinica iam plenum, apprime abscondunt. Apud meretrices abusus morphinicus passim notatur. Semel hac passione morphinica contracta, incredibile prorsus est, quot media, quot praetextus, quantam astutiam morphinomani in praxi adhibeant ad iniectiones,

quoties volunt, peragendas, ubicumque morantur, coram aliis personis; domi vero maximam diligentiam habent, ut syphunculus eorumque habitus ceteros lateant. Partes corporis, quae ad iniectiones praeferuntur, sunt quae occultae manent, scilicet brachia, crura, pectus, venter. Voluptas sequens singulas iniectiones, ut superius diximus, statim habetur; iniectiones vero pluries in die renovantur. Sicut fit in omnibus medicamentis, frequens repetitio morphinica effectus minuit; hinc necessitas augendi quantitatem iniiciendam. Evidens est, frequentes punctiones particularia signa relinquere in pelle, quae aliquando in abscessus immutari possunt, quibus malus habitus apparet; at omnes morphinomani, in quantum possunt, has partes medico celant, nisi necessitas gravis vel absolutum imperium eos cogat ostendere.

476. Omnes corporis organa, ob actionem morphinae, experiuntur statum quemdam voluptatis, gaudii, levitatis ac facilis motus; at cerebrum, modo speciali, grato modo afficitur; intelligentia enim statim clarior ac securior fit, ideae facilitate mirabili fluunt, loquela ipsa promptior evadit; post punctionem videtur, quodam modo, spiritus a corporis pondere liberari et celerius ac vividius suis facultatibus pollere. Hac ratione, inter doctos et litteratos plurimi morphinomani inveniuntur. At hi boni effectus morphinae tunc tantum habentur, cum nondum gravis habitus contractus fuerit; cum vero hic sit habitus, qui ceterum cito contrahitur post aliquod tempus, res omnino immutantur; memoria enim maxime debilitatur, voluntas pigrescit ac quacumque vi paullatim caret; quo fit ut morphinomanus incapax sit sese corrigendi et quam cito in sui ipsius ruinam ruat; individualis character immutatur; notatur volubilitas animi, irascibilitas, impotentia; sensus moralis minuitur et potest etiam omnino amitti; tunc aperta via est criminibus cuiuscumque generis; furta enim et scelera carnalia frequentissime sequuntur; mulieres pudorem saepe obliviscuntur; sicut hysteria affecti, morphinomani continuo mentiuntur, ut eorum habitus occultus maneat; hallucinationes et illusiones frequenter patiuntur eodem modo, quo illi, qui alcoolismo affecti sunt; excitationes sexuales primo augentur, sed plerumque ad breve tempus; apud eos, qui morphinomania chronica laborant, desunt; infantes, qui a matre morphinomana nascuntur, aliquando illico moriuntur ob defectum morphinae, quam per placentam maternam in utero hauriebant. Neque hoc satis; cum nervorum systema speciatim male afficiatur, insomnia veniunt cum

capitis doloribus, manuum et linguae tremores et in verborum prolatione perturbationes. Calor etiam corporis augetur (c. 38° C.) febrim afferens, quae eosdem characteres praebet ac febris palustris et typhoidaea.

Si vero morphinomanis morphina illico auferatur, tunc apparent nonnulla symptomata, *ex abstinentia* dicta, quae sunt absentia status satisfactionis physicae, inquietudo, cordis palpitationes, fastidium, congestio sanguinis in capite, sudores, vomitus, diarrhaea et collapsus. Exitus finalis horum, nisi malum habitum dimittant, est mors certa.

477. Cura morphinomanorum requirit, ut conditio sine qua non, ut libertate omnino priventur, ne nova morphina sibi comparare possint et diligentibus ac peritis custodibus subiiciantur. Ad hospitia ad hoc instituta vel ad domus mentecaptorum mittendi sunt. Si hoc obtineri potest, paucis hebdomadis sanitatis restitutionem consequuntur; tamen, post curam, valde praecavendum et timendum est, ne denuo in abusum incidant, quod quidem certo locum habet, nisi vigilantissime in omnibus custodiantur.

Si demum, praeter morphinae abusum, morphinomanus etiam potiones alcoolicas vel chloralium hydratum, vel ether, vel cocainam adhibuit, ut saepe fit, gravior evadit eius morbus, praesertim vero si de morphinomania et cocainomania agatur.

478. Clericus, qui has breves de morphinomania notiones acquisivit, cum viderit aliquem proclivem ad usum morphinae vel cuiuscumque alius similis substantiae, ut nuper diximus, vel aliquem, qui aliquo modo suspicionem vel certitudinem praebeat quod habeat hunc abusum, quaerat in primo casu, in quantum potest, hortari ut hunc morem deponat, ne in tot mala incurrat; in altero casu vero parentibus suadeat ut in aliquod hospitium pro morphinomanis illum mittant, auferendo ei ad breve tempus libertatem; quod si in hoc non consentiant, sciant impossibilem evadere eius sanationem; nam, donec domi manet et eius curatio suscipitur, morphinomanus innumerabiles astutias et praetextus inveniet, ut pravum habitum renovet ac servet, quin eius parentes aliquid advertant [1].

[1] Cfr. Chambard Vr. E., *I Morfinomani*, Torino 1894; Albertoni, *Avvelenamenti*, pag. 165 et seq.; Capellmann, *Op. cit.*, pag. 34 et seq. — Dr. Chambard de morphina et morphinomanis longam habet bibliographiam. Maximi pretii sunt de hoc argumento: Levinstein, *Die Morphiumsucht*, Berlin 1877; Leifert, *Cocaïne et cocaïnisme*, Würtzburg 1886; Erlenmeyer, plura eius opera et praesertim *Abusus narcoticorum*. Bericht über die Heilanstalt für Nervenkranke zu Bendorf-am-Rhein 1876, et. *Morphiumsucht*. Centralblatt f. Nervenheilkunde, Psychiatrie u. Gerichtliche Psychopathologie, II, 22, 1879.

CAPUT VII.

DE LACTATIONE INFANTIUM

479. Summa admiratione dignae sunt variae organorum relationes, quae in vita notantur, quibus fit, ut, cum natura aliquid obtinere velit, magno ac sapienti opere omnes necessarias vires ac facultates colligat ad finem propositum rite assequendum. Mulier, si infantem in utero concepit, caret menstruis, cum sanguis tunc inserviat ad nutritionem fetus; tempore, quo hic in utero degit, natura excitat ubera matris ac primum cibum seu lac lente praeparat; nato infante, ubera fiunt loca novae ac particularis activitatis, qua lac statim secernunt. At magnus hic labor physiologicus affert in toto organismo mulieris quamdam reactionem, quam comitatur specialis febris (*febris a lacte*), quae paucas post horas cessat; post hanc, secretio lactis definitive statuitur. Primum tamen lac non est aptum ad bonam nutritionem infantis, quia nimiam aquam, pauca elementa nutrientia continet et nimiam quantitatem seri; qua re haec secretio *colostrum* appellatur. Hoc tamen colostrum necessarium est infanti, cui, tamquam levis purgatio, inservit ad eiiciendum meconium, quod, tempore vitae intrauterinae, continebant stomachus et intestina. Post vero duas aut tres dies, elaboratio et secretio lactis perfecta evadit, et puer tunc optime nutriri potest; quae lactatio, semel incepta, nisi aliquid obstet, per decem octo vel viginti quatuor menses perdurat.

480. Lac mulieris constat 88–90 % partibus aquae et 10-12 aliis elementis, sive solutis, sive tantum in ea suspensis. Ex his elementis notantur *corpora mineralia* (phosphata, carbonata, chlorura etc.) soluta. *butyrum*, divisum in quamplurimas et minutissimas guttulas, suspensas in liquido (emulsio), quibus lac album colorem debet,

lactis saccarum, relative abundans, et *caseina*, quae est corpus albuminosum, maxime nutriens.

Lac efformatur in glandulis mammarum, quae, tempore lactationis, magna irrigantur quantitate sanguinis, ex quo elementa necessaria ad conficiendum lac in glandulas transit; haec elementa postea in glandulis ipsis elaborantur et lac conficitur.

481. Uterus et ubera sympathica quadam physiologica relatione sivi invicem coniunguntur; uterus enim, tempore praegnationis, ubera excitat, ut lac praeparent; peracto vero partu, secretio lactis uteri congestionem, seu menstrua, ordinarie suspendit; qua re ex his duobus physiologicis officiis unum tantum regulariter locum habet.

482. Quantitas et proprietates nutrientes lactis nonnullas mutationes patiuntur, quae pendent ex pluribus circumstantiis, quae sunt diversa constitutio mulieris, horae diei et tempus, quo perdurat lactatio. Lac enim magis nutrire videtur, si mulier sit e colore fusco vel castaneo, quam si rubro, vespere magis quam mane, et quo minus tempus lactationis protrahitur, cum notum sit, lac, decimo octavo vel vigesimo quarto mense, minimam vim nutrientem habere; quod quidem respondet maiori evolutioni physicae infantis, qui iam etiam aliis cibis ali potest. Lac maternum est princeps cibus naturalis infantis et fere continuatio externa vitae uterinae.

483. Lactatio, quoad matrem, non solum eius maternitatis firmat iura, sed maxime utilis, immo aliquando etiam necessaria est, ad eius valetudinem servandam. Lactatio enim, cum requirat affluxum sanguinis in glandulis mammarum, ab utero eum removet (qui uterus ob partus laborem et haemorrhagias maxime passus est), minuit et aufert citius febrim a lacte, praecavet haemorrhagias, quae sequi possent ob partus incommoda et aufert, hac ratione, periculum inflammationis uteri et peritonei (metritem et peritonitem), minuit etiam puerperii sudores, pellisque eruptiones inde secuturas, capitis dolores et capillorum defluvium. Quo fit, ut, per lactationem, uterus paullatim fere primum volumen acquirat et natura physiologico regulari cursu prosequatur; quod quidem matris valetudini maxime confert.

484. Si vero lactatio non fiat a matre, cum possit lactare, praeter violationem huius sacri iuris naturae, non pauca sequuntur incommoda, etiam gravia, pro matre et infante. Ubera enim, cum nequeant secernere lac iam praeparatum, magnam actionem exercent

in uterum, qui tunc acquirit facilem dispositionem ad morbos graves contrahendos; qui morbi, in praesenti, extra ordinem frequentes facti sunt, ut videri potest in magnis civitatibus, in quibus fere communis apud nobiles familias evadit consuetudo nutricibus venalibus infantes nutriendos tradere. Ob hanc causam etiam mortalitas infantium maxime crevit. Sicut constat ex relationibus uteri cum uberibus, natura ipsa postulat, ut lactatio *materna* sit, ut efficacius provideatur vitae infantis et plurima praecaveantur incommoda matris.

485. Omnes matres lactantes curare debent, ut animus tranquillus sit toto tempore saltem singulae lactationis; plures enim causae sunt, quae profunde vitiant naturam lactis, et male etiam afficiunt infantes, qui aliquando, hac ratione, mortem illico passi sunt; tales causae sunt tristitia, ira, stupor, repentinus pavor, excessiva laetitia etc. Oportet igitur non praebere lac, donec animus, ob has passiones, necessariam tranquillitatem assecutus sit.

486. Etsi ius naturale postulet, ut propria mater nutriat suis uberibus infantem, plurimae tamen sunt causae, quae absolute hoc naturale officium prohibent, quaeque sub dominio physiologiae et hygienis sunt. Frequentiores causae sunt: *excessiva* irritabilitas nervei systematis, morbosae immutationes facultatum mentis, indoles *nimis* lymphatica, herpes diffusa omnesque pellis eruptiones, praedispositio ad phthisim, syphilis habita post partum, *magna* debilitas generalis, deficientia lactis, morbosae affectiones stomachi et intestinorum, quae nutritionem matris maxime imminuunt, praedispositiones congenitae vel acquisitae ad varios morbos contrahendos, quo fit, ut morbus aliquis in ipsa lactatione oriatur, particularia incommoda uberum etc., de quibus omnibus semper medicus est consulendus. Aliquando vero gravissime obstant lactationi vehementes haemorrhagiae persistentes post partum, quae lactis formationem fere immediate omnino impediunt, quaeque non raro illico cessarunt, remota lactatione. Ordinarie etiam praegnatio, quae, non multum post partum, accidit, est causa lactationem impediens, quum sanguis tunc inserviat ad fetus nutritionem, quique elaborationi lactis obstat. At, cum, hoc in casu, non paucae sint exceptiones, quae e statu et natura lactantis pendent, ut suspendatur lactatio, necesse est ut ex hoc maxime minuatur quantitas et qualitas lactis et nutritio infantis perfecta non evadat; cum vero robur matris eiusque optima valetudo satis innotescat et nihil detrimenti capere videantur fetus

et infans, nulla est necessitas illico lactationem cessandi, ut non raro in praxi evenit. Menstrua, si tempore lactationis reapparent, nihil obstant.

487. Quoad vero cibos, quibus mater uti potest, sufficit ut omnes cibos adhibeat vere nutrientes et facilis digestionis, et curet, ut vino sat moderate utatur et a liquoribus alcoolicis, drogis, cibis nimio aceto confectis et coffeo omnino abstineat; sciendum nam est omnes has substantias fere cito in infantem per lac transire et respondentes effectus statim in illo producere, quales sunt exaltatio nervea, stupiditas sicut in ebrietate, convulsiones etc.; et hoc tam certum et probatum est, quod, si necesse sit, ex. gr., infantis deiectiones solvere, purgatio matri praebeatur, si syphilis aut aliquis alius morbus infantis curari opus sit, necessariae medicinae matri tradantur; item si quid amarum mater capit, lac statim amarum fit.

488. Quoad vero copulam tempore lactationis, inferius babebis.

489. Cum vero saepe in praxi, ob iustas causas mater nequeat filium suis uberibus nutrire, necesse est aliquid dicere *de lactatione nutricum venalium* et *de lactatione artificiali.*

Quoad *venales nutrices* omnino oportet ut nutrix sit perfecte sana, optima valetudine et christianis et incorruptis moribus ornata. Non est praestanda fides earum verbis, quibus perfectam sanitatem ostendere conantur, sed earum medica inspectio penitus laudanda et saepe necessaria est; multae enim sunt venales nutrices, quae ex industria plures celant morbos, ex quibus syphilidem, varias pellis eruptiones, ad aegritudines speciales dispositiones, signa indubia corruptionis et vitiorum, et tot cetera, quae in omni nutrice absolute deesse debent, cum lac, non solum ad augendum corpus inserviat, sed etiam magnam actionem habeat in intelligentia et sensu morali infantis.

Dein nutrices, quae a tribus vel quatuor mensibus pepererunt, eligendae sunt, cum tunc omnino restitutae sint a partus incommodis et lac melius nutriens sit. Cum vero consideretur, lac esse velut alterum sanguinem, et eo modo, quo, per generationem, morbi, passiones, variae inclinationes, temperamentum, indoles transmittuntur ad filios, ita hoc ipsum locum habet per lactationem; et, cum infans nonnisi nutricem amore prosequatur, eam imitetur, eius mores capiat, facile intelligitur quanta cura adhibenda sit in seligenda nutrice; constitutio etiam physica infantis aut eiusdem conservatio maxime a nutrice pendet; quo fieri potest, ut, non apta nu-

trice adhibita, infans graviter patiatur et etiam familiae extinctio sequatur. Optima lactatio valet etiam hereditarias malas constitutiones corrigere, novam vitam novumque robur infantibus inducendo, fortioresque eos efficiendo contra morbosas praedispositiones, cum quibus saepe oriuntur.

490. Quod vero spectat *artificialem lactationem*, dicendum hanc locum habere cum mater nequeat assumere nutricem venalem, vel non velit ob particulares rationes, cum ipsa non possit infanti proprium lac praebere. Lac, quod, hoc in casu, ordinarie utilius adhibetur, potest haberi vel a vacca vel a capra; capra tamen praeferenda videtur, cum infans ipse possit ex uberibus ipsis sugere, eo magis quia sat mite est hoc animal. Aliquando etiam lac canis adhibitum fuit; et hoc sat utile inventum fuit in infantibus rachitide affectis, in quibus ossa iam curvare coeperant, quaeque, mediante hac lactatione, recta facta fuere; quod quidem facile explicatur, cum lac canis maiorem quantitatem contineat salium mineralium, quae ossibus necesse sunt ad eorum physiologicam evolutionem.

Lac tamen differentium animalium non eamdem habet chemicam compositionem et vim nutritivam ac lac mulieris; lac enim caprae et vaccae maiorem quantitatem caseinae et adipis, lac vero mulieris maiorem quantitatem sacchari continet; quapropter lac caprae et vaccae, cum nimis nutriens infanti sit, oportet ut aliquantulum cum aqua, saccharo condita, misceatur, ut similius reddatur lacti mulieris. Lac semper debet esse recens, calidum (32–35° C.) et aqua, quae commiscetur, optima est si antea ebulliat.

Artificialis lactatio aliquando potest esse necessaria, cum infans morbo aliquo contagioso, ex. gr., syphilide, laboret, ne morbus ipse matri vel nutrici transmittatur.

491. Ex causis a theologis allatis, quae excusant matres a lactatione infantis ex suis uberibus, notatur *necessitas, notabilis utilitas* et *consuetudo* apud familias nobiles vigens. Quod necessitas, et notabilis utilitas possit excusare, facile intelligitur; quomodo vero consuetudo, non facile apparet. Nam ius ipsum naturae absolute postulat ut infans, nuper natus, lacte matris alatur; ad hoc enim natura ubera lacte replet, ad hoc menstrua suspendit, per hoc plura gravia incommoda matris post partum removet, per maternum lac plurimi infantes a morte liberantur. Ex mea sententia, dicerem simplicem consuetudinem apud nobiliores familias non excusare a lactatione. Ad tollendam enim obligationem, quam ius naturale tam so-

lemniter imponit, graves causae adesse debent, quae non videntur esse aliae quam quae e natura ipsa mulieris oriuntur, ut supra diximus, vel a conditione particulari uniuscuiusque matris vel familiae, sicuti est necessitas vel notabilis utilitas [1].

---

[1] Cfr. Capellmann, *Op. cit.*, pag. 47; Garnier, *Le Mariage*, nouvel. edit., pag. 525 et ss; Richard. *Des rapports conjug.* etc., pag. 299 et ss. — Notum est SS. Canones prohibere Christianis quominus lactare, aut nutrire possint liberos iudaeorum, saltem intra domos ipsorum iudaeorum. Quod quidem fundatur etiam iure naturae. (Cfr. De Luca, *Praelectiones iuris canonici. De delictis et poenis*, n. 148).

CAPUT VIII.

DE CORPORE CASTIGANDO [1].

Castigo corpus meum et in servitutem redigo.
(I. Cor., IX. 7).

492. Vita hominis super terram non interrupta pugna est; corpus enim contra spiritum, spiritus vero contra carnem pugnat. Victoria habetur, cum spiritus superior evadit. Passiones, quae humanam naturam semper comitantur, per se non sunt malae, immo ad spiritus perfectionem valde necessariae; et tantum bonae vel malae efficiuntur, prout nos eis utimur in bonum vel in malum. Tolle passiones, et merita et demerita abstuleris; bene utere passionibus, sanctus fies; male utere, perversus certo eris. Passiones nonnullae e corpore seu temperamento ortum ducunt, nonnullae a spiritu. Quaecumque sit earum origo, pugnandum continuo homini est et vincendum, si velit animae suae aeterna praemia comparare. Ex omnibus corporis passionibus, quae primum locum in singulis hominibus tenet, est concupiscentia carnis, et hac semel satisfacta, reliquae omnes ordinarie sequuntur; cuius concupiscientiae initia semper bene noscuntur, minime vero eius finis constat, qui saepe per mortem temporalem tantum habetur, quam non raro sequitur et mors aeterna. Quare sequitur compescendos esse sensus per mortificationem, ex qua proveniunt tam salutares effectus ad imitationem Domini nostri, qui se se innocens pro nobis victimam expiationis aeterno Patri obtulit, et Sanctorum, quorum poenitentia tam

[1] Cfr. Capellmann, *Op. cit.*, pag. 101; Meyer, *La Scienza de' Santi*, pag. 66 et ss.

electum agmen in coelum invexit. Et, cum corporis castigatio requirat dispositionem quamdam particularem voluntatis, divina gratia adiuvante, et desiderium magis magisque grande in via perfectionis spiritualis proficiendi, quod certo in maxima hominum parte desideratur, patet mortificationem corporis omnibus consuli, nemini in praecepto esse. Tamen plures personae, quae pie volunt vivere in Christo, mortificationes nannullas libenter suscipiunt.

493. Finis praecipuus omnium corporis castigationum est obtinere libertatem spiritus in Dei servitio, illum solvere a delectamentis carnis et mundi, et dolores offerre Deo in poenam peccatorum: quo fit, ut, hisce exercitationibus physicis, spiritus purior evadat, quaecumque sunt in mundo prospera spernat, voluntatem melius subiiciat voluntati divinae, amorem ad omnia pietatis exercitia augeat et fortior ei existat adhaesio et unio cum Deo, in qua consistit christiana perfectio in hac vita.

494. At physicae castigationes, nisi fiant quadam prudentia et cautela et quidem iuxta proprii Confessarii praescriptionem vel consilium, non raro salutares effectus non gignunt. Si enim nimio cum rigore et absque cautela fiant, graves immutationes in valetudine sequi possunt; si vero nimia cum levitate fiant, ne dolores graves oriantur vel minimi, omnino inutiles evadunt. Ad praecavendum quodcumque detrimentum, saltem grave, valetudinis, non sunt consulendae, nisi principiis inspectis physiologiae; eoque magis, quia quibusdam, iuxta particulares et varias constitutiones, sunt prohibendae. Quae sequuntur maxime Confessorio utilia esse possunt.

495. Praecipuae formae castigationis corporis sunt *cilicia*, *flagellationes*, *vigiliae* et *subtractio cibi*.

496. *Cilicia* constant vel ex pilis equinis, vel lana rigida, vel, communius, ex filis ferreis, levibus acuminibus armatis, ita inter se contextis, ut quamdam retim pungentem efficiant, cuius forma varia est, et praecipue possunt esse in formam vittae variae longitudinis vel crucis vel cordis vel circuli. Circum ponuntur corpori, brachiis, humeris et cruribus vel supra pectus, latera etc. Quoad haec instrumenta cavendum est, ne acumina sint nimis longa vel nimis acuta, quia, alias, nimis in carnibus penetrarent et inflammationes et cicatrices afferre possent, etiam malignae naturae; item non debent nimis membra coarctare, quia tunc cursus sanguinis in hisce partibus impediretur, cuius consequentia immediata esset earum inflammatio, debilitas et tumorum origo. Nec diu, nisi pecu-

liares circumstantiae id suadeant, ferenda sunt; sed per unam vel duas horas et tantum nonnullis diebus, ex. gr., feria sexta ob memoriam passionis et mortis D. N. et tempore vehementis tentationis.

Forma quaedam specialis cilicii est *indusium* quoddam ex rigidis pilis equinis confectum, angustum, quod totum corpus involvit atque leviter pungit. Hoc nec diu nec quotidie gestandum est ob vehementes irritationes, quas in pelle producit, quae varias pellis eruptiones afferre possunt; et omnibus, qui hisce eruptionibus pellis vel nimia sensibilitate nervorum, vel nervorum morbis, vel arthritide vel lymphatica constitutione laborant, prohibendum vel nonnisi cum maxima cautela, rarissime et brevi tempore, permitti potest.

497. *Flagellatio* seu *disciplina* fit per funes ex cannabe vel lino vel alia materia textili confectas, aliquando nonnullis ferreis aculeis vel nodis sparsas. Flagellatio producitur ordinarie per pauca momenta ad dimidiam horam; non debet fieri festinanter et casu, sed lente et bene cavendo partes, quae percutiuntur. Eius finis physicus est excitare corporis dolores, debilitare sensibilitatem nervorum et sedare concupiscentiam. Non omnes corporis partes sunt percutiendae, sed tantum brachia, humeri, dorsum et crura, minime regio analis, genitalium et lumborum (cum in hisce locis flagellatio excitet genitalia et sensum venereum), nec venter, qui continet organa, quae tam facile inflammari possunt, et, in mulieribus praesertim, nec pectus, quia ubera graviter pati possunt et percussiones possunt esse causa cancri uberum. Personis nervosis vel debilibus, convalescentibus, aegrotantibus vel morbis pulmonum vel cordis affectis, omnino prohibenda est; item hysteria patientibus; his enim flagellatio valde excitat nervorum systema, iam in ipsis satis irritatum et vehementes excitationes sexuales timendae sunt, cum voluptate coniunctae, quae eis proximum peccandi periculum constituunt; adde etiam hystericis flagellationem reddere magis sensibile eorum systema nerveum, et aliquando eos, ob hunc morbum, insensibilitate laborare; qua re flagellatio inutilis tunc evaderet. Flagellatio non est saepe adhibenda et eaedem normae hic servandae, quas de ciliciis supra exposuimus.

498. Hic etiam est advertendum, in castigando corpore per cilicia et flagellationes, non solum necesse esse curare ne grave damnum sanitati veniat, sed etiam ne munera et officia poenitentis impediantur, ut facile fieri potest in docentibus et in illis, qui gra-

vibus studiis vel fere continua applicatione mentis incumbunt; item nonnullis etiam, particulari complexione praeditis, fieri potest, ut castigatio, nimis rigida vel indiscrete protracta, animum reddat tristem, melancholicum, humoremque valde perturbatum; in omnibus his casibus melius est vel a poenitentia abstinere vel quam maxime castigationem minuere, memorando illud « servite Domino in laetitia ».

499. Etsi hae corporis afflictationes tales sint, ut per eas anima augeat Dei amorem et immarcescibilem coeli gloriam abundantius consequatur, tamen cavendum sedulo est, ne confessarius eas suadeat, nisi prius optime statum conscientiae poenitentis agnoscat et eius pietatem inspectam habeat; suadeat in primis minores castigationes per paucum tempus et tantum statutis diebus; dein, iuxta effectus habitos, paullo ulterius procedere potest, sed semper habita diligenti consideratione sexus, virium, constitutionis et valetudinis poenitentis. Maximi interest, ut, prae omnibus, confessarius suadeat poenitenti cordis et voluntatis castigationem debere praecedere corporis castigationes, quia mala spiritualia ex corde et voluntate procedunt, etsi ad peccata etiam sensus cooperentur, et sensuum rebelliones minime statui gratiae animae nocere, nisi voluntas assensum eis praebeat. Quum hae poenitentiae rite et iuxta prudentiam confessarii fiant, vix credibile est quantum boni spiritualis et libertatis spiritus in amore et servitio Dei afferant; Sancti omnes excellentiam harum afflictationum, cum castigatione voluntatis, lucidissime demonstrant.

500. Hic innuendae veniunt et *vigiliae,* quae consistunt in subtrahendo aliquod temporis destinati ad somnum. Quaecumque sit causa physiologica somni, cum usque in praesens certo non constet, somnus necessarius est ad servandam valetudinem. Praescindendo ab infantili aetate, sex vel septem horae omnibus necessariae sunt. Somnus nonnisi quaedam necessitas est, quam omnia corporis organa experiuntur, quietis et recessus ab omnibus externis causis; physiologice, est restitutio, in organis corporis, omnium illorum elementorum, quae, in statu vigiliae, consumpta et eliminata fuerunt. Quaecumque sit activitas corporis et, a fortiori, activitas spiritus tempore diurno, magna evenit destructio chemica substantiarum cellulas corporis componentium, ut iam diximus, et materiae immutatae, proindeque inutiles factae, e corpore emittuntur, partim per respirationem et pellis transpirationem, partim, et quidem praecipue,

per urinam. Quod ita sit, sufficit, ex. gr., chemicas analyses comparare urinae emissae tempore, quo spiritus studio non vacat et tempore, quo intellectus laborat; postremo hoc casu, maxima pars invenitur illorum elementorum, quae nerveum systema efformant, quae, prout inutilia, immo noxia facta, e corpore eiiciuntur. Spiritus enim, donec naturalis hic vitae status perdurat, quidquid facit, per nerveum systema facit. Idem obtinet et in illis, qui nonnisi mechanicis laboribus vacant. Omnis enim physicus labor, consistit in contrahendo et relaxando varios corporis musculos; et in hoc physiologico musculorum *labore*, fere eaedem chemicae mutationes eveniunt, prout analyses, praesertim urinae, demonstrant. Tempore somni, omnes spiritus functiones ordinarie quiescunt; functiones organicae, quae a voluntate pendent, deficiunt; remanent, e contra, activae functiones vitae vegetativae, ut respiratio, cordis motus, assimilatio, desassimilatio, secretiones, excretiones etc., etsi paullulum diminutae; angustiae, passiones, cogitationes agitantes, immo dolores ipsi physici, in somno nos omnino in pace relinquunt. Quid vita humana esset, si somnus vivificans ac restaurator non esset? Alternatio ipsa diei ac noctis ad hanc necessitatem nos impellit. Per somnum omnes corporis perditiones reparantur; et, dum, labore diei, corpus et spiritum fatigamus, per somnum novas vires novumque robur adipiscimur. Per nimis brevem somnum vires non plene reficiuntur et ideo ad labores diurnos perferendos impares evadimus; per nimium somnum sensuum hebetudo ac pigritia accedunt. Hominis natura ergo necessario somno non est privanda, si cupimus nostram valetudinem nullum grave detrimentum pati.

Hinc, qui vult per vigilias corpus castigare, hoc maxime curare debet, ne necessarium somnum subtrahat; alias, somno subtracto, ad labores diurnos necessariae vires deficerent. Certo, aliquando, at *raro*, aliquid temporis subtrahere somno necessario non grave inde incommodum per se sequetur; tamen considerandae sunt variae personarum et sexus conditiones et circumstantiae; lymphatici, et nervorum incommodis affecti plus indigent somno ad reparandas vires, quam homines sani et robusti. Si vero nimius somnus saepe subtrahitur, facile oriuntur debilitas generalis, pallor, macies, incapacitas studiis vacandi, magna nervorum irritatio, defectus appetitus, difficiles digestiones, capitis pressiones et dolores, febris hectica, et, aliquando, ob magnam nerveam excitationem, illusiones, hallucinationes et amentia ipsa. Ad quid tunc valet corpus

fatigatum, etsi spiritus integris facultatibus polleat? Nonne spiritus per corporis organa proprias actiones perficit? Nonne notum est corporis passiones graviter spiritum afficere? Hinc plene patet veritas illius dicti: « mens sana in corpore sano ». Et, cum corpus defatigatum est, quid melius, cibo sano accedente, quam somnus ad reficiendas vires?

Hinc somnus necessarius ordinarie non subtrahatur; et, si aliquando quid somni necesse sit subtrahere, melius est primo mane aliquid tollere, quam diu diem protrahere. Indicatae sex vel septem horae omnibus necessariae sunt, ne valetudo aliquid grave patiatur; et, quamvis non nimis referat utrum sex vel septem horae continuate aut interrupte spatio unius diei sumantur, tamen, cum continuate per illud tempus somnus accedit, melius vires reficiuntur, paratusque magis est animus ad labores et varias occupationes diurnas exercendas. Attamen, dummodo subtractio somni necessarii non sit nisi exceptio, poterit, in nonnullis particularibus diebus anni, ex. gr. tempore hebdomadae sanctae, feria sexta, tempore spiritualium exercitiorum etc., aliquid subtrahi, absque gravi damno, considerata semper particulari conditione physica et morali singulorum.

501. Hic etiam iuvat aliquid notare de castigatione corporis mediante *subtractione ciborum*, minime eorum, qui superflui esse videntur, cum hoc ad *temperantiae* virtutem referatur, sed partis illorum, qui convenienter sumi possent; hoc certe fieri potest, quia quo magis quis subtrahit, maiorem castigationem affert corpori, *dummodo tamen non nimis vires decrescant, vel notabile damnum valetudini proveniat.* Magna discretio in hoc poenitentiae genere necessaria est, sive ad minuendum nimium fervorem castigationis corporeae, praesertim ab initio, sive ad impediendum nimium rigorem, saepe orientem ex parte humani inimici; quod quidem valde vires minueret, spiritum ac voluntatem debilitaret, et quaedam ad propria munera obeunda incapacitas sequeretur; quo fieret, ut poenitens vel ab hac castigatione cito abstineret, vel facile haec castigatio illum fastidiret. Item, maxime cavendum, non solum in praesenti, sed etiam ne in futurum, grave damnum sanitati proveniat; corpus enim, etiamsi singulis vicibus grave aliquid non patiatur, tamen, cum diu talis castigatio protrahatur, impossibile est non fore ut gravia damna sentiat in posterum quoad valetudinem, quorum potiora essent capitis dolores, debilitatio generalis, anemia, chlorosis, nevrasthenia, inhabilitas ad studia et cetera officia explenda. Immo

nonnullis haec castigatio est omnino prohibenda, praesertim iuvenibus lymphaticis, debilibus, convalescentibus, rachiticis, studio incumbentibus, nervosis, puellis (praesertim tempore menstrui), hysteria affectis, praegnantibus, lactantibus, epilepticis, inservientibus et in genere omnibus illis, qui, sive ex particularis constitutione vel praedispositione ad morbos, sive ex natura officii vel laboris, certo apparet vel etiam tantum prudenter timetur, subtractionem cibi facile eis nocumentum esse allaturam.

DE VI DECALOGI PRAECEPTO

Non moechaberis.
(Ex. xx, 14).

Manifesta sunt autem opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.
(Ad Gal. v, 19-21).

CAPUT I.

NOTIONES GENERALES

502. Satis invito animo aggredior tractationem huius argumenti, quod optimum esset sub silentio transcurrere, nisi in praxi tam frequentia essent peccata contra hoc praeceptum. Vitia, praesertim contra naturam, tam late nunc temporis percrebuere, ut vulnus maximum civilis consortii efforment, cum ingenti damno individui, societatis humanae, familiarum et, utinam non esset, etiam cum ruina spirituali tot animarum. Nulla adest aetas, quae his vitiis libera evadat; ac proinde saepissime inveniuntur in iuvenibus utriusque sexus, adolescentibus, pueris puellisque, adultis et senibus etiam, qui ad extremam senectutem iam pervenerunt; notantur in solutis et in coniugatis. Lacrimae fluunt, cum mente revolvitur hoc mare magnum, sine littore, in quo tam caece natant homines, ut inveniant semper novas voluptates et in quo fere infinitus numerus naufragium facit. At animus sacerdotis etiam hos miseros infelices, quos multae causae tales effecerunt, benigne excipiat; immo, cum occurrerint, suavibus verbis adhortetur, ut viam rectam ingrediantur et longa

patientia, diuturno studio ac cura vere paterna se induat oportet, ut paullatim hi infelices meliorem vitam arripiant. Qui diu in voluptatibus carnis se volutavit, absque miraculo, cito optimus non fit. Ut experientia docemur, facilius possunt omnes hi eorum statum vere lugendum plerumque cognoscere, cum prae oculis omnes consequentiae corporis et animae ponantur, quam multa alia motiva, quae ordinarie parum aut nihil eos movent, cum sint in his conditionibus constituti. Quapropter in hac tractatione, praestitutis conceptu vitii praecipuisque eius formis, consequentias afferemus tum corporis tum facultatum spiritus, quae facile intelligentur, si notiones anatomicae superius expositae, ad mentem revocentur.

503. Cognitio horum vitiorum maximi momenti est pro Confessariis, ut, ex ipsis primis verbis confessionis, facilius intelligant de quo agitur, quin tempus terant in interrogationibus, quae, non semper prudentes et necessariae, non semel fuerunt laethales, praesertim iuvenibus et puellis, cum ex iis nova peccata perpetrare didicerint. In rebus de hac materia, nisi rationabiles adsint causae, ab interrogando abstineat confessarius; et, si interrogationes nonnullae necessariae sunt, maxima prudentia agat et generalibus verbis utatur. Confessarius, vero de hac re instructus, ex primis verbis confessionis facile noscit de quo res est.

504. Studeat potius confessarius cognoscere ex quo tempore poenitens in his vitiis versetur, quomodo didicerit, quoties perpetraverit; an aliquo morbo aut mala corporis affectione laboret; an occasiones habeat; qua hora diei vitiis indulgeat, et similia interroget, quia omnia haec Confessario inserviunt ut melius noscat dispositiones ac status poenitentis, causam vitiorum et opportuniora remedia praebeat et nihil mali poenitens ex iis apprehendere potest.

505. Notum praeterea esse debet, aliquando deditos his vitiis aliquo morbo physico et saepe etiam psychico laborare. Confessarius studeat paternis verbis et hoc cognoscere; et quum perspexerit mutationes anatomicas aut morbos animi adesse, de opportuno remedio seu medicina agat et ad medicum consulendum impellat. Aliquando enim haec vitia ortum ducunt non tantum a mala voluntate, quantum a quadam morbosa dispositione corporis; hoc in casu simplex medicina spiritualis, absque miraculo aut speciali divina gratia, parum aut nihil confert, quum causa sit in organis corporis, morbo affectis.

506. Monemus insuper ut confessarius, huius materiae studio va-

cando, saepe mentem et cor ad Deum, Virginem immaculatam et Sanctos elevet, et caveat, dum quaerit necessarium ad salutem animarum, ne ipse incidat in laqueum diaboli et ruinam animae suae.

Antequam hanc tractationem incipiamus, praemittenda sunt nonnulla ex anatomia genitali nervorum, ut melius lector possit mala, de quibus loquimur, cognoscere; consequentias, ex iis derivatas, perpendere et, ita, certioribus et persuasibilioribus verbis ad mentem et cor poenitentis loqui.

507. Quum mente revolvantur fere innumerae formae vitiorum carnis et studium hominis in excogitandis semper novis voluptatibus appetitus generationis, incredibile videtur, quot genera turpitudinum ipsum invenisse ad satisfaciendam libidinem; quae quidem, numero et forma, plura sunt apud mulieres, quam apud viros. Hoc tamen mirum esse non debet, cum noscatur natura anatomica organorum voluptatis in utroque sexu. Et hoc valde utile Confessario esse potest, quia, ex. gr., nonnulli tactus primo adspectu non apparent satis turpes, praesertim quia poenitentes sat sobrie pierumque de iis loquuntur; at si Confessarius relationes anatomicas noscat, illos prohibere omnino debet et quanta sit malitia prudenter admonere.

508. Loca voluptatis genesicae varia sunt. In *viro* principem locum tenet *glans* penis, ob multa et subtilia filamenta nervea, quae habet; quare fit ut glans maxima sensibilitate polleat. Quaecumque alia pars genitalium viri sensibilitate ac proinde delectatione venerea caret. Alter vero locus est *os anale*, quo utuntur plures impudicissimi viri ad obtinendam perfectionem voluptatis, etiam minimo tempore, quia nonnulli eius nervi sunt simplices rami nervorum penis.

In *muliere* vero plura sunt loca voluptatis. *Clytoris* primum locum habet; dein vagina ipsa et collum uteri, quovis modo excitentur, maximam venereamlibidinem afferunt; dein veniunt *ubera* et praecise eorum areolae, quarum excitatio excitationem genitalium fere semper vehementem secum fert, etiam cum emissione muci vulvo-vaginalis, quae perfectam voluptatem significat. Ex hoc etiam sequitur hanc excitationem, si ob delectationem venereamfiat, grave evadere.

509. Superius diximus, *centra nervea*, quae actibus generationis praesident, inveniri in regione lumborum medullae spinalis, quod modernis experimentis certo constat; tamen etiam antiqui medici hoc tenebant; nam Hippocrates, ex characteribus illorum, qui abutebantur usu matrimonii aut quomodocumque voluptatibus

carnis nimis indulgebant, haec centra in medulla spinali regionis dorsalis ponebat. Doctor Gall, auctor celebris *systematis phrenologici* sive *phrenologiae*, qui ex propriis observationibus et studiis de cerebro, invenisse putavit constantes relationes inter nonnullas partes cerebri melius evolutas et quasdam facultates, ita ut ex adspectu calvariae vel ex forma externa cerebri nosci possent inclinationes morales hominis, centra genitalia in cerebello reposuit. Et re quidem vera, plures observationes ita esse confirmare videbantur; vulnera enim et affectiones huius organi impotentiam ad generationem afferebant; ablatio testiculorum animalium eius evolutionem impediebat; ex quo factum fuit, ut multi systema Gall defendere aggressi sint.

510. *Centrum psychicum* functionum sexualium (idea, impulsus) est in cortice cerebri, probabiliter prope centrum olfactorium. Ipsum actionem exercet in organa generationis, excitando vel inhibendo eorum functiones per *centrum* nervorum erigentium (*centrum erectionis*) et per *centrum iaculationis*, quae centra ambo inveniuntur in medulla lumbari in loco quartae vertebrae [1]; ipsa centra vero actionem exercent per primos quatuor nervos sacrales. Cerebrum fungitur vel per stimulos centrales (psychicos vel organicos) vel per stimulos periphaericos, qui ortum ducunt ex organis genitalibus et transmittuntur ad centra cerebralia.

Functio vero sexualis potest etiam locum habere ob actionem tantum centrorum spinalium, si haec directe vel reflexe excitentur.

511. Ex hoc deducitur, voluntatem directe nihil posse in organis generationis, nisi per medullam spinalem. Quare, si haec medulla ob aliquam causam excitata sit, puta ob vulnera, pressiones etc., organa genitalia pariter excitari possunt, quin voluntas impedire valeat; item si hoc organum ob aliquam causam, ex. gr., magnam debilitationem, degenerationem medullae etc., nimis debilitetur, excitatio genitalium potest non fieri, etiamsi voluntas hanc vellet; ex hoc saepe, ob abusus, impotentia obtinet. Excitatio genitalium insuper omnino abesse potest, si medulla spinalis non amplius cum cerebro comunicationem retinet.

512. Cum vero omnes sensationes, cuiuscumque generis, sive ad medullam spinalem, sive ad encephalum perveniant, percipiuntur in cerebro seu in eius cortice, patet primas sensationes, quae, ob elaborationem glandularum genitalium tempore pubertatis, oriuntur,

---

1 Cfr. Garnier, *Onanisme* etc., 9ª edit., pag. 31 et ss., Landois, *Op. cit.*, P. II, pag. 753 et quodlibet physiologiae opus.

mediante cerebro, percipi, et item ideas turpes, quae plures causas habent, ob phantasmata, quae excitant, per medullam spinalem, centra sexualia excitare; quod quidem constituit strictam relationem inter organa genitalia et cerebrum et versa vice.

513. Ex dictis sequitur excitationem genitalium *indirecte* fieri posse etiam per laesiones in cerebro, ut ex morbis huius organi coniicitur; et *directe* per morbos ipsos medullae spinalis regionis lumbaris, uti fit in tabe dorsali et myelite generali.

514. Excitatio centri erectionis etiam per *actionem reflexam* produci potest, ut diximus, quod evenit ob irritationem nervorum genitalium, ob irritationem uretrae (ex. gr. in gonorrhaea), intestini recti (ex praesentia vermiculorum, haemorrhoidarum), vel vesiculae urinariae (ob eius repletionem, praesertim mane, ob calculos), ob abundantiam seminis et plures alias causas, quae aliquo modo in hoc centrum agunt. Irritatio etiam glandulae prostaticae (prostatites) centrum erectionis irritat.

515. Alia denique causa excitationis sexualis reposita est in verberibus in anum, in flagellationibus aut actibus similibus. Notum est enim pueros saepe primos sexuales motus experiri, cum hisce punitionibus subiiciuntur, et illos, qui, causa praecedentis abusus, sexualem excitationem amiserunt, flagellationes in regione lumbosum, vel punctiones et alia huiusmodi sibi procurare, ut infirmus robur sexualis reappareat.

516. Notandum dein est, sensibilitatem nerveam non eamdem esse apud singulas personas, cum in nonnullis maxima, in ceteris minima sit, adeo ut in primo casu quaevis levis causa excitationem nervorum adducat, in altero vero casu ad hanc excitationem obtinendam maior causa requiratur. Atonia nervorum, h. e. defectus sensibilitatis nerveae et praesertim centri erectionis, frigiditatem tam viris quam feminis adducit, eo modo quo excessiva sensibilitas, quae et per abusus carnales contrahi potest, magnam excitationem genitalium ac caliditatem fert. Dum excitatio locum habet, medulla spinalis ac cerebrum maiore sanguinis copia irrigantur, congestione ac irritatione laborare incipiunt, quae mentem et voluntatem debilitare possunt.

517. Ex dictis etiam patet morbos fere innumeros, qui ex his vitiis oriuntur, in viro non esse tantum repetendos ex emissione seminis, quod frustratur, quia tunc in mulieribus, quae nullum semen et nihil huic simile emittunt, in eunuchis et impuberibus ipsi morbi

abessent, quod falsum est; sed ex magna perturbatione et immutatione totius nervei systematis, quae destructionem corporis paullatim secum fert. Certo perditio seminis maxime confert ad augendas infirmitates. Et, cum affectiones, quae sequuntur, eo magis evadant graves, quo maior est sensibilitas nervea, ita abusus sexuales maiores ac graviores morbos mulieribus afferunt, quae sensibiliores natura sunt.

CAPUT II.

DE CAUSIS ACTUUM CARNALIUM

518. Causae [1] vel occasiones, quae hominem ducunt ad foedissimos actus carnales perpetrando, plurimae sunt; ex quibus nonnullae a mundo externo proveniunt, nonnullae vero a statu particulari organismi. Hinc has causas distinguimus 1° in *causas externas* et 2° in *causas internas*. De harum praecipuis agemus, quarum cognitio perutilis in praxi est.

519. *De causis externis.* — Causas seu occasiones *externas* appellamus omnes illas, quae exstant extra individuum, quae quocumque modo systema nerveum excitent, etiam centra genitalia irritant ac proinde motus sexuales afferunt, quibus voluntas saepe acquiescit. Praecipuae et frequentiores sunt sequentes, pro utroque sexu:

520. *Mala exempla*, quae influunt in omnes et potissimum in pueros ac puellas, praesertim viva imaginatione ac ingenii acuitate praeditos. Ex causis externis haec potior est et ruina tot hominum. Haec mala exempla inveniuntur in locis, in quibus multi colliguntur; frequentissima enim sunt in scholis, collegiis utriusque sexus, carceribus, opificiis, officinis. Mala exempla saepe coniunguntur cum sermonibus ac lectionibus impudicis, cum adspectu imaginum turpium, adeo minutarum, ut lens amplificans magnas reddat; quae obiecta, cum satis parva sint, facillime celantur et clam venduntur; nonnulla possunt continere etiam duas et triginta figuras; adde etiam cartas aleatorias diaphanas, quas Germania et Belgium huc illuc transmittit, figuras idem turpes velantes, aspectum coitus inter animalia, prae-

[1] Cfr. Garnier P., *Onanisme* etc., pag. 89 et ss. et Aa. infra citatos.

sertim ruri, picturas obscoenas, quaedam loca musices et repraesentationes theatrales, quae totum systema nerveum et phantasiam omnium excitant. Aliquando causa criminum sunt ipsi praeceptores ac nutrices; notum est enim pluries magistros corruptores fuisse suorum discipulorum, quique, ad poenalia tribunalia traducti, sui infandissimi sceleris poenam luerunt, et nutrices, frequentissime, causa sedandi quaestus et fletus puerorum, eorum organa genitalia titillasse aut suxisse, quorum excitatio quietem adducebat, causa voluptatis secutae. Quod de nutricibus dicitur, aliquando et de matribus dicendum eadem ratione; saepissime idem locum habet quoad domesticos, qui sunt saepe veri ac multiformes corruptores, quoad ancillas et generatim quoad illos, qui aliquo modo iuvenum curam habent. Etiam in statu matrimoniali sufficit ut unus coniugum abusus carnales noscat, et facillime alius discet, et ita pro his matrimonium est vita continuata horribiliüm peccatorum.

In magnis civitatibus, praeterea, praeter domus meretricias, adsunt etiam domus virorum ad omnia crimina carnalia cuiuscumque generis perpetranda; in his scholae sunt, in quibus iuvenes instituuntur ut maxima possibili voluptate libidini satisfaciant. Hae domus occulte tenentur et eorum frequentatores statutis signis utuntur ita, ut possint ceteros asseclas aliorum locorum facilius cognoscere; verae societates sunt omnino diabolicae. Quid in illis domibus agitur, vix credibile videretur, nisi facta certa testarentur [1].

In locis vero, uti sunt opificia, officinae, publica officia etc., in quibus personae diversi sexus commiscentur, fere semper verae officinae impudicitiarum sunt cum omnibus gradibus luxuriae exquisitae. Saepe et in familiis, ob nimiam libertatem vestiendi, praesertim tempore aestivo, loquendi, vel ob nimias affectus significationes, ut oscula, amplexus, praesertim inter fratres et sorores, vitia obscaena addiscuntur; in familiis vero pauperioribus, ob miseriam, frequentissime in eodem lecto iuvenes mares et feminae dormiunt simul cum parentibus; ex hac nimia familiaritate et contactu mansturbatio et incestus cum omnibus suis consectariis saepe notantur.

Ad haec omnia si addantur omnes libri valde perniciosi cuiuscumque generis, diurnalia lasciva, imagines turpes, quae publice

---

[1] Quod videri potest apud Aa., qui de hac re tractant et qui plures casus exponunt pessimorum consectariorum, quae tum corporis valetudini tum spiritui orta sunt.

venditantur, saltationes nimis excitantes, consuetudines ac visitationes liberae utriusque sexus, scholae ipsae, praesertim universitatum, et tot aliae causae vitiorum, quae passim prae oculis sunt, facile intelligitur quanto studio, diligentia et cura speciali circumdari debeant praesertim iuvenes, ut in tanto diluvio pessimarum occasionum immaculati se custodiant.

Neque hoc satis; in magnis civitatibus, ubi domus virilis libidinis sunt, ut iam diximus, et quae multae sunt, invitantur pueri ac iuvenes, praesertim pauperiores aut eiusdem indolis, qui, mediante pecunia eis tributa, ad melius explendam libidinem aliis inserviant, comminatis insuper gravibus poenis, si quid proferant, quod eorum praxim patefaciat. Quot gravium ac nefandorum criminum causa hoc sit, nemo est qui non videt.

In statu vero vitae coniugalis, cum coniuges nolint amplius generationi providere, praeter onanismum proprie dictum, libidini satisfit omnibus formis turpioribus.

Si plura velimus afferre, ex quibus homo et, modo speciali, adolescens utriusque sexus, facile ad venerea perpetranda occasionem habet, complures paginas oporteret exarare. Tamen ex dictis liquet, quantum parentes, amici, praeceptores, domestici, domini officinarum incumbere debeant, ne mala exempla et occasiones peccandi oriantur; haec peccata carnalia incredibile est quam facillime contrahantur et efficiant, ut omnes gradus percurrantur usque ad senectutem, si hanc quis consequatur; et consuetudo semel contracta, absque speciali Dei gratia et forti subiecti voluntate, non facile nec cito dimittitur. Peculiari vigilantia prosequi oportet adolescentes utriusque sexus tempore pubertatis, cum vitia, de quibus agimus, nisi iam per exempla aut aliter contraxerint, hoc tempore speciali modo acquirunt, in quo excitationes sexuales naturaliter ortum habent. Ad memoriam revocandum, raro adolescentes sponte haec vitia addiscere; eorum socii plerumque illos docent. Natura puerilis ita est per se constituta ut, optimo ac christiano praeceptore duce, viam rectam ac immaculatam non difficile arripere ac servare possit. In collegiis utriusque sexus et locis similibus, superiores quam maxime vigilent et necessarias notiones physiologicas sciant, ut statim ac vitium serpere noverint, illud eradicare valeant; eo magis, quod tam facile ac rapide contagiosum evadit et loca electa educationis, studii ac pietatis in veros conventus impudicitiae converti possunt. His in adiunctis etiam regulae hygienicae omnino necessariae sunt.

521. *Otium.* — Hoc esse patrem omnium vitiorum omnes norunt; addimus esse potissimum patrem vitiorum carnis. Quum enim mens nulla occupatione utili tenetur et corpus pigrescit, saepe turpes cogitationes oriuntur et organa genitalia, sive ob immunditias ibi collectas, sive ob naturalem eorum robur, excitantur; quod causa saepissime est vitia consummandi. Ad haec maxime conferunt variae diei horae, praesertim quae statim prandium sequuntur, vel dum, lecto iacendo, absque somno, calor auctus regionis dorsalis genitalia excitat; accedit etiam quod, post prandium et coenam, tempore otii, nova corporis vis ob nutrimentum et repletio vesiculae urinariae valde inserviunt ad sexuales irritationes inducendas, quae phantasiam ad lasciviam movere valent. Hinc nunquam satis commendantur occupatio mentis, exercitationes physicae corporis, studium mentem alio distrahendi et omnia illa exercitia, quae animum optimis recreationibus occupant, praesertim in locis, ubi iuvenes colliguntur. Semper memoriae tenendum, ubi non est otium, peccata huiusmodi plerumque abesse, ubi vero otium, peccata praedicta numquam abesse.

522. *Praxis* ipsa aliquando nonnullorum confessariorum, qui, bona fide, in materia de sexto, multis et non semper prudentibus interrogationibus poenitentes, praesertim pueros puellasque, aggrediuntur, non semel causa fuit, cur poenitentes peccata didicerint, quae antea ignorabant et postea in praxim reduxerunt. Confessarius in hac materia, quoad iuvenes utriusque sexus, contentus sit scire quoties contra modestiam peccaverint, et, nisi aliqua gravis ratio adsit, ab interrogationibus abstineat. Optime docent theologi, quoad haec peccata, praesertim cum agitur de pueris et puellis, melius esse integritati confessionis deficere, quam periculum incurrere eos malitiam docendi. Pessima atque penitus abominabilis est praxis interrogandi, ex. gr., an peccatum confessum hoc vel hoc modo patratum sit, an obiectis, manibus vel aliqua quacumque re. Quomodocumque patratum sit, peccatum eamdem speciem retinet. Poterit potius interrogare an aliquis viderit eos peccantes. Eo magis dicta regula observanda, quia pueri et puellae in his peccatis nihil aliud ordinarie agnoscunt, nisi quamdam indecentiam; et confessarius optime muneri suo fungetur, si studeat eos haec peccata abhorrere et modestiam in omnibus diligere et servare; suggerat has actiones quam maxime displicere Deo, B. Virgini ac eorum Angelis custodibus, qui eos semper comitantur; has immunditias, quas nunquam ipsi commissuri essent coram parentibus aut magistris, multo minus

committere deberè ante Deum, qui ubique eos videt; Deum punire illos, qui haec peragunt, etiam in hac vita, per infirmitates, mortem et alia huiusmodi; indulgentes his vitiis suam valetudinem abiicere, ac mortem praematuram saepissime sibi parare etc. Multae huiusmodi considerationes fieri possunt, quae horrorem ac odium ad haec peccata inducere valent. Materia de sexto, quae frequentissima in praxi est, delicatissima item est, et maximam prudentiam postulat ex parte confessarii, qui numquam se ostendere debet curiosus in huius investigatione. Poenitentes aliquando fastidiunt confessarium de hac re nimis scrutantem et possunt etiam a confessione abstinere. Confessarius recordetur poenitentes optime se confiteri, quum, quidquid egerint, meliori quo modo possunt, exponunt, et, cum cognoscat illos iam examen fecisse iuxta suam capacitatem, raro opus esse eos interrogare. Cum poenitentibus vero adultis, quibus aliquae interrogationes de hac re necessariae esse possunt, eas peragat, remota omnino qualibet curiositate, immo cum indifferentia et quantum opus est. (Ad plura de hac re cognoscenda v. Aa. et praesertim Frassinetti, *Comp. di Teol. morale di S. Alfonso* 7ª ed. p. 644 et 534, n. 15 et alibi).

Notandum insuper, aliquando mulieres, praesertim iuvenes et hystericas, quae in confessarium nimis de hac re curiosum forte inciderunt, eum frequenter adire posse, praetextu quidem confessionis, sed re ut sexualibus delectationibus fruantur, quas ex talibus confessionibus experiuntur. Ita tribunal poenitentiae in locum abominabilem convertitur. Hoc fieri potest etiam quin confessarius id advertat, immo dum quaerit suo muneri, meliori quo modo potest, satisfacere. Maxima cautela et vigilantia oportet muniri confessarium, ne ipse in hisce casibus incidat in laqueum diaboli et ne, per imprudentia verba, occasionem praebeat denuntiationem patiendi ob sollicitationem.

523. *Solitudo.* — Magnum fomentum ac fautrix impudicitiarum est solitudo et maxima peccatorum pars in solitudine perpetrantur. Vir aut mulier impudici, cuiuscumque aetatis, solitudinem omni studio quaerunt. Frequenter in locis, ubi iuvenes instituuntur, superiores ipsi, saepe, causa eos puniendi ob aliquem defectum, in aliquo cubiculo iuvenem includunt; nonagies forsitan super centies, haec ratio punitionis vitia gignit vel auget. In carceribus, in poenitentiariis, in conventibus mentis captorum, ubi unusquisque solitariam vitam degit, vitia carnalia solitaria omnis generis committuntur. Agri-

colae, ruri viventes, pastores ac custodes animalium, qui diu soli manent ad vigilandum pecudes sibi commissas, excitati a coitu vel adspectu eorum genitalium, solitariis aut bestialitatis peccatis vacant.

Haec solitudo in collegiis numquam permitti deberet; et solitudinem quaerentes plerumque ut suspecti habendi ac ut tales diligentius vigilandi sunt.

In vita matrimoniali haec vitia saepissime committuntur ob absentiam aut mortem alterius coniugis, cum desideria carnalia orta licite satisfieri non amplius possint.

524. *Natura ipsa ciborum,* quibus vescimur, multum influit in motus sensuales excitandos. Generatim loquendo affirmari potest, cibos satis nutrientes ac excitantes, uti usus diuturnus drogarum, crustaceorum, piscium, ostrearum etc., erectiones sexuales producere, et cibos quidem nutrientes, at tonicos, adversari hisce excitationibus. Ratio ciborum mixta satis est commendanda; pro iuvenibus usus coffei et liquorum alcool continentium auferatur; vini minima sit quantitas, dummodo ratio valetudinis contrarium requirat; aquae thermales sulfureae maxime excitant. In collegiis utriusque sexus, aliisque huiusmodi locis raro cibi excitantes apponuntur; quod quidem multum confert ad compescendos motus carnis.

525. *Nonnulla anni tempora,* quibus totum corpus se reficere et maiores vires acquirere videtur, h. e. ver et aestas, etiam ad excitandam venerem valde conferunt. Ex tabulis statisticis, ad hoc in Europa confectis, notatur maiorem numerum fecundationum, ex natis desumptarum, hoc tempore fieri, et ex statisticis tribunalium constat item, hoc tempore praesertim, numero plura crimina contra pudorem perpetrari; item videntur pollutiones diurnas et nymphomaniam tempore verno augeri. Hinc sequitur, in collegiis utriusque sexus, hoc tempore distrahendas esse has naturales excitationes utendo cibis mixtis, ambulationibus, balneis frigidis aut leviter calidis, ludibus honestis etc. Notum insuper est in regionibus intertropicalibus, in quibus annuus calor maximus est, homines maxime ad venerea allici.

526. *Alia causa* potissima criminum carnalium est *ratio institutionis* nostrae iuventutis in scholis publicis, tum secundariis, tum Universitatum. Omnes fere disciplinae, modo speciali scientiae naturales et medicina, a doctoribus saepe atheis et materialistis iuventuti traduntur. Solum materia vi praedita, legesque naturales, sive organicae sive inorganicae, admittuntur cum aeternitate mundi eius-

que legum; animam humanam affirmant non esse aliquid a corpore distinctum, sed ita illi coniunctam velut vis quaedam, quae tanto tempore perdurat, quo corpus vivit; hoc resoluto per mortem, nihil amplius superest; manifestationes psychicas esse velut quasdam cerebri functiones vel secretiones, ut urina et saliva; finem unicum hominis super terram esse generationi providere, ut in ceteris animalibus; necessitates sexuales satisfaciendas esse eo modo, quo gratior evadit voluptas et cavere pericula infectionem syphilicam et ceteros morbos contrahendi. Et ita progredi possemus, nisi hi conceptus ac ratio studiorum satis innotescerent. Diluvium librorum, has aliasque similes theorias defendentium, ubique venales prostant. Iuvenes, qui hac doctrina instituuntur, quo amore vitam diligere possunt? Absque Deo, religione et pietate, quae vitia ac instinctus sexuales compescunt, omnia crimina possibilia evadunt. Visita hospitalia pro syphiliticis, carceres, tribunalia; consule medicos, lege eorum relationes de hac re, et videbis quod crimina, quot desolationes. Inquire causas; in lectionibus auditis in scholis, in libris pessimis, in diurnalibus turpibus, in actione modernae institutionis iuventutis plerumque rationem invenies. Quid amplius? Nonne adsunt libri de scientia sociali, qui docent, cum quis non possit se continere, mulieres adeundas et media etiam indicari ne syphilis contrahatur? Nonne, paucis abhinc annis, Berolini liber editus fuit, in quo, sine limite, proclamatur commixtio sexuum, permittuntur libera commercia inter fratres et sorores, plena satisfactio libidinis quomodocumque et ubique? Nonne clam venditantur etiam libri peiores, modos ipsos pertractantes, quibus maior voluptas haberi possit? Qui publicas scholas adit, qui huius generis literaturam sequitur, plene noscit quanta vis perversionis in moderna institutione iuventutis resideat. Miramur valde quomodo civilia gubernia has calamitates praetergrediantur et liberam editionem turpium horum librorum permittant.

Neque hoc satis; matrimonia saepe, ob theorias positivismi nunc vigentes, ad hoc fiunt ut generatio impediatur et libido tantum satisfiat. Huc revocanda est influentia theoriae Malthusianae, etsi pluries ab egregiis auctoribus confutata fuerit. Malthus enim demonstrasse opinatur, ex appositis statisticis, disproportionem nimis grandem adesse inter fructus terrae et numerum natorum, et, dum productionem terrae arithmetica progressione procedit, numerum filiorum progressione geometrica progredi, videlicet, dum terra

fructus gignit, qui inter se sunt ut 1, 2, 3, 4, etc., filiorum numeri inter se sunt ut 1, 2, 4, 8, etc.; ex quo fit, ut, cum natorum numerus 8 erit, quatuor absque cibo manebunt. Hinc malthusiani docuerunt productionem terrae augendam esse, filiorum vero numerum minuendum. Hac ratione, ad vitandam generationem, peccata etiam foedissima patrantur a solutis et coniugatis. Quamplurimi libri de scientia sociali principium malthusianum maxime commendant et prostitutionem, necessariis adhibitis cautelis, favent. At notandum est americanum H. Everett demonstrare, dum natorum numerus est ut 1, 2, 4, 8, fructus terrae augeri ut 1, 10, 100, 1000 [1], quod quidem penitus evertit thesim malthusianam.

Praxis ipsa nonnullorum parentum, qui hoc tempore magnae corruptionis, sub praetextu praeservandi filios a vitiis carnis, eos docent, quae necessario ignorare deberent, laethalis pro eis evadit, quia iuvenilis indoles ad has voluptates consequendas naturaliter fertur, quas, cum semel illas didicerint, facillime in praxim reducunt.

Quis potest dicere quot mala tot libri, ad hoc conscripti, in Italia et Gallia iuvenibus attulerint? Si adulti etiam, eos volvendo, graves commotiones ac tentationes patiuntur, quid de adolescentibus, quid de puellis? Parentes christiani numquam permittant hosce libros suam domum ingredi; corruptio animae et corporis suorum filiorum difficile deerit. Confessarii et concionatores maxime studeant parentes hortari, ut, non tantum intellectualem, sed etiam christianam institutionem filiis praebeant; de his enim gravissima ipsis reddenda est ratio apud Deum. Parentes ipsi saepe, ob inanes causas, occasiones sunt ruinae suorum filiorum.

527. Ex causis externis horum actuum, *nonnullae aliae* addendae, quae plerumque tantum *subiective* accipiendae sunt, hoc sensu, scilicet, quod non in omnes eodem modo agunt, quamvis numquam absque periculo evadant. Nonnullae exercitationes enim sunt, quae maxime genitalia excitant, ex quibus mala, quae lugemus, oriuntur; inter quas, saltationes, equitatio et motus per curricula (*velocipedi, biciclette*). Hae exercitationes graviores afferunt effectus mulieribus quam viris; mulieres insuper aliquando in curriculis cursitant, ut veneream voluptatem capiant; saltatio enim

---

[1] Cantù, *Stor. Univ.*, Lib. XIX, edit. 10ª, tom. 12, Malthus, pag. 219, in nota.

congestionem adducit in utero; equitatio nates quassat ac confricationes in genitalibus affert; currícula, ob motus crurum, maiorem confricationem in genitalibus inducit cum congestione, erectione et voluptate.

Deinde notandae sunt *machinae ad suendum*, quae pede moventur, quibus plurimae mulieres libenter ad satisfaciendam voluptatem utuntur; motus enim pedum transmittitur parti inferiori ventris et causat etiam plenam satisfactionem cum omnibus suis effectibus; ex hoc saepe oritur fluxus leuchorrheicus tam frequens in mulieribus, his machinis utentibus. In opificiis, in quibus plures mulieres et praesertim puellae colliguntur ad vestes suendas, in toto corpore apparent huiusmodi effectus et adeo frequens et communis est casus, ut sociae ipsae et directrix opificii nihili amplius faciant.

Etiam in domibus privatis hoc fieri potest. Hinc consilium dare oportet, ubi casus adest, ut ad suendum machinae manu movendae habeantur, et valde optandum ut in praefatis opificiis machina adhibeatur, quae omnes machinas moveat, quod maxime conferret ad sanitatem tum corporis tum animae tot mulierum.

528. Ubique praeterea est *consuetudo* sponsos, causa ineundi matrimonium, sponsam frequenter adire. Hae visitationes, quae si fiant debita cautela et morum custodia, nullo modo sunt damnandae, immo sunt necessariae, in praxi frequentissime evadunt nimis periculosae ob malos effectos ex illis provenientes, quum diligentia ex parte parentum abest, quia plura turpia frequenter oriuntur.

Hic notandum, quod parentes saepe adeo nimia bona fide versantur, ut iuvenes sponsos fere impeccabiles putent; ex quo saepe studium vigilandi ita negligunt, ut aliquando etiam solos omnino relinquant, licet per breve tempus, quantum scilicet sufficit ad peccandum. Omnino vero reprobandi et valde arguendi sunt huiusmodi parentes et praesertim matres, quae, velut consuetudine aut inani ratione ductae, futuros sponsos solos deserunt; ex quo non raro fit, ut matrimonium ante tempus contrahi oporteat ob praegnationem secutam.

Confessarius igitur nunquam satis commendabit matribus, ut filias solas cum sponsis numquam relinquant et non nimis fidei christianae aut bonis moribus sponsorum credant. In his rebus omnes sunt pares, cum idem instinctus sexualis in omnibus exsistat. Non raro parentes culpas sponsorum deflent ob propriam negligentiam in vigilando.

529. Aliquando fit etiam ut mulieres, cuiuscumque aetatis, ob vitia carnalia, praesertim solitaria, aut alias causas, irritationes ac inflammationes vaginae patiantur, ad quas arcendas, vaginales ablutiones cum certis aquis adstringentibus peragere coguntur. Saepissime canaliculo instrumenti utuntur ad simulandum coitum et satisfactionem capiendam. Consiliandae, ubi casus fuerit, sunt matres, ut filias, has lotiones agentes, solas non relinquant, aut clam invigilent. Mulieri ipsi, de hoc se accusanti in confessione, confessarius adhortetur ut rite et cito has lotiones agat, si vere necessariae sunt et numquam ad coitus simulationem, quia, praeter peccatum, inflammatio ac irritatio localis adeo augetur, ut postea medici aut chirurgi manus et operationes pati debeat.

530. Nonnulli insuper quibusdam substantiis narcoticis utuntur, quae producunt somnia turpia, ut voluptate venerea fruantur; tales substantiae sunt morphina, liquida multum alcoolica, liquor *haschisch* appellatus ex cannabe indica confectus, opium etc.

531. *Aliae causae,* quae valde inserviunt ad sexuales excitationes inducendas, sunt: diu sedere, lecto cubare supine, cum hi status congestiones afferant in medulla spinali, gestare vestimenta nimis angusta, quae in motu confricationes in genitalibus inducunt etc. Hinc, qui diu sedere solent, praesertim pueri et puellae, optime agent, si surgant et ambulent per pauca minuta unaquaque hora.

532. *De causis internis.* — Causas *internas* appellamus omnes illas, quae in organismo humano sedem habent, et excitationem centrorum generationis cum relativis effectibus afferre valent, in quibus saepe vitiorum carnalium origo invenitur. Quarum nonnullae cum sint in subiecto physiologice sano, nonnullae vero in subiecto aliquo morbo affecto, cuius causa ad carnalia plus minus fertur aut quadam vi impellitur, ita causae internae distingui possunt 1°: in *causas physiologicas* et 2° in *causas morbosas seu pathologicas.* Duplex hic ordo causarum potest tantum *sedem localem,* h. e. genitalium, habere, vel *generalem,* prout scilicet in toto corpore et praesertim in systemate nerveo sunt. Notamus insuper harum causarum cognitionem maximi momenti esse, cum nonnullos actus, per se malos, in tali subiecto non procedere semper et aliquando numquam a mala voluntate, satis causae ipsae ostendunt. Etsi vero nonnullae causae pathologicae ad medicum spectent, tamen perutile est eas cognoscere, ut quid in praxi consulendum sit, clarius liqueat. Quae sequuntur pro utroque sexu valent, nisi aliter notetur.

533. *De causis localibus.* — Omnes hae causae in subiecto observantur, quarum sedes sunt organa ipsa genitalia aut quaevis alia pars corporis plus minus limitata. Potiores sunt sequentes:

534. Causa potissima est *absentia curae genitalium.* Nam haec organa, sive ob positionem, sive a fortiori ob proprias functiones (in viro urina, sudor etc., in muliere item urina et sudor et menstrua) facillime inquinantur; *smegma,* ipsum, ut supra diximus, paullatim immutatur et quamdam acritudinem acquirit, quae has partes valde irritat. Ex quo consequitur virum et mulierem, causa pruritum sedandi, facilius cognoscere voluptatem et modum ea fruendi. Sanguis menstruus, qui in vagina post menstrua manet, nisi per ablutiones removeatur, item immutatur et easdem consequentias affert. Haec organa diligentia speciali indigent, praesertim in pueris et in puellis, qua neglecta, non pauca mala seu vitia facile ortum ducunt. Lotiones debent esse valde breves et effectae cum aqua communi simplici, ordinarie frigida, vel sapone commixta; quae non tantum inquinamenta, sed etiam excessivum calorem, qui semper in his organis facile augetur, auferre valent. Attamen quaedam methodus in his lotionibus adhibenda est; ablutio genitalium in viro fieri debet absente erectione, quia tunc retrahi ac abstergi facile et cito possunt praeputium et corona glandis; levis erectio, quae aliquando sequitur, nihili est facienda. Abstersio vero aquae, quae his partibus adhaeret, valde caute est facienda, apponendo, supra, pannum linaceum, ne periculum pollutionis habeatur; quod periculum omnino abest, si ante lotionem membrum fortiter coarctetur per digitos prope basim, et coarctatio continuatur usque ad abstersionem perfectam; coarctatio enim impedit affluxum sanguinis ac ideo erectionem. — Oportet mulieres lotiones externas agere, utendo panniculo valde levi et numquam debent abstergere per confricationes, sed tantum apponendo pannum et leviter manu illum comprimendo pluries, donec abstersio sit totalis; quia alias, scilicet confricando, augetur organorum calor et irritatio cum periculo proximo voluptati consensus.

Has lotiones agendo, bene semper erit mentem Deo elevare ac aliquam piam precem recitare, praesertim pro personis, quae timoratae conscientiae sunt, et protestationem elicere, quod haec fiunt tantum necessitatis causa; valde confert etiam animum alio distrahere aut aliquid canere.

Haec praxis maxime matribus est commendanda pro suis filia-

bus, quia, tempore pubertatis et quoties recurrant menstrua, mulierum genitalia periodicam excitationem patiuntur, quae saepe est causa mansturbationis.

535. In genitalibus femineis frequenter plures *vegetationes* oriuntur, scilicet in ore vaginae, in meatu urinario et in vulva, quae pruritum inducunt; item haud raro haemorrhagia, inflammatio glandularum vulvo-vaginalium et praesertim vulvae (vulvites) observatur. Hic postremus morbus adeo irritans est, ut mulieres, ad sedandum pruritum, naturaliter et quodam velut instinctu manus afferant ad genitalia, donec, ut ait dr. Guerin [1], illa vitia addiscant, quae saepe ne per matrimonium quidem removentur. Vulvites, quae *axillaria* dicitur, absolute terribilis est mulieribus; pruritus enim maximus est et erectio continua, ita ut mulieres, etiam coram aliis, confricare has partes cogantur, et, cum solae sint, masturbationi vehementi operam dant absque ullo pudore; ex complexu characterum, quos tunc praebent, nonnulla indicia notantur nymphomaniae. — Etiam repletio vesiculae urinariae excitationem adducit, quae facile ad venerea iuvenes utriusque sexus adducit. Hinc reprobanda est ratio nonnullorum institutorum, qui, praesertim post prandium, iuvenes impediunt, quominus suis necessitatibus satisfaciant; periculosior haec praxis evadit autumno, hieme et vere, quam aestate ob absentiam sudoris et minutam transpirationem pellis.

Nonnullae pellis affectiones ac genitalium mucosae in mulieribus eumdem effectum afferunt; aliquando etiam affectiones non locales, ut scabies, prurigo ipsa, eczema, insuper et arthritis, et scrophula, secretiones immutando, pruritum aliquando vehementem in genitalibus saepissime adducunt; hunc pruritum, rarius quidem, etiam hallucinationes et nymphomania sequuntur.

536. Aliquando *anomaliae clytoridis,* et casus omnes hermafroditismi, vitia omnia sexualia afferunt, eodem modo, quo absentia aut obstructio vaginae; in mulieribus, postremo hoc defectu laborantibus, sensus venereus non abest, et, cum non possint matrimonium inire, vitia carnalia committunt.

Herpes ipsa genitalium eosdem effectus ac vulvites adducit. Vegetationes, ulcera colli uterini morbique uteri, ut cancer, ob pruritum, ad noscendum et explendum vitium multum conferunt.

---

[1] Guerin *Maladies des organes genitaux externes de la femme,* pag. 259.

537. Saepissime puellae in intestino recto *vermiculos parvos, albidos,* filiformes habent, qui causa sunt magni pruritus, tum quia nonnulli ab ano exeunt et in vulvam et vaginam ingrediuntur, has partes irritando, tum quia eorum praesentia in intestino recto actiones reflexas in organis generationis excitant. Eodem modo se gerunt etiam leves genitalium inflammationes causa urinae plus minus irritantis vel sudoris; hoc in casu ablutiones frequentes necessariae sunt.

Congestiones et irritationes, quae frequenter habentur in imo ventris, cognitionem vitiorum sexualium saepe afferre valent, praesertim tempore menstrui; calculi ipsi vesiculae urinariae causa sunt, ob easdem rationes, irritationis ac pruritus.

538. Fortis excitatio sexualis cum vehementi erectione aliquando notatur, quum angina pultacea, quae morbus est pharyngis, exoritura sit; immo *quaecumque inflammatio mucosarum* potest hanc excitationem secumferre; aliquando vero dicta excitatio praecedit aut sequitur has inflammationes, ut pluries, iuxta doctores Mirambeau et Deslandes, observatum fuit. Irritatio, hoc in statu, cum erectione adeo potest esse vehemens, ut tum iuvenum tum adultorum, qui semper pii ac timorati fuere, ne masturbationi vacent, opus sit ut manus ligentur.

539. Constipationes habituales, vermiculi intestini recti, calculi vesiculae ac inflammationes genitalium etiam viris eosdem effectus gignunt.

540. Nonnuliae malae conformationes genitalium maxime attendendae sunt in viris, praesertim pueris. Phimosis primum locum tenet; urina enim, ob hunc defectum, difficile fluit et dolores ac pruritum fert et, aliquando, etiam hernias. Hoc in casu circumcisio quam cito peragi debet; alias, causa sterilitatis saepe est et plura vitia discendi. Hypospadia scrotalis, extrophia vesiculae urinariae, quae verae sunt deformitates sexus, penis nimis exiguus et herniae inguinales haec vitia saepissime inducunt. Cum enim desideria venerea non absint et hos defectus habentes nequeant matrimonium inire, vitiis carnalibus aliter indulgent. Irritationem genitalium afferunt etiam cryptorchidia et nimia evolutio membri.

541. *De causis generalibus. — Causas generales* dicimus omnes illas, quae sedem habent in qualibet parte corporis et praesertim in systemate nerveo, quarum notionem necessariam putamus non tan-

tum Confessariis in genere, sed praesertim Confessariis hospitalium, domuum salutis et mente captorum. Potiores causae sunt sequentes:

542. *Phthysis pulmonaris,* iuxta Descuret, gutta et arthritis possunt adeo vehementes irritationes ac excitationes genitalium afferre, ut, his morbis affecti, cuiuscumque excessus libidinis perpetrandi capaces evadant. Saepe vero phthysis est consequentia abusus carnalis. Hoc pro utroque sexu.

Videntur vero mulieres facilius ad venerea ferri, quum nonnullis morbis ovariorum laborent, ob magnam horum relationem cum genitalibus.

543. *Chlorosis* ipsa, cum gravis evadat, potest esse causa vitiorum et praesertim erotici delirii. Hoc obtinet etiam in morbo rabiei, ut pluries observatum fuit.

544. *Nevrosis* quaedam particularis *genitalium* est, quae observatur in iis, qui *ataxia* affecti sunt. Hic morbus consistit in immutatione medullae spinalis, quae immutatio parte inferiori incipit et paullatim totam medullam invadit; quo fit, ut crura debilia evadant, quia sensibilitas tactilis in eis minuit, aegrotans incapax sit motus musculares dirigere, nonnisi per visum; hinc, ambulando, motus fit irregularis, absque ordine; terram aspicere debet; subtus pedibus, terra ipsa mollis ac flexibilis ei videtur; quum in obscuritate aut clausis oculis progreditur, in terram decidit; ut maior sit securitas motus, vi pedes movet, modo equi aut galli. Omnia haec oriuntur ex hoc, quod, causa huius morbi, omnes musculi, qui ad motum inserviunt, non eodem tempore contrahuntur; quod omnino necessarium est ad regularitatem motus. In his aegrotis notatur etiam incontinentia urinae, pollutiones involuntariae vel anaphrodisia et *priapismus,* h. e. penis erectio continua et dolorosa. Affecti hoc morbo, qui antea Dei timorati ac modesti erant, quodam velut furore libidinis pervadi possunt. Quo fit, ut libidini satisfaciant, meretrices adeant, vel sub diu, per vias mulieres quascumque, illis occurrentes, ad libidinem provocent et actus committant, ob quos ad poenalia tribunalia saepe traduntur. Saepe hic status morbosus effectus est abusus sexualis.

Aliquando vero, et forsitan frequentissime, hunc morbum aegrotantes a parentibus, iam perversis, haereditate acceperunt. Easdem consequentias afferunt et myelites et quaecumque affectio medullae spinalis.

545. *Priapismus* etiam aliis causis adduci potest; frequentiores

sunt graves blenorrhagiae, inflammationes et calculi vesiculae, venenosa infectio per cantharides et tot aliae causae. Ad priapismum corrigendum optime indicantur subtractiones sanguinis locales, balnea frigida, clysteria emollientia, potus mucilaginei et usus canphorae. At medicus semper est consulendus.

546. *Satyriasis,* quae consistit in vehementi erectione genitalium cum vehementiori desiderio ad venerea in viro, alia nevrosis est ex irritatione medullae spinalis ortum ducens, quae ad turpissima patranda, omni neglecta decentia, aegrotos impellit. Potest considerari velut species quaedam dementiae sexualis. Saepe effectus est carnalium criminum. Potest vero oriri ex pletora coniuncta cum causis irritantibus, imaginatione vel sensibus externis valde excitatis. Morbus hic ordinarie raro observatur.

547. *Nymphomania* (furor uterinus, erotomania etc.) morbus est mulierum; consistit in vehementissima excitatione genitalium, quae nullo modo sedari potest. Vera nevrosis genitalis est. Hinc fit ut tales feminae quodlibet turpe committere valeant, nulla observata regula pudoris et locorum, publice et occulte. Hunc statum morbosum delirium partiale comitatur; adest etiam spasmus generalis aut localis, artuum lassitudo, lumborum calor, abundans urina ac muci vaginalis, celerior cordis pulsatio, dentium tremor ac sensus quidam strangulationis; interdum signa lubrica manu fiunt, verba inhonesta proferuntur et vera amentia sequi potest.

In formis morbi mitibus, hae mulieres conscientiam habent sui miserrimi status; in primis impotentes sunt dominandi impulsibus, quibus subiacent, et postea voluntas omnino amittitur, quo fit ut omnia turpia committant, quae supra diximus [1].

Nymphomaniae *causae* potiores sunt: onanismus coniugalis, quum mulier ex abrupta copula nimis excitata sit et libidinem explere nequeat, mansturbatio, praesertim quum ab adolescentia contracta fuerit, lectiones turpes, aspectus lascivi, otium, theatra, vita nimis lauta, usus cuiuscumque cibi excitantis, quaedam dispositio ad cancrum aut alios morbos uteri, qui excitationem sexualem afferunt, nonnulli morbi pellis, pruritum afferentes (lichen et prurigo, vermes intestinales, haemorroidae et usus cantharidum). Item physiologica evolutio uteri, aetas ipsa pubertatis ac menstrua nimphomaniam favere possunt ob excitationem ac congestionem sanguinis.

---

[1] Dagonet, *Traité de malad. mentales,* Paris 1894, pag. 279.

Hic status, ob quem mulier nil aliud fere quaerit, nisi carnalem satisfactionem et qui vere miserandus est, sat graves consequentias, quoad valetudinem, affert. Inflammationes enim genitalium internorum ac externorum sequuntur cum irritatione stomachi, diarrhaea, et saepe accedit cancer uteri ac uberum. Quum noscatur mulierem ob aliquam ex supra dictis causis, ad hunc morbum contrahendum praedispositam esse, nymphomania praeveniri potest, amovendo omnes causas, quae ad venerem conferunt, lassitudinem per laborem inducendo, curando ut non longo tempore et duro lecto dormiat, balneis frigidis totalibus et vegetali cibo utatur; et, si aetas sufficiens sit cum optima corporis evolutione, ad matrimonium hortetur. Optimae item evadunt sanguinis subtractiones, levia purgamenta, aquae minerales salino-acidulae, potus frigidi, applicatio ac distractio mentis, corporis labores. Omnes regulae hygienicae ac morales hic locum habent. Quum vero hic morbus progressus iam sit, difficillime vincitur. Ceterum, in hoc tam gravi morbo, semper medicus *christianus* ac *habilis*, in quantum fieri potest, consulendus est. Dicimus *christianum*, quia mulier, hoc statu morboso vexata, ardenter cupit in genitalibus inspici ac tangi, ut ex his tactibus voluptatem recipiat; et, nisi doctor vere christianus sit, gravium malorum causa esse potest, ut multa facta testantur; dicimus deinde *habilem*, quia non quilibet medicus hunc morbum curare valet eo modo, quo necesse est, sed, in quantum possibile est, *specialista*, ut dicitur, adeundus est.

Satyriasis et nymphomania pendent a morbosa immutatione cerebri, et satisfactio sexualis nullum valet ferre solamen [1].

548. Aliquando causa horum vitiorum est etiam irritatio cerebelli [2] (quae quidem cognoscitur ex sensatione cuiusdam ponderis ac caloris partis posterioris capitis) et etiam idiotismus, h. e. absentia fere totalis rationis a nativitate.

549. *Paralysis dementium progressiva* item nosci debet. Frequens hic morbus est nostra aetate inter viros, magis quam inter feminas. Apparet generatim a trigesimo usque ad quinquagesimum aetatis annum, plerumque cum symptomatibus non semper evidentibus. Prima indicia sunt: perturbationes mentis, debilitas memoriae,

---

[1] Dagonet, *Op. cit.*, pag. 279.

[2] Descuret, *Medicina delle passioni*, Milano 1855, pag. 353.

quae incerta evadit ac distracta, magna sensibilitas, capitis dolores, vertigines, loquelae ac scripturae perturbatio; scriptura enim saepe prorsus inintelligibilis fit; dein sequitur *magnitudinis delirium,* quo paralyticus magnum divitem ac immensarum possessionum dominum, aut Christum aut quid sublimius Deo ipso se putat. Multa alia symptomata semper gravia hunc morbum comitantur.

In principio morbi vis sexualis magnum robur acquirit, quae, progrediente morbo, maior etiam evadit. Hinc tales paralytici sermonibus turpibus vacant, actus impudicos cum feminis committunt, de matrimonio ineundo loquuntur, meretrices adeunt. Causa huius status morbosi, conscientia languescit, virtus moralis actionum incerta evadit; hinc seductiones, raptus, publica scandala passim accidunt; publice genitalia detegunt, mansturbationi vacant et puerorum pudorem minantur. Aliquando vero, si accessus exaltationis accedunt, paralytici stupra committere nituntur, aggrediendo per vias mulieres sibi occurrentes; publice apparent fere nudi, domus alienas invadunt, causa amplectendi filias ac ipso facto eas nubendi; aliquando vero in statu morbi magis progressi, libidinem, ferali saepe modo, publice explent.

Hic morbus semper gravissimus est et sat difficile removetur. Eius causa physica est in parte peripherica cerebri, seu in eius cortice; saepe etiam inferius h. e. in parte eius alba et in medulla spinali, quae plures immutationes prae se ferunt [1].

550. Maximi momenti, in his rebus, est etiam *epilepsia,* quae frequenter paralysim adducit. Triplicem statum comprehendit hic morbus, videlicet 1° *statum prodromicum,* 2° *statum convulsionum,* 3° *statum,* qui dicitur *coma post-epilepticum.* Primus status (*aura epileptica*), qui ceterum saepe abest, manifestatur per quaedam signa, quae sunt: mutationes sensus visionis, ob quas epilepticus obiecta nunc fieri maiora, nunc minora videt, sensus surditatis (sibilus, mugitus, aut aliquid simile), leves convulsiones brachii, capitis aut crurum, vertigines, perturbatio conscientiae etc.; qui quidem prodromus ordinarie pauca minuta perdurat. — *Alter status* comprehendit convulsiones generales totius corporis; epilepticus humi procumbit; clamorem epilepticum emittit; dentes stricte constringit; extremitates

---

[1] Cf. Strümpell, *Op. cit.*, vol. II, part. I, pag. 335 et ss., et Krafft-Ebing, *Le psicopatie sessuali,* Torino 1889, pag. 125..

extendit; respiratio suspenditur; facies in primis pallescit, postea cyanotica fit; eius musculi irregulariter contrahuntur; oculi ipsi circumferuntur; lingua spasmodice protrahitur et cito retrahitur; pupillae dilatantur, et, aliquando, hoc statu excrementa, urina et, in viris, etiam sperma emittuntur. Post haec, magna haemorrhagia in oculis, facie et aliis partibus saepe apparet. His circumstantiis, conscientia omnino deest. — Post aliquot minuta, ex hoc paroxysmo ad *tertium statum* fit gressus. Convulsiones cum profunda respiratione ac suspirio deficiunt; respiratio regularis evadit et pristinus color faciei redit; conscientia adhuc abest et somnus per plures horas succedit. Saepe vero hic status brevissimus est et infirmi quam cito convalescunt. Attamen per plures dies frequenter epileptici capitis doloribus, vertigine, quadam lassitudine ac excitatione afficiuntur.

551. Ad hunc nervorum morbum referuntur illi, qui dicuntur *status epileptoides* aut *aequivalentes epileptici*, qui consistunt in nonnullis perturbationibus psychicis, quibus fit, ut hi infirmi actus praeter ordinem ac magis varios committant; ita, ex. gr., vestimenta sua deponunt, facile furantur, in aquam se immergunt, ignem accendunt, personas aggrediuntur; adolescentes vero per cubicula currunt, omnia, quae possunt, arripiunt, et alia similia peragunt. Hoc transacto tempore et in se reversi, omnium horum memoria omnino aut fere omnino deest. Insuper in multis epilepticis excitatio sexualis maxima est, quam praesertim per mansturbationem aut paederastiam explent, stupra committunt, verba lasciva proferunt, et, brevi, quodlibet turpe, absque pudore, etiam coram ceteris, patrare sunt capaces. Tales actus committuntur etiam in *statu amentiae*, in quo item excitatio sexualis magna est, praesertim in mulieribus. His in adiunctis, stimulus carnalis vario modo manifestatur; sermones turpes enim, animi levitas, consuetudo alterius sexus, de matrimonio et scandalis sermones, calumnias amatorias in alias personas iniicere, aut religiosos impulsos ostendere, in sacris peregrinationibus comites ire, monasticum habitum induere, parochi domesticam fieri aut de propria innocentia et virginitate saepe loqui, frequentiora signa sunt. Cum vero furor amentiam comitatur, amentes ad copulam personas invitant, genitalia publice exhibent, actus obscoenos committunt, contra praesentes irritantur; saliva, urina ac stercore se inquinant; saepe deliria erotico-religiosa notantur, uti ex. gr. dictitare se Spiritus Sancti invasionem pati, puerum Iesum peperisse, effraenatae mansturbationi indulgere, et alia similia turpia perpetrare.

552. *Hysteria* nunc temporis frequentissimus morbus nervorum est et adeo varias praebet manifestationes, ut vere proteiformis appellari potuerit; etsi sat communis sit mulieribus, tamen et in viris in praesenti saepe observatur.

Cum hic morbus, in praesenti, constituat vulnus maximum medicis et confessariis, necesse est illum recte cognoscere, ut facilius quid pro praxi utile sit, iudicari possit. Hysteria oritur e nutritione valde anormali seu irregulari totius nervei systematis; et, cum hoc systema omnia corporis organa dirigat, ut rite suo muneri fungantur, ita fit, ut, ob hunc morbum, ortum ducant maximae et magis differentes manifestationes morbosae, quae consistere possunt in paralysi, in accessibus spasmicis et convulsis, in sensibilitate nervorum maxime aucta (hyperestesia), vel in sensibilitate omnino deficiente (anesthesia), vel omnia haec simul coexistere in uno eodemque subiecto possunt.

Sedes nevrosis hystericae probabilius est cortex cerebri. Ipsius functionalitas, quae iam natura (haereditas) vel via acquisita praedisposita est ad patiendas mutationes in suis functionibus, perturbatur causis occasionalibus certis, quales sunt morbi chronici (chlorosis, tabes), excitationes psychicae, morbi organorum periphaeriae, praesertim apparatus genitalis feminei (*hysterismus reflexus*), matrimonium (sterilitas in viro, incompatibilitas characterum), veneficia chronica (plumbum, hydrargirium), traumata, operationes chirurgicae, instinctus imitationis etc.

Causas, quae hysteriam ferre possunt, quaeque frequentiores et maximi momenti sunt, sequentes recensemus:

a) *Aetas*, quae a 15 ad 25 aet. ann. decurrit, praesertim in mulieribus, in quibus activitas vitalis organorum generationis eorum phantasiam perturbat et desiderium gignit maternitatis; in pueris etiam octavo anno observata fuere phaenomena hysterica.

b) *Genus seu modus vivendi;* constat enim experientia, mulieres, vitam mollem ac inertem degentes, facilius hystericas evadere, quam illas, quae activae, laboriosae, simplices sunt.

c) *Ratio educationis;* haec causa potissimi ponderis est. Cum mulier levis sit, non recta educatione physica, morali et religiosa imbuatur, facile commoventes vel excitantes romanticos libros legat, qui eius mentem, phantasiam praesertim, et cor perturbant ac agitant, mundum sibi repraesentet voluptatibus et rosis plenum, quem postea satis diversum experitur, colat vanitatem, mollem vi-

tam, amorem sui, abstineat a physicis exercitationibus, quae valde conferunt ad corroborandum nerveum systema, omnes necessarias conditiones sibi parat, ut quam cito hysteria appareat.

d) *Haereditas;* notum est etiam hunc morbum haereditate transmitti per generationem a parentibus, et matres hystericas gignere filias hystericas vel maxime ad hysteriam praedispositas.

e) *Causae omnes debilitationem physicam inducentes;* tales sunt frequentes partus, lactationes diu protractae, nimis abundantes menstruationes, nonnulli morbi debilitationem corporis ferentes, nevrasthenia, chlorosis, anemia, mansturbatio, omnesque libidinis excessus; studium ipsum praecox et excessivum, quo obligantur nunc temporis pueri et saepe puellae, affert debilitationem nervei systematis, quae praeparat postea evolutionem hysteriae.

f) *Causae* deinde accedunt, quae derivantur particulari quodam morboso statu corporis vel particulari quadam depressione spiritus, quae, data praedispositione, morbum facile oriri faciunt, quaeque sunt velut quaedam eiusdem occasiones seu causae occasionales. Primae causae sunt nonnulli morbi genitalium, quales sunt chronicus catarrhus, adeo communis in praesenti, abundantes menstruationes, prolapsus uteri eiusque deviationes, ovariorum tumores, inflammationes uteri, nonnullae particulares conformationes genitalium etc.; hysteria potest haberi etiam absente utero, ut aliquando observatum fuit. — Maximi momenti vero sunt omnes causae, quae deprimunt, affligunt, perturbant spiritum, seu malae affectiones morales, quales ex. gr. maximae displicentiae, illusiones et disillusiones vitae, matrimonia male inita, amissio fortunae familiae, mortes parentum vel filiorum, memoria ac dolor vitae anteactae immoralis, conversatio cum hystericis, subitus terror, pavor, etc.; denique, praesertim in iuvenibus, hysteria aliquando apparet absque notabili aliqua causa; quod quidem locum habet, cum ab ortu, a parentibus acceperunt praedispositionem haereditariam ad morbos nervosos; qua re tunc sufficit quaelibet communis levis causa, ut morbus appareat [1]. Dictum est etiam hysteriam causam habere in nonnullis immutationibus ovariorum et uteri; at hoc non videtur posse admitti; viri enim eidem morbo subiacent; hoc tamen admitti potest, scilicet varias affectiones ovariorum et uteri valde perturbare et deprimere spiritum; quae

[1] Cfr., de hoc, valde utile opus doctoris Conca, *Isterismo ed ipnotismo*, Napoli 1888.

perturbationes causa esse possunt hysteriae; quapropter immutationes genitalium, nonnisi indirecte, actionem habent in genesi hysteriae. Causae allatae valent tam pro viris quam pro mulieribus.

553. Ad statuendam vero *diagnosim* hysteriae, praeter causas supra citatas, oportet statuere an adsint *zonae,* quae dicuntur *hysterogenae.* Hae sunt nonnulla particularia corporis loca, quae, cum comprimantur vel excitentur, inducunt in subiecto convulsiones hystericas, vel harum cessationem. Zonae hysterogenae in omnibus hystericis inveniuntur et eorum praesentia constituit certam diagnosim hysteriae. Etsi, plus minus, possint esse in omnibus corporis partibus, tamen plerumque data loca tenent, et, pro loco occupato, distinguuntur in *cutaneas*, *subcutaneas* et *viscerales;* ex zonis visceralibus maximi momenti sunt illae uberum et ovariorum. Quarum omnium cognitio non tantum medicis necessaria est pro diagnosi statuenda, sed et pro assistentibus hos infirmos, ne renoventur accessus, etsi aliquando pressio in his locis possit ferre horum disparitionem.

554. *Symptomata* huius morbi apparent in omnibus corporis sensibus. Notatur enim maxima *sensibilitas* generalis nervorum, dolores (nevralgiae) intercostales, lumborum, uberum, capitis et coxarum; aliquando hysterici particulari dolore urenti laborant in capite, vel in eodem loco experiuntur sensum frigoris; in pluribus pellis partibus possunt apparere plura loca, quorum tactus dolorem excitat; saepe observatur etiam hyperestesia vesicae urinariae, regionis ovaricae, renum seu lumborum. *Auditus* et *loquela* possunt amitti, etiam periodice; *auditus* praesertim adeo potest sensibilis fieri, ut levissimi etiam rumores et voces ordinariae intollerabiles evadant; item dicendum de *visu*, qui ita potest sensibilis evadere, ut infirmi ne lucem quidem diei vel candelae pati possint. Sensus *odoratus* easdem mutationes patitur; hysterici enim possunt etiam longinquas personas (plurib. metris), odores etiam tenuissimos ferentes, plene advertere; praeterea, hic sensus saepe secum fert nonnullas mutationes in subiecto; hysterici enim gaudent de odoribus, qui foetent, ex. gr. de valeriana, assa foetida, pilis, plumis vel unguibus combustis, odoresque suaves, ut rosas, violas, aquas odorosas, omnino fastidiunt ac repellunt.

Hanc tam exquisitam sensibilitatem nervorum (hyperestesia) potest sequi *totalis* absentia sensibilitatis (*anesthesia*); ob hoc fit, ut hysterici nullum dolorem percipiant ex ferro rubefacto vel ex quacumque alia causa, quae esset pro sanis omnino intollerabilis; haec anesthesia aliquando invadit totum corpus aut nonnullas partes, aliquando

tantum mediam partem corporis, quae potest esse dextera vel sinistra (*hemianesthesia*).

Respiratio ipsa saepe graviter patitur; notantur enim asthma hystericum, tussis vehemens, quae latratum canis simulat, raucedo, absentia vocis (*aphonia*), singultus, dolores spasmici glottidis etc.

Etiam *circulatio* sanguinis, ob anomalias fungendi totius nervei systematis, immutatur; frequenter enim fit, ut in corpore variae appareant maculae rubrae, plus minus latae et diffusae, pars aliqua corporis magis calida sit quam ceterae, ex. gr. manus prae altera vel dimidia pars corporis prae cetero corpore; aliquando sudor ipse in nonnullis partibus corporis abbundat, dum in ceteris omnino abest; color ipse pellis pallescit [1].

555. *Characteres morales*, quos prae se ferunt hysterici, maximi momenti sunt. Hysteria affecti enim « excitabiles sunt, ad affectus proclives, sensibiles, lunatici; facillime tristitia eos tenet; eorum indoles ac animus maxima facilitate ab uno ab alterum oppositum transit; dolores exaggerant, praetentiones ostendunt erga parentes, amicos et medicum; in excitanda aliena miseratione gaudent. Parva voluntate [2] ac vi praediti, pro opportunitate, callidos ac pertinaces se se ostendunt; aliorum amabilitatem, si velint, facile obtinent; sagaces sunt fere semper; raro stupiditate aut pauca intelligentia affecti hysterici sunt » [3]. Hysteria verum est malum, « quod singulari quadam nervorum sensibilium irritabilitate, totam hominis naturam commutat, vim percipiendi perturbat, voluntatem debilitat ac denique iudicium et actionem in omnibus rebus ita impedit, ut libido et fortuitae animi affectiones summum imperium exerceant » [4].

Hysterici saepe de acerbis doloribus conquaeruntur; eorum phantasia adeo perturbata est, ut imagines et simulacra sibi repraesentent, quae particularem statum in eis adducunt, qui satis imitatur extasim ac somnambulismum. Magna in illis observantur facilitas gaudii et

---

[1] Strümpell, *Op. cit.*, vol. II, p. I, pag. 393.

[2] Voluntas potest etiam abesse; quae absentia manifestatur per inhabilltatem seu incapacitatem resistendi mutationibus occurrentibus, ita ut Romberg asserat, statum psychicum hystericarum indicari per hoc axioma « non possum aliter agere », et doctor Huchard indicet earum statum mentis, dicendo « *ipsae nesciunt, non possunt, nolunt velle* » (Le Grand Du Saulle, *Les hystériques* etc., Paris 1891, pag. 219): (Conca, *Op. cit.*, pag. 25).

[3] Strümpell, *Op. cit.*, pag. 395.

[4] Hasse, *Krankeiten des Nervensystems*, p. 207, apud Capellmann, *Op. cit.*, pag. 57.

tristitiae ac omnes affectionis gradus; sensibilitas exaggerata, pavor, odium, amor, quaedam anxietas, res communes in eis sunt. Saepe convulsiones apparent, quae totum corpus afficiunt [1]. Ab accessibus epilepticis facile distinguuntur, quia in hystericis convulsionibus conscientia fere numquam abest, et, si aliquando comperitur re abesse, tunc agitur de epilepsia cum accessu hysterico coniuncta. Ob convulsiones, respiratio valde rapida fit, ut etiam centum actus respiratorii singulis minutis primis numerari possint.

556. Specialis momenti sunt *paralyses hystericae*, quae dicuntur *volitivae*, ob quas infirmi voluntatem agendi in partes, paralysi affectas, non amplius retinent. Ordinarie organa, quae facilius paralytica evadunt, sunt crura et cordae vocales, ex quo fit, ut infirmi nequeant ambulare, nec, nisi submisse, loqui; raro mutismus accedit. Paralysis musculorum aliquando paullatim, aliquando vero cito oritur, et item aliquando, post longius vel brevius tempus et etiam post annos, paullatim, aliquando illico, evanescit, ita ut statim perfectus membrorum motus habeatur. Gravis aliqua animi commotio, ex quacumque causa producta, potest statim paralysim removere; ita ex. gr. hystericae, diu paralyticae, ob domus incendium, etiam imaginarium, aut alapas, illis praeter expectationem impactas, statim per domum currere visae sunt, amota omnino paralysi [2].

557. Hysteria affecti insuper omnia adhibent, quibus finem sibi propositum consequi valeant. Nam « infirmi isti, ut satisfaciant cupiditati suae fallendi, nec dolorem, nec laborem, nec molestias cuiuscumque generis recusant. Omnia tentant ac perferunt, ut fraudem semel coeptam ad exitum perducant » [3]. Quum vero perversae cogitationes ac fraudes saepissime ad religionem ac pietatem referuntur, necesse est ut confessarius non nimis his aegrotantibus auditum praestet et tempus periculose terat.

558. Adde etiam, in hysteria, facillime pietatem simulari, de visionibus imaginariis habitis disseri, simulata miracula proponi, ex. tases et plura huius generis; immo spiritus simulandi instinctivus,

---

[1] Conceptus syntheticus hysteriae potest haberi ex sequenti definitione doctoris Eichorst. Hysteria est « nevrosis corticis cerebralis, in qua magnam partem habet vis imaginationis ita ut functiones nervosae sint in statu aequilibrii instabilis et perturbationes habeantur psychicae-motrices-sensitivae et etiam vaso-motrices et secretoriae et aliquando etiam trophicae ».

[2] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 58.

[3] Idem, ibidem.

necessitas simulandi absque ulla ratione seu fine, sive verbis sive actibus, ex praecipuis characteribus est hysteriae. Frequens est casus, quo hystericae affirmant absolute se violationem pudoris passas fuisse a personis variis, saecularibus, clericis, religiosis, quorum nomina patefacit, circumstantias minutas violationis describunt [1] et pluries et semper eadem repetunt, affirmando haec omnia esse vera; quod quidem efficit, ut innocentes pro reis gravibus haberi possint, nisi hic character praecipuus simulationis hystericarum prae oculis habeatur; hac ratione pluries a civilibus tribunalibus non pauci gravibus poenis damnati fuere. Item saepe hystericae inducunt scissuras, discordias familiarum et sunt causae dissidii, cum simulata crimina patefaciunt, quae nonnisi in eorum exaltata mente existunt. Insuper hystericae incredibili pollent habilitate inveniendi status, quibus possint aliorum sensibilitatem vel pietatem excitare, ita ut difficillimum sit in earum dictis vera a falsis discernere, et nonnisi magna diffidentia oportet earum verba accipere; saepe enim affirmant se nullo cibo uti, urinam et foeces non emittere, sanguinem, vermes vel varia obiecta vomere, plures menses et annos lecto degere, cum sit ipsis impossibile surgere [2], sudores sanguinis pati [3] etc. Adde etiam hystericas facillime gaudere de calumniis et damnis, quae aliis afferre possunt, quaeque omnibus modis in praxim reducere conantur. Generatim dici potest hystericas ordinarie esse malas et tantum per accidens aliquando esse bonas [4]. Saepe etiam firmiter asseverant, noctu aliquem attentasse earum honestati, turpes relationes habere cum viris valde nobilibus, plures filios se peperisse et plura turpia huius generis [5].

559. Alius character hystericarum est maxima facilitas furandi

---

[1] Immo quaedam hysterica accusabat duos suos fratres, aiendo ab iis violatam fuisse, et, ut facilius eius verbis praestaretur fides, sibi ipsa immiserat in vaginam et anum fragmenta ferrea et alia dura obiecta, quae, lacerando organa, testarentur veritatem affirmationis; at medicus peritus apud tribunal civile calumniam et mulieris pravitatem patefecit (Garnier, *Onanisme*, pag. 411). Plura similia facta referuntur a doctore Le Grand du Saulle, *Les hystériques* etc., Paris 1891, pag. 406 et passim. Dein notetur matrimonium non curare hysteriam ut aliquando consulunt medici, sed saepissime contrarium locum obtinere, cum matrimonium aggravet statum nevrosis. (Le Grand Du Saulle, *Op. cit.*, pag. 495).

[2] Dagonet, *Traité des maladies mentales*, Paris 1804, pag. 488 et seq. et Le Grand Du Saulle, *Op. cit.*, pag. 402.

[3] Max Simon, *Les maladies de l'esprit*, Paris 1891, pag. 90.

[4] Max Simon, ibid.

[5] Dagonet, *Op. cit.*, pag. 362.

quodlibet speciali modo earum attentionem excitat, praesertim pannos sericos et alia huiusmodi, quae in officinis servantur [1].

560. Doctor Falret optime exponit praecipuos characteres, quos hysteria inducit. Ait enim: « Magna habetur inconstantia in his aegrotis; illico a risu transeunt ad lacrimas, earum amor illico in odium immutatur. Earum sensibilitas maxime procedit extra ordinem; frigidae magnis doloribus, profunde mutantur et etiam nerveas crises pati possunt, cum simplices contrarietates patiuntur. At magis characteristicum iis est *duplicitas* et *mendacium*. Hae aegrotantes sunt vere comoedae; nil aliud valde amant nisi fallere et in errorem inducere omnes, cum quibus relationem habent; ipsae exaggerant etiam earum motus spasticos, simulant animi sensus, quos non habent, fingunt mille astutias, mille fallaces historias. Brevi, hystericarum vita nonnisi perpetuum mendacium est » [2]. Hinc est quod Sydenham dicit characterem constantem hystericarum esse inconstantiam in omnibus [3]. Tempore menopausae hysteria adsociatur saepissime cum excitatione sexuali, quo fit ut hystericae sint valde liberae in loquendo, describunt huiusmodi earum sensationes, gaudent de morbosis affectionibus uterinis, quas non habent, ut medicus eas inviset. Propensio ad simulandum in ipsis incredibilis est et velut quaedam necessitas; ut omnes decipiant, parentes, amicos, medicos, confessarios, omnia adhibent, omnia in praxim reducunt; earum finis est, ut alii intelligant se nonnulla habere praeter ordinem et naturam [4]. Hinc scribunt litteras anonymas, quae finem habent excitandi causas magis implexas, fingunt morbos, imaginantur suicidia comica et alia huiusmodi, ut omnes decipiant, et semper decipiant; earum mendacia sunt absque fine, absque ratione, absque voluptate; mentiuntur causa mentiendi. Ob hanc causam hystericae omnia exaggerant usque ad delirium, etiam sensus pietatis et mysticos conceptus. Aliquando vero hystericae proferunt verba parum vel nil convenientia earum conditioni, educationi et personis, quibus hic et nunc colloquuntur; et hos actus explicant, aiendo se perfecte noscere, quod male sit ita agere et semper timore vexari haec peragendi; talis cogitatio adeo vehemens fit, ut ipsae evadant incapaces eius domi-

---

[1] Dagonet, *Op. cit.*, pag. 772.

[2] I. Falret, *Ann. medico-psych.*, 1866, pag. 407, (Apud Dagonet, *Op. cit.*, pag. 93).

[3] Le Grand Du Saulle, *Op. cit.*, pag. 209.

[4] Dagonet, *Op. cit.*, pag. 487.

nium servandi. Ita etiam impellentes sunt nonnulli actus frequentes apud hystericas, quales clamores, qui canis ululatus et latratum, felis vocem imitantur, rugitus, gallinae glacidatio, voces, quae terrorem, desperationem, pavorem, risum absque fine indicant etc.; quae omnia facillime manifestantur etiam apud ceteras personas hystericas, cum simul collectae inveniuntur.

Aliquando hysteriae adsociatur letargia (qua aegrotans dormit per plures dies et menses) et somnambulismus, in quo habentur symptomata huius status pathologici.

Iuxta doctorem Briquet, facile corrigi possunt hae hystericae vel saltem minui potest vis et frequentia horum inusitatorum actuum, incutendo eis timorem et adhibendo media moralia [1].

561. Omnia haec, quae hactenus exposuimus, referuntur ad hysteriam formae mitis, quae communior est; aliquando vero morbus hic adeo ingravescit, ut manifestationes satis profundae in toto corpore oriantur; quod quidem constituit *magnos accessus hystericos*. Notiones recentiores de hoc morbo a doctore Charcot et eius schola repetendae sunt.

562. Magnus hysteriae accessus plerumque triplicem periodum complectitur; in *primo* habentur *convulsiones epileptiformes generales* cum amissione apparenti conscientiae; post breve tempus *alter* periodus succedit, in qua *contorsiones* ac *magni motus generales* manifestantur; infirmi enim hoc statu movent « caput et extremitates sicut automata, aspiciunt torvis oculis, maxillae comprimunt usque ad stridorem dentium, volutant linguam, assidue devorant, festinanter respirant, vociferantur, semper eadem verba proferunt, sonus emittunt diversissimos, sicut latratum canis, aliosque huiusmodi (etiam verum mugitum et ululatum dant), caput retro remittunt, extollunt pelvim, pulsant manu pedibusque, extendunt porriguntque extremitates; accedit opithostonus [2], pleurothotonus etc., rigor cataleptiformis totius corporis. Haec omnia vel singula vel ad modum impetus diversimode coniuncta apparent [3] ». *Tertium* tempus consistit in hoc quod infirmi sumunt *plasticas positiones* et *aptitu-*

---

[1] Briquet, *Traité de l'hysterie*, pag. 321 (ap. Dagonet, *Op. cit.*, pag. 94).

[2] *Opithostonus* seu contractiones musculorum columnae vertebralis, quo truncus curvatur modo arcus retro aperti; *pleurothotonus* seu contractio musculorum sive partis dexterae sive sinistrae trunci, quo truncus in eadem parte flectitur modo arcus.

[3] Hasse in Capellmann, *Op. cit.*, pag. 58.

dines, passionem quamdam exprimentes. In hoc statu, infirmos certus idearum ordo tenet; hallucinationibus agitantur; menti aliquod anteactae vitae factum occurrit; totum corpus ac externus faciei adspectus passionem prae se ferunt, qua dominantur: hinc infirmi minantur, accusant, irrident et similia agunt. Notandum quod, etsi non semper in gravibus accessibus omnia haec observentur, tamen nonnulla phaenomena horum statuum semper habentur [1].

563. Qui hoc morbo laborant, saepissime anomalias vitae sexualis ac maximam genitalium excitationem patiantur. Quo fit, ut omnes carnis aberrationes usque ad abiectiorem prostitutionem in mulieribus nuptis inveniri possint. In casibus morbi mitioribus stimulus sexualis sedatur mansturbatione, nudato omnino corpore in cubiculo ambulando, corpus urina aut aliis spurcitiis inquinando, vestes muliebres induendo etc. Aliquando vero stimulus sexualis adeo est morbose excitatus, ut omnia in praxi reducantur ad illum explendum; hinc puellae, a nativitate praedispositae, et mulieres nuptae ut meretrices se agunt, se mansturbant, cum viris e domo paterna effugiunt, primo viro sibi occurrenti se praebent, dignitatem, pudorem, familiam nullo modo curantes [2]; ita quamdam eroticam amentiam prae se ferre videntur.

Aliquando, e contra, frigiditas, ob defectum delectationis sexualis (causa anesthesiae genitalis) observatur.

564. Etiam in *paranoia* irregulares vitae sexualis manifestationes saepe notantur; paranoiae causa saepe est abusus sexualis, praesertim mansturbationis aut maxima sexualis excitatio, quae frequenter accidit in pluribus personis. Potest esse *erotica* vel *religiosa*. In *prima*, ordinarie loquendo, excitatio haec sexualis ad actus non transcurrit, et eius expletio habetur platonice diligendo personam alterius sexus, personam aliquam idealem, statuas, picturas etc. Aliquando vero, in nonnullis mulieribus, excitatio sexualis adeo vehemens esse potest, ut vera nymphomania sequatur. Paranoia vero *religiosa* ordinarie manifestatur mansturbatione vel exaggerato amore sensuali erga aliquem sacerdotem, ex. gr. Confessarium, sanctos etc.; quo fit, ut hi infirmi satisfactionem sexualem hoc modo obtineant, et aliquando etiam, ad hanc consequendam, crimina sexualia com-

---

[1] Struempell, *Op. cit.*, pag. 403.

[2] Kraft-Ebing, *Op. cit.*, pag. 140 et seq.

mittunt, ut incestus, violationes pudoris, stupra, autoflagellationes libidinosas, autocastrationes, vulnera, et etiam crucifixiones [1].

565. Hysteria vel paranoia affecti frequenter in confessione sacerdoti occurrunt, praesertim mulieres innuptae, quae facillime possunt etiam desideria venerea et abusus sexuales celare. Cura horum morborum nullo modo ad Confessarium spectat; quapropter necesse est, ut ille facile has agnoscat et non nimis eorum sermonibus fidem praestet et tempus periculose vel ad minus inutiliter perdat. Aliquando vero fit, ut paranoia religiosa laborantes nonnullas actiones, valde ad venerem excitantes, in praxim reducant, quibus libidinem explent, ut supra diximus. Quapropter Confessarius maxima cautela et vigilanti prudentia agere debet cum huiusmodi personis, eo magis quod fanatismus religioso-eroticus mulierum, innuptarum praesertim, profundas radices in femineo corde immittit, quae sat difficile postea removentur. Nisi maxima vigilantia, cautela et prudentia adhibeatur, fama sacerdotis maximum detrimentum capere potest. Cum hae mulieres occurrunt, sunt cito ad medicum mittendae.

566. Aliquando etiam *chorea* (ballo di S. Vito) magnam actionem habet in genesi vitiorum sexualium. Modo speciali hoc notatur in chorea Hutchinson adultorum in sua degeneratione psicho-pathica-hallucinatoria-maniaca vel paranoica, quae habet magnam vim excitandi instinctus sexuales. Hic morbus est nevrosis, cuius sedes probabiliter est in cerebro, et manifestatur per inquietudinem muscularem, per apparitionem spontaneam motuum praeter ordinem et per immutationes psychicas.

Chorea morbus est puerorum utriusque sexus a quinto usque ad decimum quintum aetatis annum; aliquando vero etiam ocius aut serius apparet; mulieres magis quam viri obnoxiae sunt. Consistit hic morbus in convulsionibus nonnullorum musculorum, visus, digitorum ac brachiorum et aliquando totius corporis; ordinarie, convulsio maior est uno tantum corporis latere. Aegroti nullum ordinatum motum efficere valent; scribere, aut, ex se ipsis, manducare nequeunt; obiectum aliquod si arripere volunt, brachium ultra porrectum illud capere non valet. In formis choreae maioribus, brachia circumferuntur, flectuntur, extolluntur, circum collum ponuntur ac

---

[1] Kraft-Ebing, *Op. cit.*, pag. 141 et seq.

motus magis differentes fiunt; quum totum corpus convulsione afficitur, infirmi in lecto se volutant, crura et brachia continuo contrahunt, cibos capere non possunt, somnum mutatum habent; status corporis physicus, his rationibus, valde perturbatur. Quum somnus venit, omnes choreae motus evanescunt. Chorea saepe comitantur rheumatismi et cordis morbi. Cura huius morbi aliquando per paucas hebdomadas, aliquando vero per plures menses perdurat [1].

567. Alia causa excitationis sexualis aliquando in *hypocondria* invenitur, quae semper bene ab hysteria distinguitur. Tristitia maxima, quae infirmos tenet, omnes corporis functiones valde pertubat, quas ipsi, cum numquam recte illas interpretentur et semper adcrescant, continuo augent. In omnibus, quae eis accidunt, sibi damnum imminere arbitrantur; si stomachus non optime suo muneri fungitur, ulcera et cancros putant se habere; tempore copulae, luem syphiliticam contrahere ita cogitant, ut nasum, ob cariem syphiliticam, se perdere aestiment; semper de eorum malis eorumque effectibus loquuntur. Nulla ratio contrariam suasionem iis inducit; mens enim et animus hoc morbo valde perturbati maxime in sensus corporis agunt, et nullo modo consolationem et requiem invenire possunt. Hypocondria verus est morbus, quo affecti commiseratione omnino digni sunt. Aliquando ortum ducit ex perturbata digestione, ex vitiis carnalibus, praesertim mansturbationis, multisque aliis causis.

Hypocondria aliquando adeo progreditur ita et in animum influit, ut etiam suicidium sequi possit, etsi plerumque hypocondriaci sat vitae tenaces ac studiosi sint.

Quamvis status particularis animi et corporis hypocondriaci non nimis favorabilis sit ad excitationes sexuales promovendas, aliquando tamen hi infirmi voluptatibus carnis et praesertim mansturbationi indulgent; quod quidem ad hoc videtur fieri, ut diversa mutatio inducatur in morbosa eorum animi conditione.

568. Constitutio demum ipsa *individualis* multum confert ad venerea; certum enim est homines e temperamento sanguineo, vel sanguineo-biliari, vel nervoso, prae ceteris, passionibus sexualibus affici, mulieres vero magis quam viros. (Vide sup. Cap. *De temperamentis*).

---

[1] Cf. Strümpell, *Op. cit.*, pag. 367 et Kuntz, *Op. cit.*, pag. 59.

CAPUT III.

DE VARIIS CONTRA NATURAM PECCATORUM MODIS EORUMQUE CONSEQUENTIIS.

Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem.
(Ep. ad Galat., VI, 8).

Iure omnia nos feriunt, quae vitiis nostris serviebant.
(S. Gregorius, tom. 5 in Ev.).

569. Praemissis cognitionibus maioris momenti et causis vel occasionibus, quae referuntur, ad excitanda venerea desideria et actus contra naturam, sive physicis sive moralibus, reliquum nobis est ut varias formas peccatorum carnalium nunc percurramus. Cognitis semel relationibus organorum genitalium cum nerveo systemate et praesertim cerebro-spinali et huius relationibus ad totum organismum, facile possunt etiam innumerae consequentiae, ex his peccatis provenientes, cognosci, quae tam gravia et frequenter irremediabilia damna inferunt homini tum physico, tum morali. Quae consequentiae maximi momenti pro praxi sunt. Summaria tamen expositio erit et quantum nobis videtur sufficere. Ad singulas peccatorum formas praecipuos effectus notabimus, quia saepe nonnulli, his effectibus perterriti, facilius a peccato abstinent, quam quacumque alia consideratione.

570. Vocabula propria latina ad hos varios peccatorum modos indicandos non adsunt, nec omnes possunt sub onanismi nomine comprehendi, ut non pauci auctores opinantur; quia finis onanismi proprie dicti, quocumque modo habeatur, est semper impe-

dimentum ponere generationi, sive in matrimonio sive extra matrimonium; et sunt multi horum criminum modi, in quibus evidenter hic finis est excludendus, ut ex. gr. in omnibus vitiis solitariis, in quibus nulla est relatio ad generationem, sed tantum ad libidinem explendam.

571. Quomodocumque omnes impudicitiarum formae considerari velint, certum est finem ultimum omnium illarum esse perfectam veneris satisfactionem, sive ex hac impedimentum generationis sequatur, sive non. Quapropter omnes nomine *satisfactionis venereae* comprehendimus. Quae cum diverso hominis statu et modo obtineantur in praxi, et, ut ordine quodam progrediamur, sequentes modos et capita satisfactionis distinguimus:

a) Satisfactionem veneream in usu coniugii cum intentione impediendi generationem (*onanismus coniugalis*);

b) Satisfactionem veneream solitariam, nec ne, praesertim per manus, in utroque sexu (*mansturbatio proprie dicta*);

c) Satisfactionem veneream mediante obiectis variis, in utroque sexu;

d) Satisfactionem veneream per linguam et labia inter personas eiusdem vel alterius sexus (*irrumatio*);

e) Satisfactionem veneream mediante copula contra naturam inter eiusdem vel alterius sexus personas (*sodomia*);

f) Satisfactionem veneream cum animalibus (*bestialitas*);

g) Satisfactionem veneream cum femina mortua (*necrophilia*), vel cum statuis.

572. De his modis peccatorum, quod onanismus coniugalis, mansturbatio, sodomia et bestialitas peccata specie distincta sint, certum est apud theologos. Veneream satisfactionem, mediante lingua praesertim obtentam, nonnulli auctores theologi peccatum specifice diversum retinent, quod nomine *irrumationis* vocant, quia specialem malitiam ostendere videtur eo, quod evertatur ordo naturalis copulae, et animalibus homo similis fiat, ut nomen indicat. Peccatum littera *c*) indicatum nihil habet specifice diversum a tactu turpi vel mansturbutione. Necrophilia vero, iuxta S. Alph., est pollutio et fornicatio affectiva [1]; idem dicendum videtur de copula cum statuis, cum, in hac, fornicationis adsit desiderium.

---

[1] S. Alph. *Op. cit.*, Lib. III, n. 466.

CAPUT IV.

DE SATISFACTIONE VENEREA IN USU CONIUGII CUM INTENTIONE IMPEDIENDI GENERATIONEM (DE ONANISMO CONIUGALI).

> (Onan) semen fundebat in terram, ne liberi.... nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.
>
> (Gen. xxxviii, 9, 10).

573. Nomen *onanismus* non eumdem sensum apud doctores, praesertim medicos, habet, quia alii pro mansturbatione, alii pro effusione seminis extra vaginam, ex industria obtenta, accipiunt; quae res causa confusionis non semel fuit. Nomine *onanismi* in theologia morali intelligitur, sensu quodam lato, impedimentum generationis ex industria petitum, cum frustratione virilis seminis, quae vario modo, ut mox dicemus, fieri potest. — Peccatum onanismi semper gravissimum evadit, quia 1° adversatur fini praecipuo et essentiali matrimonii, qui est procreatio prolis et ideo est evidenter contra naturam; 2° quia Deus illud graviter punit, ut constat ex loco Gen. supra cit. (xxxviii, 9 e 10); et 3° quia haec ratio utendi matrimonio est destructiva humanae societatis.

574. Potiores modos perpetrandi hoc peccatum in matrimonio, quique frequentiores in praxi sunt, sequentes recensemus:

1° Copulam debite incipere et postea se retrahere et extra vas semen effundere;

2° Copulam debito modo complere in vagina, et postea, per

ablutiones vaginales, semen receptum eiicere aut illud vitalitate fecundante interimere, nonnullis specialibus lotionibus adhibitis;

3° Ante copulam, in profundum vaginae, ad obturandum os colli uteri, fragmentum mollis spongiae aut gossypium aut filamenta linacea immittere; postea copulam agere cum seminatione in vagina ac deinde corpus spongiae aut gossypii aut linaceum extrahere et vas mundare per ablutiones convenientes;

4° Copulam exercere mediante *condom*, quod est quoddam involucrum satis subtile, membranaceum, quo involvitur membrum in coitu, quin sensibiliter imminuatur voluptas copulae. Mediante hoc involucro, emissum semen remanet in involucro et generatio evidenter frustratur;

5° In vaginam immittere alterum vas membranaceum, satis subtile ut *condom*, copulam agere et emittere semen in hanc pseudovaginam, dein eam retrahere cum semine emisso.

575. *Causae* potiores, ob quas coniuges finem copulae matrimonialis effugiunt, plurimae sunt, inter quas notamus frequentiores, scilicet: ne filios procreent, quos alere aut instituere nequeunt vel nolunt; ne, domestico patrimonio nimis diviso, notabilitas familiae aliquid detrimenti capiat; insatiabilitas libidinis mediante copula, ex industria effugiendo huius finem; timor ne filii, ob morbum aut incommodum aliquod parentum, aegroti generentur; desiderium servandi externam pulchritudinem, quae ex gestatione et partu imminui posset; studium vitandi incommoda partus et curam educationis prolis; maior facilitas conversationes, saltationes et quodcumque aliud genus recreationis non omittendi; maior facilitas adulteria perpetrandi, cum mulier virum suum facile fastidiat [1].

---

[1] Utile ducimus sequentia adjcere ex doctore H. Cazalis, quae maxime tangunt praesentem quaestionem :

On devine, on sait tant de questions qui s'y rattachent, et quelques-unes de ces raisons, c'est par exemple l'accroissement même des richesses, qui invite aux jouissance, mais aussi à l'économie, a la prévoyance, à l'épargne (les familles riches ont le moins d'enfants, les familles pauvres en ont le plus); et c'est l'illogique et absurde répartition de nos impôts, qui pèsent le plus lourdement sur les travailleurs, sur les pères de famille, sur les nombreuses familles; ce sont les erreurs de notre code civil, qui divise, émiette si bien l'héritage, que le trop grand nombre d'enfants, à la mort du père, gêne sa succession, compromet ou ruine ses entreprises, fait d'une famille riche ou aisée une famille pauvre ou mal à l'aise; et ce sont des mœurs familiales détestables, comme le dit très-bien M. Bertillon, c'est la dot; et c'est aussi peut-être le developpement croissant d'un certain égoïsme particulier aux nations

576. *Plerumque,* ex mediis supra allatis, coniuges absentiam prolis re obtinent, praesertim si secundo et tertio usi sint; *non semper* vero mediante ceteris, cum saepe filii, praeter spem et eorum expectationem, nascantur, scilicet quando in ipsa copula *condom* laceratur vel semen aliquo modo in genitalia interna penetrat. Plurima enim exempla hoc probant. Doctor Debreyne commemorat

---

viellies, chez lesquelles peu à peu diminue le sentiment plus ou moins conscient de cette solidarité, qui lie chaque être, c'est-à-dire chaque cellule de l'organisme social à l'organisme tout entier (et la mort n'est-elle pas la désagrégation des cellules, leur délivrance de la hiérarchie générale, qui leur est imposée, leur retour à l'anarchie parfaite ?).

Mais c'est aussi la croissance énorme des villes, de plus en plus dépeuplant les campagnes, ce grand réservoir de la race, l'attrait des villes, dont l'air, la vie sont généralement funestes à la santé de la jeune fille, de la jeune femme, multiplient leurs maladies spéciales, ont aussi leurs dangers pour l'homme. Ces raisons, elles sont si multiples et diverses ; se sont ces grande villes encore avec la chertè de la vie et des logements, et la disposition, l'étroitesse de nos appartements, où une famille ne peut se développer à l'aise. Et ce sont des raisons sociales, comme le fonctionnarisme, un fléau lui-même, par malheur toujours grandissant, le fonctionnarisme qui engage, oblige au célibat par la modicité des traitements.

C'est un peu le service militaire obligatoire, qui retarde pour l'homme son établissement, et qui trop souvent est une cause d'infections pour nos provinces, pour nos campagnes, et qui cependant est nécessaire, et qui pourrait être si utile, si bienfaisant, du jour où de la caserne, selon l'admirable idée du colonel Lyautey, on ferait comme une école dernière, qui continuerait, compléterait les autres, école d'hygiène, de morale, de dévouement, de patriotisme, de solidarité, la plus large, la plus vraie des universités populaires, tout en restant une école de guerre, et du jour où les officiers auraient compris, accepté ce grand rôle social.

Ce sont toutes les maladies, que nous avons vues, transmissibles à la race, tant de maladies *évitables*, et que l'*on devrait donc éviter*, et qu'il faut donc combattre et combattre avec espoir de les vaincre, la tuberculose et la syphilis, par exemple, la tuberculose par une prophylaxie plus active, par des soins mieux donnés d'abord aux classes pauvres, d'où l'infection, comme celle de toutes les maladies contagieuses, sans cesse remonte vers les hautes classes, juste châtiment parfois de leur indifference ou de leur égoïsme ; et la syphilis par une bonne réglementation de la prostitution, mais non pas, il semble, comme le voudraient quelques âmes ignorantes et naïves, dans le sens de l'indulgence, du laisser faire, du laisser aller.

Et c'est la guerre enfin, les guerres depuis cent ans, notre honneur sans doutes, notre folie parfois, qui d'une telle prodigalité, absurde ou généreuse, on fait dans le monde entier, Europe, Afrique, Asie, Amérique, couler si largement la sang de France, à coup sûr anémiant la France, et peut-être du plus pur de son sang, puisque ce sont les plus jeunes, les plus vivants, les meilleurs souvent, qui sont tués ou se font tuer.

Ce seul exemple, cette question de la dépopulation, montre combien les questions sociales sont compliquées, complexes, comme tout s'y enchevêtre et se tient, et ce qu'il faudrait de largeur d'idées, et de science, et de prudence, pour les traiter. Les maladies du corps humain sont déjà difficiles à bien juger et soigner; mais comme

duos coniuges, onanistico modo matrimonio utentes, *octo filios* procreasse, quorum tantum primus debito modo genitus fuerat, et alios duos coniuges, qui eodem illicito modo septem filios habuerunt, demum alios, qui eodem usu quatuor filios obtinuerunt, quorum duo gemini

---

elles le sont davantage, les maladies de l'organisme social ! Et qui les traite, à qui sont-elles généralement confiées ?

Voir quelques-unes de ces idées si bien exprimées par M. Jean Rével, — un penseur éloquent, trop peu connu, trop peu lu, sans doute parce qu'il pense et fait penser, — dans son beau libre: *Le Testament d'un moderne* (Fasquelle, édit.).

Pour combattre la dépopulation, les réformes sagement proposées par M. Bertillon, se résument dans un principe très-légitime, légalité des charges : « nous avons trois devoirs principaux envers le pays : contribuer à sa perpétuité, contribuer à sa défense, contribuer à ses charges pécuniares ; si nous manquons au premier de ces devoirs, nous devons voir augmenter pour nous les deux autres.

« Il faut combattre le mal dans ses causes. Ces causes sont l'excessive prévoyance des parents, il faut donc s'arranger pour que cette prévoyance soit, au contraire, la raison d'une nombreuse postérité.

« On y arrive en admettant que *le fait d'élever un enfant est l'une des formes de l'impôt.* La famille, qui élève trois enfants, remplit suffisamment son devoir envers l'État. Celle qui en élève davantage paie, par ce seul fait, un impôt excessif ; il faut donc la dégrever complétement (et c'est ce que nous proposons), il suffit de frapper d'une surtaxe de 20 p. 100 les familles, qui ont deux enfants ou moins encore. Le Trésor ne pourrait que gagner à cette combinaison.

« *L'impôt du sang* devrait être allégé pour les jeunes gens mariés et surtout pour les pères de famille.

« Ce sont surtout les *impôts de succession*, qui devraient faire payer par le familles malthusiennes la juste indemnité qu'elles doivent au pays en raison de leur stérilité. Nous proposons qu'on attribue à l'Etat la portion disponible de l'héritage des familles, qui n'ont que un ou deux enfants.

« Les sommes ainsi perçues pourraient, selon le projet de M. de la Grasserie, constituer une caisse spéciale destinée à assurer une pension alimentaire aux auteurs des familles suffisamment nombreuses.

« Nous demandons enfin l'*extension de la liberté de tester*, telle qu'elle existe dans tous les grands pays excepté en France, puisque le père de famille craint d'émietter et ainsi d'annihiler sa fortune en la partageant.

« *Mesures accessoires.* — L'Etat ne devrait perdre aucune occasion de témoigner de son respect et de sa gratitude pour les parents, qui ont de nombreux enfants. Toutes les faveurs, dont il dispose, devraient leur être réservées autant que possible. Les grandes compagnies, toutes les grandes sociétés devraient favoriser aussi les pères de famille nombreuses.

« C'est un devoir pour la nation d'entourer l'enfant, et spécialement l'enfant malheureux, de toute sa protection ».

Mais les solutions proposées par M. Bertillon, ne répondent pas au problème tout entier ; c'est de bien des côtés encore qu'il faudra faire face à l'ennemi, l'attaquer, et pour cette lutte ce ne sera pas trop de voir le médecin s'unir á l'économiste, au légiste, et même à l'architecte, et même et surtout au moraliste, laïque ou religieux, comme il a souvent l'occasion de le faire. (*La science et le Mariage*, Paris 1900, pag. 132-137).

orti sunt [1]. Adverte insuper, ordinarie loquendo, hos pueros debiles, pallentes, scrophulosos ac monstruosos evadere. Procreatio, hoc modo obtenta, provenit ex supra dictis de copula; sufficit enim ut pars etiam minima seminis emissi prope os vaginae maneat, cuius plurima nemaspermata facile vaginam ingrediuntur et fecundationem operantur, coniugibus inscientibus. Cum ex tali modo congrediendi, praeter expectationem, fecundatio locum habet, frequenter gravia oriuntur incommoda et causae discordiarum in familiis. Quum enim vir omnia se fecisse putat, ne filii generentur, cum vero ex abrupto mulierem praegnantem adspicit, suspicari facillime potest de adulterio perpetrato, de cuius falsitate non facile persuaderi poterit, quum facta physiologiae ignoret; inde clamores, odia, verba ignominiosa, verberationes et tot alia, quae pacem et concordiam familiae maxime perturbant. Quid vero de filiis, qui, huiusmodi factis assistentes, de suspecta infidelitate matris notionem habere possunt?

577. Omnia haec media adhibita ad generationem impediendam passim nunc temporis diffusa inveniuntur; et praesertim usus *condom* adeo communis evadit, ut in nonnullis libris de medicina valde commendatus reperiatur. Medici ipsi plures eius usum suadent, quoties quis generationem ac timorem contagii syphilitici vitare velit, et in commercio ipso isti *condom* clam venduntur. Quod vero dicti medici talem usum commendent, mirum esse non debet, cum materialismi theoriis profunde imbuti sint et nihil aliud quaerant, nisi satisfactionem libidinis praebere et effectum copulae fecundae et pericula morbi contagiosi effugere. Quam infanda ac scelestissima sit haec ratio agendi ac humanae societati noxia, nemo est qui non videt.

578. Haec praxis, quoad valetudinem coniugum, plurimorum itemque gravium est ferax malorum. Copula a natura ordinatur tantum ad generationem, etsi eodem tempore sit ad sedandam concupiscentiam, quod vere locum habet, cum debito modo copula exercetur. In copula totum mulieris organismum adeo est excitatum et omnes eius vires ad hoc tantum sunt ordinatae, ut omnes conditiones adsint requisitae ad novam creaturam generandam. Systema enim nerveum maxime exaltatur, circulatio sanguinis ac respiratio celerior fit et uterus, sicut cetera genitalia, maiore sanguinis copia irrigatur;

---

[1] Debreyne, *Maechialogie*, 2ª edit., Paris 1847, pag. 350.

quae omnia non parum conferunt ad generationem. Peracta rite iaculatione, irritatio genitalium perfecte sedatur, uterus haurit semen, systema nerveum ad pristinum statum redit; et, cessato concursu utriusque coniugis, incipit, si fecundatio locum habet, opus mirabile naturae in novo conficiendo homine. Etiamsi vero fecundatio per accidens non fiat, satisfactio libidinis plene habetur et optimi sequuntur effectus quoad valetudinem ipsorum coniugum; vir enim nil amplius desiderat et mulier, quae in coitu maiorem capit voluptatem, satisfactior est. Copula ipsa dein rite perfecta multum confert ad meliores reddendas conditiones ac status corporis ac animi utriusque; hinc ille status satisfactionis, quem coniuges experiuntur post copulam completam; hinc etiam suas radices, praeter mutuum amorem ac benevolentiam animi, habet pax, concordia ac domestica felicitas. Si ergo ex parte utriusque totum organismum valde exaltatum est ob naturam copulae, quum, plenitudo voluptatis mox secutura sit, retractio fiat, excitatio illa producta nullo modo minuitur, immo fortior evadit, et idem evenit, quod viro famelico diuturna inedia, cui, cum cibum capturus sit, cibus statim auferatur. Vir extra vas effundit et contentus ex parte sui putatur; mulier vero, maxima potest sibi cumulare incommoda ac gravissimos morbos, praesertim si actus onanisticus saepe renovetur. In primis, insatisfacta libidine, in muliere notantur tensio ac magna irritabilitas nervorum, defatigatio virium et universalis corporis debilitatio. Affluxus ille sanguinis in utero, cum suo fine frustratur, multos potest afferre morbos, quales sunt inflammationes in organis generationis internis ac externis, catharrhus uterinus, haematoceles (quod oritur, cum sanguis e laceratis canalibus, cum utero non communicantibus, aliquo loco sistit, ibique coagulationem patitur, tumorem efformando), ulcera, metrites, quae secum fert aliquando peritonitem, ovariorum aegritudines et cetera omnia mala uterina, quae in praesenti tam frequentia sunt, ut auctor quidam saeculum nostrum appellare potuerit *saeculum morborum uteri*.

In viro vero pollutiones involuntariae, uretrites, morbi prostatae, vesiculae catarrhi, satyriasis et aliquando mors, non raro habentur causa onanismi.

In utroque sexu accedunt macilentia, nevrosis, cordis palpitationes, hypocondria, sterilitas et impotentia, et aliquando mors repentina per apoplexiam. In scelere onanistico peiores effectus, quoad valetudinem, ad mulierem spectant.

Frustratio generationis, praesertim mediante *condom*, in muliere, quoad effectus, funestior evadit, quam praegnatio, partus et lactatio; menstrua enim irregularia fiunt, nunc praeveniendo, nunc retardando tempus ordinarium; quod quidem magnas perturbationes in ovulatione significat; in mulieribus vero sanguineae constitutionis haemorragiae, in illis autem, quae lymphatico vel anemico temperamento sunt, leuchorrhea, h. e. fluores albi, consequuntur; in omnibus notantur graves dolores interni et externi, ob congestionem sanguinis; collum ipsum uteri, ob excitationem non expletam, inflammatione laborat; et, si diu usus onanisticus protrahitur, ulceribus obtegitur. Hinc sequitur debilitas cerebri, medullae spinalis et praesertim plexuum nervosorum genitalium; hinc etiam nymphomania, et, ob excitatas mentis facultates, ex his excessibus provenientes, etiam suicidium sequi potest, ut omnia haec plurima exempla demonstrant.

In viro dein, cum excitatio genitalium, ordinarie, his in adiunctis, etiam per plures horas perseverare possit, consequitur saepe haemorrhagia uretrae.

In utroque sexu epilepsia non infrequenter notatur cum emissione sanguinis ex ore.

579. Nec tantum onanisticus usus matrimonii valetudini maxime nocet, sed multo peiores effectus affert quoad sensus morales et pudorem, praesertim mulieris. Mulier enim modum impediendi generationem cognoscens, ob libidinem facilius potest cum aliis viris crimina carnis committere, quin maritus eius aliquid noscat. Ita sensus pudoris et verecundiae, qui prima sunt ornamenta mulieris, facile et cito evanescunt, ex quo lata aperta ipsi est via ad omnia scelera; hinc discordiae saepe graves familiarum, hinc simulationes, hinc amissio sensus pietatis ac naturalis illius nobilitatis et suavitatis characteris mulieris. His in adiunctis, quae potest esse institutio filiorum iam existentium, qui in eis sensus pietatis et Dei timoris? Quid vero si liberi et domestici aliquid de turpi matris praxi suspicari aut noscere possunt?

580. Sane lugendum summopere est, quod abusus hic copulae coniugalis magis in dies percrebrescat. Ab hoc repetenda est, pro aliquibus locis, diminutio liberorum, qua fit ut civium numerus sensim decrescat. Doctor Broca, nuper in Academia medica Galliae, notabat numerum filiorum ex matrimoniis magis ac magis minuere, et, cum antea eorum media erat 4–5 pro singulis coniugiis, in prae-

senti esse tantum 3 et Parisiis etiam 2,45 [1]. Ad hanc liberorum diminutionem accedit augmentum morborum in mulieribus, qui, procul dubio, maxima ex parte ex abusu matrimonii ortum ducunt. Quod quidem egregius doctor Broca pro Gallia aiebat, pro multis etiam nationibus plus minus repetendum est. Hoc agmen malorum iusta esse videtur punitio contra tantum scelus. Neque hoc sufficit. Deus

---

[1] De hoc argumento ita loquitur doctor Cazalis, (*Op. cit.*, pag. 129-132):

« C'est un médecin, le Dr. Bertillon, qui est aujourd'hui président de l'Alliance nationale pour l'accroissement de la population française. Tout le monde devrait lire, relire, répandre sa brochure: *Le problème de la dépopulation*, étude parue dans la Revue politique et parlementaire de juin 1897.

J'en tire ces quelques faits, qu'il faut rappeler toujours, ces cris d'alarme que l'on ne devrait cesser d'entendre:

« La France est de tous les pays du monde celui où la natalité est de beaucoup la moindre. La natalité de l'Allemagne, de l'Autriche et de l'Italie est invariablement de 38 naissances annuelles pour 1000 habitants; en France elle est de 21 à 22 seulement. Et de plus, en France, et en France seulement, elle va sans cesse diminuant!

« De là cette décroissance numérique qui fait que la France n'occupe plus dans le monde la position véritablement privilégiée, qui était la sienne au siècle dernier.

« La population de la France à la fin du siècle dernier formait encore 28 p. 100 de la population des grandes puissances européennes; elle n'en forme plus que 12 p. 100 aujourd'hui.

« Pour que la France conserve son rang actuel (je ne dis pas pour qu'elle reconquière son rang ancien), il faut donc que sa natalité s'élève à 38 p. 100 comme chez ses voisins. Sa population étant de 38 milions et demi d'habitants, il lui faut donc 1,364,000 naissances, chiffre qui dépasse de 30,000 son chiffre actuel.

« La vie des nations, même en temps de paix, est une lutte incessante, qu'il s'agisse du développement commercial, du rayonnement intellectuel, du génie scientifique et comment ne serions-nous pas menacés d'être vaincus dans la bataille des peuples, puisqu'il nous manque déjà 14 millions de combattants, sur lesquels nous devrions compter?

« Les Français perdent tous les jours une bataille, disait de Moltke, car l'Allemagne gagne chaque jour sur elle 1,000 hommes.

« L'universalité de la langue française n'existe plus. La langue de Voltaire était celle que 27 p. 100 de la population européenne parlait de naissance. Aujourd'hui 46 millions d'individus parlent le français dans le monde, pour 100 millions qui parlent l'allemand, pour 115 millions dont l'anglais est la langue maternelle, pour 440 millions, c'est-à-dire le tiers de l'humanité, dont l'anglais est la langue officielle.

« L'industrie, le commerce, l'influence morale de la France sont diminués dans le monde par la seule diminution relative de sa population.

« Les étrangers, les ouvriers étrangers envahissent de plus en plus la France, prenant la place de ceux *qui ne sont pas nés*.

« On ne saurait trop le répéter, la population est la source de toute richesse, parce que toute richesse a pour origine le travail, et que, le travail, ce sont les bras et les intelligences qui le produisent ».

Voir aussi *Un pays des célibataires et des fils uniques*, par Roger Debury, livre encore à lire et à méditer.

enim saepe aliis modis in hac vita gravibus poenis afficit violatores huius legis naturae, cum saepe dolores, calamitates, mortes pueros onanisticorum coniugum auferant. Violantes leges sanctiores naturae non semper cito poenas luunt; sed, cum his afficiuntur, acriter ac durissime solvunt.

581. Oportet ergo Confessarium omni studio et diligentia curare, ut odium iniiciat onanistis ad effugiendum hoc crimen, prae oculis ponendo, praeter Dei gravem offensam ac foeditatem peccati, omnia mala physica, quae sibi ipsi vindicant, et punitiones, quibus Deus saepe huiusmodi coniuges etiam in hac vita afficit. Illi vero, qui onanistico modo matrimonio utuntur ad vitandos liberos, quos ob veram paupertatem nutrire et educare non possunt, suavibus verbis monendi sunt, ut, pleni spe ac fide in Providentia divina, actum coniugalem rite perficiant, et curae Dei relinquant liberos, si nascuntur. Nunquam enim Deus in sua lege viventes dereliquit; et eo modo, quo lilia et flores campi gratis, nobiliter ac speciose vestit, et coeli aves, qui neque serunt, neque metunt, neque in horreis congregant, nutrit ac pascit, ita sine necessario nutrimento et vestibus filios Pater coelestis certe relicturus non est. Non modica, sed ma-

---

On y trouve ces chiffres et ces réflexions:

« Le nombre des naissances annuelles est actuellement:

1,800,000 en Allemagne
1,600,000 en Autriche-Hongrie
1,150,000 en Italie
1,125,000 dans le Royaume-Uni
900,000 en France.

« Nous laissons de côté la Russie d'Europe, dont les 4, 665.913 naissances (chiffre de 1888) correspondent à une superficie trop supérieure à la notre pour qu'un rapprochement soit équitable.

« Il naît donc 2 Allemands quand il naît 1 Français; et dans vingt ou trente ans, il y aura deux soldats allemands pour 1 soldat français.

« Vers 1860, la France et l'Allemagne, prises dans leurs limites actuelles, avaient la même population; depuis, l'Allemagne a pris sur nous une avance d'environs 14 millions d'âmes.

« Si l'Allemagne continue dans cette voie et nous dans la nôtre, dans cinquante ans la population de l'Allemagne sera double de celle de la France ».

Bien que la nuptialité n'augmente pas (7 mariages pour 1,000 habitants), bien que le nombre des célibataires, hommes et femmes, se soit accru depuis cinquante ans (le recensement de 1851 en dénonçait 914,788, le recensement le plus récent porte á 1,376,591 le nombre des Français non mariés, mais y compris les veufs), bien qu'il y ait en France 2 millions de familles stériles, la cause profonde, la vraie cause de la dépopulation, c'est la limitation des naissances, car il semble qu'en Allemagne la proportion soit à peu près la même et des mariages, et des familles stériles.

gna fides in Deum habenda est. Profecto si vera fides humano cordi inesset, tot mala physica et moralia non essent lugenda! [1]

582. Optime scimus, ad hoc crimen vitandum, medium quoddam, ut certum a nonnullis habitum [2], indicatum fuisse, hoc est, ut coniuges a copula abstineant toto tempore, quo generatio vix sperari potest ob conditiones physiologicas mulieris, idest inter quatuordecim dies a menstruis inceptis usque ad tertium aut quartum diem ante nova menstrua, quia ab his, qui hoc tenent, putatur toto hoc tempore praegnationem faciliorem evadere, fere vero impossibilem alio tempore eiusdem mensis. Haec sententia non potest in praesenti admitti, quum superius dixerimus nulla a natura statuta esse tempora, quibus fecundatio sperari vel non sperari possit, cum mulier quocumque tempore fecundari queat, quod intercedit ab una menstruatione ad alteram et aliquando fecundari non posse tempore uti maxime propitio habito (cfr. 219 et ss.).

583. Aliquando peccatum onanismi ex communi consensu utriusque coniugis provenit, raro ex parte mulieris, saepius vero ex parte viri tantum. Quomodo vero, hoc postremo casu, mulier se gerere debeat, a theologis haec regula traditur. Mulier, quantum in se est, aperiat viro peccatum, quod committere conatur et omnibus rationibus eum suadeat vel ut abstineat a copula vel rite eam perficiat. Quod si vir neutrum agere intendit et velit absolute copulam agere, mulier, ad vitanda omnia *incommoda*, quae ex negatione provenirent, se praebeat et numquam intendat consensum dare peccato viri; mere passive se gerat. Hoc quidem non impedit quominus mulier ex copula voluptatem experiatur et de hac gaudeat, cum hoc ex rei ipsius natura impedire nequeat; sufficit ut assensum non praebeat actioni malae viri ac illam detestetur. Quod si mulier insuper gaudeat ex huiusmodi copula generationem non fieri et partus dolores ac educationis prolis studium ita vitare, nullo modo est damnanda, quia ipsa non est causa, cur generatio non sequatur et partum

---

[1] Cfr. Nardi Maurus B., *Dissertatio de Sanctitate Matrimonii vindicata*, Romae 1896; Bergeret, *Des fraudes dans l'accomplissement des fonctions génératives*, Paris 1877; Garnier P., *Onanisme*, pag. 365 et ss. et 422 et ss.; Bourgeois, *Les passions. Le libertinage*, Paris 1861, pag. 103; Debreyne, *Maechialogie*, 2ª edit., Paris 1847, pag. 347 et ss.; Bouvier, *Dissertatio in sextum Decalogi praeceptum*, Parisiis, edit. 18ª, pag. 170 et ss.

[2] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 137 et ss.; Gury-Ballerini, *Op. cit.*, pag. 917, nota ad n. 923.

effugiat, cum viri actionem detestetur; copula, in quantum ex ipsa pendet, nihil impedimenti affert ad generationem, ac proinde pro ipsa licita evadit et de gaudio effectus non sequuti inculpanda non erit. Attamen in praxi optimum erit hortari de hoc effectu sequuto non gaudere, cum facillime possit a gaudio huius effectus ad gaudium causae positae perveniri, h. e. peccati onanismi, quod grave evidenter evaderet.

584. *Incommoda*, quae supra innuimus, sunt graves rationes seu causae, quae mulierem a peccato excusant, quas Bouvier potiores recenset; et cum hic auctor plura habeat valde in praxi utilia de hoc argumento, non ingratum lectori ducimus sequentia ex eodem referre, eoque magis, quia peccatum onanismi valde frequens occurrit in confessionibus excipiendis.

In primis praemittimus casum onanismi relatum S. Poenitentiariae et eiusdem responsio.

Quaesitum fuit:

« Potestne pia uxor permittere ut maritus suus ad eam accedat, postquam experientia ipsi constiterit eum more nefando Onan se gerere..... praesertim si uxor, denegando, se exponat periculo saevitiarum aut timeat ne maritus ad meretrices accedat? »

Respondit die 23 aprilis anni 1822:

« Cum in proposito casu mulier, e sua quidem parte, nihil contra naturam agat, detque operam rei licitae, tota autem actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui, loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit; ideo si mulier, post debitas admonitiones, nihil proficiat, vir autem instet, minando verbera, aut mortem, aut alias graves saevitias, poterit ipsa (ut probati theologi docent) citra peccatum passive se praebere; cum in his rerum adiunctis ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex gravi causa, quae eam excuset, quoniam charitas, qua illud impedire teneretur, cum tanto incommodo non obligat ».

585. Ex praecedenti responso, Bouvier docet: « Uxor igitur, debitum in his circumstantiis reddendo, non peccat, dummodo *gravi causa* excusetur; causa autem reputatur gravis:

1° Si mors, verbera aut graves saevitiae timeantur; patet ex responso sacrae Poenitentiariae et ex ratione.

2° Si detur locus timendi ne maritus concubinam in domo coniugali habeat et cum illa maritaliter vivat; quia nulla est uxor sen-

sata, quae saevitias vel etiam verbera non mallet sufferre, quam commercium adeo sibi iniuriosum in propria domo videre.

3° Etiamsi maritus concubinam in domo non habiturus esset, si timeretur ne illam alibi frequentaret, vel ad meretrices accederet, quamvis sacra Poenitentiaria ad hoc quaesitum non respondeat, nobis videtur adesse causam sufficientem ut mulier excusetur; quia certe hoc valde molestum est illi, ratione iurgii, dissentionis, dissipationis rei domesticae, scandali, etc.

4° Notandum est autem gravitatem molestiarum ex circumstantiis personarum iudicandam esse. Quod enim respectu unius reputatur leve, gravissimum esse potest respectu alterius: sic rixae transitoriae, dissensiones, et etiam quaedam verbera non multum ponderantur inter rusticos, et prorsus intolerabilia forent mulieri timidae, exquisita disciplina instructae et urbanitati assuefactae. Metus ergo notabilium iurgiorum in his conditionibus esset causa sufficiens debitum reddendi.

5° Pariter si mulier certo sciat virum, ex repulsu irritatum, blasphemias in Deum et in religionem, iniurias erga confessarium et sacerdotes in genere, verba scandalosa coram famulis aut liberis pronuntiaturum, tunc debitum reddere potest; quia unum peccatum impedire volens, in causa esset quod alia aeque gravia vel graviora patrarentur; nihil ergo proficeret, et grave incommodum frustra subiret.

6° *A fortiori* metus divortii aut separationis aut infamiae aut gravis scandali esset causa sufficiens.

7° Non necesse est, quod mulier virum repellat, donec saevitias, molestias, aliave incommoda superius memorata experta fuerit; tunc enim debitum reddendo vel offerendo, malum iam existens saepe non averteret, et aliunde illud subire non tenetur ad peccatum mariti impediendum: sufficit ergo ut illud rationabiliter timeat.

8° Similiter virum, debitum cum intentione se retrahendi petentem, singulis vicibus monere non tenetur, quando ex adiunctis certo cognoscit se ab illo nihil obtenturam; debet tamen, saltem aliquoties, ostendere se crimini eius non assentire. Verum sedulo cavendum est ne illa, metu prolis, molestiarum graviditatis, aliove motivo sibi illudens, interius peccato mariti assentiat, vel in illo sibi complaceat. Sic disposita esse debet, ut mallet mori quam generationem impedire, si hoc ab ipsa penderet.

In cunctis autem his casibus ea mulieri licent, quae licerent, si actus mariti rectē perficeretur.

Principia huc usque posita ut certa sunt, habenda ».

586. « Non ita autem in praxi premenda sunt quando, scilicet, adest bona fides in coniugibus, quae, si non a toto, saltem a tanto, id est, a mortali excuset.

« Sunt enim coniuges qui, sive propria convictione et conscientia, sive saepius quia sic edocti fuerunt, de gravitate peccati non dubitant, et tunc evidens est eos absolvi non posse, quin de eo doleant, firmumque habeant propositum non peccandi de caetero.

« Sunt autem, et quidem plurimi, qui, variis rationibus innixi, in bona fide supra dicta versantur. Persuasum habent se, in statu vitaque communi matrimonii, sese continere non posse nec tamen numerosiorem prolem habere volunt, sive quia conditionem honestam et decentem educationem procurare nequirent, sive propter ipsam uxoris sanitatem quam salvam et facilem servare intendunt. Insuper huiusmodi actum saltem concupiscentiam extinguere, mutuumque amorem, adeo necessarium, fovere dicunt. Convinci nequeunt peiorem esse actum incompletum quam usum matrimonii, quando adest impossibilitas physica procreationis prolis, inter senes, v. g., et praesertim in tempore graviditatis; nituntur tandem sensu communiori, ut aiunt, patrumfamilias alioquin proborum et etiam christianorum.

« Licet istae rationes aliquibus graves videantur, sed immerito, nobis certum est praedicta aliquam saltem bonam fidem inducere posse. Non tantum in rusticis et ignaris, sed etiam in doctis et probis viris reperimus. Multi confessores, pii et sapientes, a nobis de his interrogati, responderunt se pluries eamdem bonam fidem reperisse, nec de ipsius possibilitate et in pluribus casibus existentia dubitare licet. Notandum est etiam hanc saepius in uxoribus haberi, quae, utpote passivae, facilius se excusatas sentiunt, sicuti experientia constat.

« Hisce difficultatibus nobis a confessoribus saepissime expositis pressi, dolentesque e nimia severitate tanta oriri incommoda, sequentibus verbis anxietates nostras Summo Pontifici exposuimus.

« *Beatissime Pater,*

« Episcopus Cenomanensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae summa cum reverentia provolutus, ea quae sequuntur humillime repraesentat:

« Fere omnes iuniores sponsi numerosiorem prolem habere nolunt, et tamen ab actu coniugali abstinere moraliter nequeunt.

« A confessariis interrogati circa modum, quo iuribus matrimonii utuntur, graviter communius offendi solent, et moniti, nec ab actu coniugali temperantur, nec ad nimiam prolis multiplicationem determinari queunt.

« Tunc, adversus confessarios mussitantes, sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae derelinquunt, malum praebent exemplum liberis, famulis aliisque Christi fidelibus. Lugendum inde oritur religionis detrimentum.

« Numerus eorum, qui ad sacrum tribunal accedunt, multis in locis, ab anno in annum decrescit praesertim ob hanc causam fatentibus plerisque parochis, pietate, scientia et experientia magis conspicuis.

« Quomodo ergo olim agebant confessarii, aiunt multi? Non plures quam hodie communiter nascebantur liberi ex singulis matrimoniis. Coniugati non erant castiores, et nihilominus praeceptis annuae confessionis ac communionis paschalis non deerant.

« Omnes libenter admittunt infidelitatem erga compartem et abortus intentionem maxima esse peccata. At vix quidam persuaderi possunt se teneri sub peccato mortali aut perfectam in matrimonio servare castitatem, aut incurrere periculum innumeram generandi prolem.

« Praefatus Cenomanensis Episcopus, ingentia hinc obventura esse mala praevidens et anxietate turbatus, a Beatitudine Vestra sollicite exquirit:

« 1° An coniuges, qui matrimonio eo utuntur modo, ut conceptiones praecaveant, actum per se mortaliter malum exerceant?

« 2° Si actus habendus sit ut per se mortaliter malus, an coniuges de illo se non accusantes considerari possint tamquam in ea constituti bona fide, quae eos a gravi culpa excuset?

« 3° An probanda sit agendi ratio confessariorum, qui, ne coniugatos offendant, illos circa modum, quo matrimonii iuribus utuntur, non interrogant? »

RESPONSIO.

Sacra Poenitentiaria, mature perpensis propositis quaestionibus, ad 1^am^ respondet. Cum tota actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit; ideo, si mulier, post debitas admonitiones, nihil proficiat, vir autem instet

minando verbera aut mortem, poterit ipsa (ut probati theologi docent) citra peccatum passive se praebere, cum in iis rerum adiunctis, ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex gravi causa quae eam excuset, quoniam charitas, qua illud impedire teneatur, cum tanto incommodo non obligat.

Ad 2am autem et 3am respondet: quod praefatus confessarius in mentem revocet adagium illud, *Sancta sancte esse tractanda*, atque etiam perpendat verba S. Alphonsi de Ligorio, viri docti et harum rerum peritissimi, qui in Praxi Confessarii, § 4, n. 7, inquit: *Circa autem peccata coniugum respectu ad debitum maritale, ordinarie loquendo, confessarius non tenetur nec decet interrogare, nisi uxorem an illud reddiderit, modestiori modo quo possit,... De aliis taceat, nisi interrogatus fuerit;* nec non alios probatos auctores consulere non omittat.

Datum Romae, die 8 Iunii 1842.

« Verba S. Alphonsi de Ligorio citata reperiuntur in editione undecima, in-4°, § indicato, sed n. 41.

« 1° Advertendum est, ut supra diximus, sacram Poenitentiariam, quamquam priori quaesito respondere noluerit, actum viri matrimonio abutentis per se mortaliter malum supponere; is est responsionis sensus obvius.

« Sed nunc, ut ad praxim deveniamus, eadem S. Poenitentiaria admittit regulam a S. Ligorio indicatam esse prudentem et confessarium eam tuto sequi posse.

« 2° Caute abstineant confessarii, praesertim iuniores, ab indiscretis interrogationibus, quae gravem inferunt molestiam coniugibus; prudenter admodum agant et loquantur, nec citius et inconsiderate ipsis gravitatem actus innotescere faciant, ne bonam fidem, absque ullo pro animabus fructu, destruant.

« 3° Cum omni sollicitudine et discretione conscientiae statum perpendant, ut ipsis constet utrum sit bona fides, an non.

« Si non existat, iam quid faciendum sit diximus.

« Si vero iudicetur eam existere saltem circa gravitatem actus, caute poenitentes hortentur; nam, hac bona fide sublata, quin ipsi ad aliam agendi rationem adduci valeant, peccata, huc usque materialia, formalia fient, absque ullo fructu, inductis in contrarium, de quibus supra, incommodis.

« 4° Interrogatus confessor cum eadem discretione respondere

debet, et aliquando tacere circa gradum malitiae poterit, quando, scilicet, spes firma rectiorem agendi modum obtinendi non affulgebit.

« Verumtamen, si directe circa gradum malitiae interrogetur nec tacere queat, mentem suam aperiet; in nullo enim casu veritatem laedere licet; sed caute etiam, nec nimis affirmative aut absolute, ne bonam fidem forte adhuc superstitem auferat.

« 5° Nihilominus, sedulo inducendi sunt coniuges ad sancte vivendum in matrimonio, hortandique, prout prudentia sinet, vel ad recte utendum, vel ad abstinendum.

« Studeat uxor pro viribus maritum blanditiis, omnibus amoris indiciis, precibus hortationibusque ad actum recte perficiendum, vel ab eo prorsus abstinendum et christiane vivendum adducere; experientia constat plurimas mulieres, viros sic allicientes, eos lucratas fuisse » [1].

587. Quid vero agendum, cum mulieri, ob nonnullos praeteritos morbos, a medico prohibeatur usus matrimonii, quia praegnatio ac proinde partus sequuturus vitae finem induceret? — Respondemus, mulierem, in tam gravi periculo vitae constitutam, non teneri reddere; ipsi usus onanisticus pariter est vetitus, ac proinde non licent ei nisi tactus et cetera huiusmodi, quae iuxta communem doctrinam permittuntur.

---

[1] Bouvier, *Op. cit.*, pag. 174-182.

CAPUT V.

DE SATISFACTIONE VENEREA SOLITARIA IN UTROQUE SEXU, SEU DE MANSTURBATIONE

Neque molles.... regnum Dei possidebunt.
(I Cor. 6, 10).

588. Funestissimum hoc scelus, quod semper apud homines invaluit, nunc temporis adeo frequens evadit, ut nulla adsit aetas, nulla conditio, nullus prorsus personarum status, in quo amplissime non reperiatur. Ordinarie loquendo, a pueritia in utroque sexu incipit; et, nisi cito evellatur, etiam in senectute, et quidem etiam extrema, servatur usque ad mortem; frequentior est in viris, quam in feminis. Nonnulli auctores nomine mansturbationis artificialem seminis effusionem intelligunt (pollutionem), ex qua perfectio voluptatis sequitur; alii vero tantum perfectionem voluptatis quaesitam intelligunt, sive pollutio habeatur sive non. Id vero hoc nomine intelligi videtur; mansturbatio enim, quae consistit in excitatione, praesertim manu, genitalium usque ad expletam erectionem et veneream satisfactionem, ad hoc fit, ut ex commotione horum organorum, maxima exurgat sensibilitas nervea pudendorum, et maximum complementum voluptatis venereae; quod quidem complementum in viro, qui iam pubertatis annos attigit, cum emissione seminis coniungitur, in impubere et eunuchis cum fluxu mucus prostatae et uretrae, in muliere vero *saepe* cum emissione muci vulvo-vaginalis (*seminatio* pro theologis). Ut patet, quod in mansturbatione quaeritur, non est seminis aut praedicti muci emissio, sed tantum perfectam libidinis

expletio. Quapropter vera mansturbatio datur et in eunuchis, in pueris, puellisque etiam minimae aetatis [1]. (Cfr. Gury-Ballerini I, 427, not.).

589. Hinc nomine mansturbationis comprehenditur expletio libidinis, quae haberi potest cum pollutione seu emissione seminis praeter finem generationis, ut fit in viris post pubertatem vel cum distillatione seu emissione muci praesertim prostatae et uretrae, uti in eunuchis, utroque testiculo carentibus, aut cum emissione muci vulvo-vaginalis, qui potest fluere in genitalibus internis vel externis, apud mulieres. Hic notari oportet veram pollutionem nonnisi in viris locum habere, post adeptam pubertatem, minime vero in ceteris et in feminis; nam, uti melius infra videbitur, iuxta communem doctrinam, pollutio est voluntaria effusio seminis extra concubitum seu copulam; et, cum semen ordinatur a natura ad prolem, illud effundere praeter hanc, est peccatum consummatum contra naturam; eunuchi vero nullum possunt effundere semen, cum non habeant; idem dicendum de impuberibus; in feminis vero, quod vere et unice est dicendum semen, est *ovum*, quod quolibet mense ex ovariis sponte dedicit, et mucus vulvo-vaginalis, quem possunt per mansturbationem emittere, nil habet commune, nec physice nec physiologice, cum ovo. — Nec dici potest malitiam pollutionis in viro esse in frustranea decisione nemaspermatum ex testiculis et eamdem malitiam inveniri in mansturbatione feminae, quae, ob excitationem organorum voluntariam, producit, eruptionem folliculi Graaf, continentis ovulum, et huius frustraneam decisionem. Nam semen, emissum a viro per mansturbationem, non provenit ex testiculis, sed ex vesiculis seminariis; et mansturbatio feminea non producit decisionem ovuli, etsi *possit* aliquantulum accelerare seu praevenire tempus eius decisionis ac proinde menstrui sed tantum, ob auctam congestionem localem, producit emissionem praedicti muci. Deinde notetur mucum virilem et femineum eiusdem esse naturae, cum uterque sit secretio communium glandularum, et eumdem finem mere mechanicum physiologice habere; mucus enim,

---

[1] In hac vero aetate mansturbatio tantum materialis est, quae a statu quodam morboso vel nevrosi pendet, cuius tamen correctio, per medicum vel per genitores est facienda, ne progressu temporis in pravum habitum permutet. Diligentiae et studio materno hoc munus optime convenit, cum matres plurimum possint in animos horum infantium. (Cfr. Surbled, *La Morale* etc. *La vie sexuelle*, pag. 17 et ss.).

praesertim prostaticus et uretralis, in viro inservit, iuxta intentionem naturae, ad diluendum semen quo facilius emittatur in copula; mucus vero vulvo-vaginalis in femina inservit ad praebendum faciliorem ingressum membri virilis in vaginam et ad augendam sensationem tactus. Quapropter, omnibus inspectis, pollutio proprie dicta plane differt a facto emissionis similis muci virilis et feminei. Et cum in viro haec emissio constituat *distillationem*, iuxta theologos, eadem emissio in femina, in eunuchis et impuberibus debet constituere parem distillationem. — Nec contra haec opponi potest, quod communiter legitur in libris theologiae moralis, scilicet distillationem in viro secum ferre aliqualem emissionem seminis, quae tolleret paritatem casuum; nam falsum est simplicem distillationem secum ferre hanc emissionem, cum distillatio facile oriatur etiam parva irritatione seu parva erectione membri, dum emissio seminis, si excipias casus morbosos, requirit magnam membri irritationem, quae adducat vehementem et spasmicam contractionem canalium ducentium semen et omnium musculorum perinei, quo semen e vesiculis emittitur per uretram. Quare emissio muci, qui fit in eunuchis, in impuberibus et in feminis per mansturbationem, non est nisi simplex distillatio, quae differt a malitia pollutionis.

Haec vero distillatio in eunuchis et impuberibus, quae sit voluntaria, habet tantum malitiam impudicitiae tactus, dummodo eunuchus et impuber voluntatem non habeant semen emittendi, etsi nequeant, quia tunc accederet affectus ad pollutionem; quod esset per se in confessione aperiendum. Audiatur Babenstuber: « Impuberes, qui conantur impudico motu semen effundere, cum nondum possint, peccant quidem mortaliter..; istud tamen peccatum differt a vera et proprie dicta pollutione. Ratio est, quia de ratione verae pollutionis est effundere semen contra finem humanae generationis; sed nulla est in eiusmodi personis seminis effusio. Ergo. Hoc igitur peccatum reipsa ac proprie pertinet ad impudicitiam tactus... Quod de impuberibus dictum est, etiam de eunuchis intelligi debet » [1]. Idem docet Tamburini: « Qui ex defectu aetatis vel alia causa (quales sunt impuberes, ut item eunuchi) non possunt motu impudico semen effundere, vel effundunt semen inutile (scil. ad generationem) peccant mortaliter...; sed certe haec species peccati differt a vera pol-

[1] Babenstuber, Tract. V, disp. 7, a. 1, n. 71.

lutione, cuius est proiicere semen contra generationis finem, quae proiectio non est in praedictis eiusmodi; ergo peccatum in impuberibus reducitur re ipsa ad tactum impudicum » [1]. Idem habent Sporer et alii contra alios, ex. gr., S. Alfonsum, qui (n. 476) ait pollutionem spadonum et puerorum nil differre a pollutione adultorum; quod quidem abesse a veritate dicendum, donec maneat conceptus pollutionis, prout a theologis ipsis semper traditus fuit.

590. Cum vero in distillatione, voluntarie quaesita, habeatur resolutio seu corruptio naturae, praeter eius finem, videtur in his peccatis duplicem malitiam inveniri, scilicet malitiam impudicitiae, quatenus motus genesici voluntarie quaerantur ob delectationem, qui fieri possunt etiam absque distillatione, et malitiam peccati consummati, iuxta naturam physiologicam subiecti, qua distillatio sequitur; quae duplex malitia esset per se in confessione manifestanda. Attamen, cum distillatio feminae nullo prorsus modo differat a distillatione virili, et hanc theologi reducant ad malitiam impudicitiae tactus tantum, et cum nonnulli theologi recentes reiiciant omne specificum discrimen inter varias delectationes venereas feminarum, quia in distillatione nullum penitus semen emittunt, in praxi optimum semper erit, cognito tactu, confessarium ab interrogationibus abstinere, cum in hac materia melius sit in aliquo deficere, quam, ob integritatem confessionis, in plura incommoda incidere. Qua re Confessarius tuto sequi potest regulam a Bouvier datam, qui ait: « Tactibus aut motibus libidinosis discrete cognitis, a pudibundis interrogationibus abstineat Confessarius » [2]. In hoc conveniunt Frassinetti, vir valde practicus, Berardi, Ballerini, Génicot etc.. Frassinetti haec habet: « Hic autem movenda quaestio est super re in praxi frequentissima, scilicet an cum mulieres se accusant de actibus turpibus habitis secum ipsis, vel cum aliis, interrogari debeant, si ipsae non exprimant, adfuerit pollutio (scil. distillatio) nec ne? Nulla est controversia pro puellis, quae propter illam interrogationem possent addiscere quae ignorant; eas certum est apud omnes non esse interrogandas. Loquendo vero de mulieribus, controversiae fit locus ex eo, quod, ut aiunt, saepe in feminis pollutio locum habeat tantum interius, ita ut neque ipsae scire possint an reapse pollutae sint. Cum res ergo dubia sit, in-

---

[1] Tamburini, *De 2° Eccles. praecep.*, c. 17, n. 13.

[2] Bouvier, *Op. cit.*, pag. 72.

terrogatio isthaec plerumque erit inutilis. Nam multae respondebunt se nescire; aliae vero negabunt absolute, etsi pollutio, ipsis insciis, locum reapse habuerit; quo in casu huiusmodi interrogatio tantummodo inserviet, ut confessarius erret in suo iudicio. Si igitur futurum est, ut saepe veritas dignosci non possit, cum eadem malitia sit in actibus turpibus, sive eveniat sive non eveniat pollutio (differentia enim esset per accidens, si actus per se capaces sunt producendi illum effectum, ut supponitur); cum insuper mulieres generatim putent se bene confiteri peccatum, exprimendo simpliciter actus turpes; cumque vitandae sint hac in materia omnes interrogationes, quae non sint stricte necessariae, videtur haec interrogatio, per se valde turpis, semper omittenda. In illis actibus confessarius supponere debet pollutionem adfuisse; ii enim sunt, si non ordinati, saltem capaces ad eam producendam; quod si facto non eveniat, hoc fieret praeter intentionem mulieris peccantis, nec propterea deesset pollutionis malitia; quapropter sive locum pollutio habuerit, sive non, iudicium confessarii, quoad malitiam poenitentis, variare non potest. Nisi ergo mulieres id exprimant per se, quod generatim non faciunt, confessarius tuto efformet iudicium de pollutionis malitia ut abstineat ob omni ulteriori interrogatione » [1]. Berardi docet: « Dicente poenitente *me tetigi*, si constet quod vere malitiose se tetigerit, praesumendum est quod actum ad finem suum produxerit; unde (sive de viris, sive de feminis agatur) interrogationes de re ista omitti posse dicerem. Verum est, quod aliqui actum interrumpunt, etsi malitiose illum inceperint, sed exinde confessarii obligari nequeunt ut ominibus et singulis, qui se tetigisse confitentur, circa hanc ipsam interruptionem in confessionibus ordinariis interrogationes superaddant » [2].

591. Hic notamus mansturbationem virilem per glandis contrectationes expleri, femineam vero ordinarie per contrectationes clytoridis et ceterarum partium vulvae, rarius per contrectationes vaginae et uteri, ut inferius dicetur.

592. Mansturbatio semper est peccatum grave; quia 1° habetur ex I Cor. 6, 10, *neque molles... regnum Dei possidebunt;* 2° adversatur

---

[1] Frassinetti, *Compendio della teol. mor. di S. Alf.*, 7ª edit., n. 14, pag. 533.

[2] Berardi, *Praxis Confessariorum*, n. 851. (Cfr. etiam Gury-Ballerini, *Op. cit.*, vol. I, n. 425; Génicot, *Theol. mor. instit.*, ed. 2ª, 1898, vol. I, n. 396).

propagationi et conservationi generis humani, ac ideo ordini naturali, quia, si esset licita aut nonnisi venialiter illicita, homines mansturbationi vacarent, fugiendo matrimonium et eius praecipuum finem seu prolem; at « semen humanum a natura ordinatur ad generationem; ergo illud effundere ob alium finem (voluptatem) repugnat ordini naturae » [1]; 3° constat ex proposit. 49 damnata ab Innocentio XI, quae est: « Mollities iure naturae prohibita non est; unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali ».

593. Signa seu indicia *certa*, ex quibus habitus mansturbationis dignosci possit, non adsunt, si, iuxta doctores, excipias locum, quem tenet pupilla oculi; pupilla enim statu physiologico rotunda est et in medio iridis invenitur; per mansturbationem vero aliquando elatior in iride, aliquando in eius latere observatur et e rotunda fit oblonga. Inspectio localis vero certum indicium praebet, quae tamen clerico minime refert.

Cum hoc vitium perniciosissimum sit sanitati in utroque sexu, ut facile possint pessimi eius effectus recte cognosci, qui in praxi confessario utiles valde esse possunt ad deterrendos peccatores in hac materia et ad illos avertendos ab huiusmodi peccatis, primum sermo erit de effectibus in viro, postea de effectibus in muliere.

594. *De mansturbatione in viro* [2]. — Ut supra innuimus, multae sunt causae vel occasiones huius vitii et varii sunt effectus ipsi, qui pendent ab aetate, a congenita vel acquisita nervorum magna sensibilitate, a robusta vel debili physica constitutione, a numero actuum repetitorum etc. In primis *modus* ipse, quo patratur, sive stando, sive sedendo, sive iacendo, differentes gignit effectus. Stando, pessimi saepe oriuntur effectus; nam musculi totius corporis, ad stationem servandam, contrahuntur; vis nervea magis exaltatur; medulla spinalis congestione sanguinea afficitur, et debilitas sequitur crurum, quae aliquando eorum paralysim adducit. Multa exempla hoc demonstrant. Aliae positiones corporis, etsi non sint absque malis consectariis, minoris tamen effectus sunt. Hoc vitium, ferax multorum malorum

---

[1] Elbel, P. 4, Conf. 9, n. 254.

[2] Cfr. Garnier P., *Onanisme*, pag. 197 et ss., et caetera eiusdem Auctoris opera; Bourgeois, *Op. cit.*, pag. 110; Surbled, *Op. cit.*, *La vie sexuelle*, pag. 17 et ss.; Fournier, *L'Onanisme*, Paris 1892; Bouvier, *Op. cit.*, pag. 52 et ss.

pro infantia et iuventute, funestissimum evadit pro adolescentia; item funestissimum apparet in aegrotantibus, in affectis scrophula vel rachytide, in vulneratis aut chirurgicam operationem passis, in convalescentibus, quibus saepe visum est mortem adduxisse, praesertim si amputationem alicuius membri passi fuerunt; his enim aliquando supervenerunt febris, delirium et convulsiones naturae tetanicae, quae finem vitae paucos post dies adduxerunt [1]. Insuper Dr. Baraduc signa mansturbationis in amputatis ac vulneratis pluries observavit; in cicatricibus enim et plagis notavit parvas eminentias velut puncta, albi et flavi coloris, magnitudinis grani miliacei, quae, prout ipsi patientes confessi sunt, apparuerunt tempore, quo huic vitio indulgebant et paullo post cicatrices super plagas adduxerunt [2]. Omnes morbi mentis hac causa aggravantur.

595. Notandum, hic, mansturbationem non semper et omnino a voluntate pendere; causae enim physicae voluptatis aliquando in corpore, morbo affecto, sedem habent, quae multum ad abusus praedisponunt vel excitant, vel impellunt, sicut sunt epilepsia, hypochondria, amentia, hysteria, chorea, nymphomania, priapismus, nevroses genitales in ataxia, evolutio anormalis genitalium (phimosis etc.), nonnulli morbi mucosarum, herpes genitalium, smegma praeputii, vermiculi recti intestini, irritatio cerebelli et medullae spinalis, phthysis pulmonaris, idiotismus etc. Quum vero nonnulli ex his morbis aut incomodis voluntatem penitus non tollant, dum, contra, nonnulli ex ipsis voluntatem adeo perturbant, ut patientes inhabiles fiant ad libere agendum, liquet primo casu non facile cognosci posse quantum voluntatis sit in actibus turpibus patratis. His causis exceptis, mansturbatio communiter obtinet in personis omnino sanae mentis, causa tantum voluptatis [3].

596. Frequenter nunc temporis causa potissima pravi habitus mansturbationis sunt nonnulli medici, qui adolescentes, post pubertatem, quae excitationem genitalium affert, consiliantur hoc modo voluptatem quaerere, cum haec sit (aiunt) necessitas naturae, quae, semel in hebdomada, nihil mali valetudini afferre potest. Hi doctores nihil im-

---

[1] Schwartz. *Dissertations sur les dangers de l'onanisme et les maladies, qui en resultent.* Thèse. Strasbourg. 1815, Fournier, *Op. cit.*, pag. 132.

[2] Baraduc, *De l'ulceration des cicatrices recentes symptomatiques de la nymphomanie et de l'onanisme*, Paris 1872.

[3] Cfr. Ribot., *Les Maladies de la volonté*, Paris, 1906.

moralitatem actus considerant, dum lege naturali ipsa prohibeatur, et facilitatem nimiam habitum contrahendi, et in peiora crimina carnalia dein labendi praebent, ut constans docet experientia. Ceterum, ex inferius dicendis, clare patebit quot mala, etiam valetudini, adducere hoc consilium valeat.

597. In *infantia*, quae decurrit usque ad decimum quintum aetatis annum, mansturbatio maxime ubique frequens est et huic aetati perniciosissima evadit, quoad valetudinem. Semen enim, quod hoc tempore conficitur, emissum graves mutationes in nerveo systemate affert ac ideo in sensibus et toto corpore; hinc debilitas et generalis defatigatio, frequentes nocturni sudores, capiti dolores, dispepsia, h. e. difficultas digestionis, appetitus diminutio, irregularitas in foecibus emittendis, necessitas saepe urinam eiiciendi, facilitas in morbos incidendi ob aëris variabilitatem et plura alia incommoda, ex quibus saepe, particulari modo, notantur convulsiones membrorum ob irritationem nervorum, sine causa apparenti, et chorea.

Specialem actionem mansturbatio videtur habere in sensibus *visus* et *auditus*, ut doctores Rognetta et Hutchinson observarunt; vis enim visiva, ob hoc vitium, debilitatur et potest etiam caecitas subsequi. Auditus etiam potest minuere aut etiam deficere.

In hac aetate saepe epistaxis, h. e. emissio sanguinis e naso, ex hoc vitio consequitur [1].

598. In *adolescentia* maiores sequuntur mali effectus; vitium enim in pueritia contractum quacumque ex causa, profundiores gignit radices in cor adolescentium, quia hoc tempore pubertas manifestatur pleniore vita; et, cum totum physicum organismum pleniore robore redundet, organa ipsa genitalia, adiuvante phantasia et imaginatione, alterius sexus voluptates quaerit, quas quum nec facile nec licite obtinere possint, adolescentes frequenter mansturbationi vacant, et hoc praesertim vere et autumno; quod quidem tempus satis prae

---

[1] In hac aetate modus specialis mansturbationis habetur fricando et premendo contra lectum vel terram membrum, donec perfectio voluptatis sequatur. Effectus, qui ex hac praxi sequuntur, iidem sunt, quos supra notamus. Saepe primos sensus voluptatis pueri experiuntur, cum, in exercitiis gymnasticis vel ruri, ascendunt, per motus crurum, super tensas chordas vel arbores et praesertim descendendo, ob fricationem et pressionem membri; frequenter hoc est causa voluptatem discendi et postea eam renovandi per mansturbationem, vel premendo membrum inter crura, vario modo disposita. Institutores iuvenum haec bene advertant.

oculis iuvenum institutoribus habendum est, quo facilius valeant vitium detegere et extirpare. Maxima vigilantia egent adolescentes, in collegiis degentes, lymphatici, illi, cuius corpus lente adcrescit, qui sunt macilenti, pallentes, timidi, aliorum iuvenum societatem fugientes, solitudinem quaerentes, qui effeminate vivunt et illi, quos pubertas nonnisi lentissime comitatur; in his omnibus vitium, de quo agimus, hos status producit. Cum hoc vitium totum nervorum systema perturbet, cerebrum peiores patitur effectus; hinc intellectus debilitatur, amor studii deficit, cultus virtutis despicitur, quidquid boni vel magni vel nobilis potest spiritum decorare, naturaliter negligitur. Malus hic habitus naturalem et rectam aestimationem amoris maxime immutat ac pervertit; hinc repetenda, pro multis, indifferentia et aversio a matrimonio; hinc frigiditas, quae non raro in coniugio invenitur.

599. Sistemate nerveo, et praesertim cerebro, ob continuas irritationes et quassationes, debilitatis et extra ordinem particularem sensibilitatem adeptis, sensus moralis et voluntas item debilitantur; hinc frequentes actuum turpium repetitiones, quos fere semper poenitentia sequitur; immo cuilibet actui saepe poenitentia comes est; paullo post vero, in idem reditur. Pro nonnullis huius aetatis, huic vitio indulgentes, vita ipsa alternata sequela est peccatorum et poenitentiae. Ex hoc etiam facile sequitur perversio istinctus sexualis, cuius causa cito aut gradatim ad peiora crimina lata aperitur via.

600. Ob actus repetitos, *mucosa uretrae* adeo congestione laborare incipit, ut etiam haemorrhagia uretralis, h. e. emissio sanguinis ex uretra, facile veniat; quae congestio ad cetera organa genitalia extendi etiam potest, praesertim ad testes, qui doloribus vehementibus tunc afficiuntur, quique etiam *orchitem*, h. e. inflammationem testiculorum, afferre valent. Saepe macilentia, stomachi debilitas, pollutiones nocturnae involuntariae, quae aliquando etiam finem vitae paucos post menses adduxerunt, gravissimi effectus sunt huius vitii.

Schwartz et Gosselin *atrophiam* etiam testiculorum observarunt, ex qua impotentia perpetua ad generationem sequitur. Haec atrophia ex laesione canalium seminalium oritur.

601. Notum est *qualitatem vocis* a statu organorum generationis maxime pendere; ob mansturbationem, vox debilitatur et immutatur; in nonnullis enim exilis tenuisque evadit, in aliis catarrhosa, irregularis, dissonans fit; in aliis vero adeo profundiores mutationes patitur, ut etiam aphonia, h. e. defectus eius totalis, sequatur.

602. Ob vehementes quassationes nerveas, quas mansturbatio adducit, *systema circulatorium* et *respiratorium* item graviter patiuntur et veri morbi saepe ortum ducunt; hinc frequenter repetenda vitia cordis, ex quibus praesertim cardiopalmus [1], h. e. cordis palpitatio, et facilitas rheumata et phthysim incurrendi.

603. In adolescentibus etiam *epilepsia* mansturbationem sequi potest, ut non raro observatum fuit ab antiquioribus temporibus usque ad praesens, cum convulsionibus totius corporis, oculis rubefactis, pupilla dilatata etc. Immo, qui semel accessum epilepticum ob hoc vitium habuit, accessus repetitur toties quoties in idem habetur reincidentia; item evenit in eo, qui hereditate epilepticus evasit, et aliquando, etsi numquam epilepticus fuit, cum prima vice licite coit. Et hoc non tantum in viro, sed et in animalibus, ut cane, pluries notatum fuit. Effectus epilepticus est motus reflexus actus ipsius; hic enim vehementes quassationes in sensorios nervos producit, quae ad medullam spinalem et cerebrum transmittuntur, nervos motores fortiter excitando, qui evidenter tunc vehementes contractiones musculorum, h. e. convulsiones, producunt.

604. Notandum insuper est, pollutiones involuntarias, diurnas et nocturnas, quae mansturbationis effectus sunt, non tantum locum habere, quum vitium hac aetate contrahitur et verum semen emittitur, sed etiam quum vitium et in minima aetate contractum fuit, in qua nondum habebatur seminis elaboratio; debilitatio enim, illo tempore producta, in adolescentia perseverat. Ex hoc repetendae saepe item sunt diurnae pollutiones, quas iuvenes mares experiuntur coram mulieribus, quas adeunt etiam honestis causis. Hic status maximae debilitationis potest secum ferre sterilitatem et etiam impotentiam ob aspermatismum, h. e. absentiam nemaspermatum in semine.

605. Ob hanc corporis conditionem, maxima debilitas adolescentem invadit una cum multis symptomatibus, quae illum valde terrent; perturbationes enim visus et auditus, macilentia continuo maior, stomachi dolores, carentia somni, vertigines, ideae obscurae, tristitia, melancholia, conscientiae remorsus, absentia aut diminutio sensus

---

[1] Ioannes Dolaeus refert quemdam virum, dum mansturbationi vacabat, adeo vehementi cordis palpitatione correptum fuisse, quod certo vitam amisisset, nisi cito a turpi actu destitisset. (FOURNIER, *Op. cit.*, pag. 95).

moralis, memoriae et intelligentiae, fortissime spiritum adolescentis perturbant, adeo ut non raro tot malorum finem per suicidium sibi procuret. Status animi et totius corporis et praesertim organorum generationis malum saepe augent; adolescentes enim pallentes aut lymphatici et generatim valde debiles, cum erectionem non amplius tam facile habeant, conatus maiores ad eam procurandam adhibent; nervosos vero erectio fere continua, h. e. priapismus, tenet; tunc quaevis levis causa, physica vel psychica, pollutionem adducit. Terribilis pro valetudine est hic status; et, nisi remediis moralibus et medicis adolescens utatur et fortem voluntatem se se corrigendi habeat mors cito venit.

606. Tempore *virilitatis* functiones genesicae tantum ad procreandam in matrimonio prolem inservire debent. Tamen etiam hoc tempore mansturbatio frequentissime notatur. Aliquando coniugis interitus et obstacula ad alteras nuptias transeundi, aliquando maioris voluptatis studium, generationis vitatio, prava anteactae vitae consuetudo mansturbationis et multae aliae rationes, causae sunt frequentis huius vitii occursus. Gravissimi et in hac aetate effectus consequuntur, ex quibus, ob irritationem medullae spinalis, paralysis generalis, mania, ataxia, amentia, melancholia et hypocondria primum locum tenent. Forma quaedam amentiae, quae hic habetur, est exhibitio genitalium publice, certo tempore et certis diei horis et locis, in quibus magnus populorum concursus invenitur, absque ulla provocatione; hi omnes ad domum mente captorum mittendi sunt.

Item, ob irritationem medullae spinalis, tremitus membrorum et convulsiones oriuntur et paraplegia h. e. paralysis quaedam crurum, sensibilitate tamen permanente [1].

607. In *senectute,* et in extrema etiam senectute, mansturbatio frequens item est. Ordinarie in viduo, in coelibe, et in illis, quibus

---

[1] Doctor Bourbon, qui modo speciali incubuit studio effectus copulae et mansturbationis in genesi paralysis, ad conclusiones valde tristes pervenit, quas hic brevi colligimus. Mansturbatio est causa paralysis frequentior, quam quis putare potest. Paraplegia communior est paralysis a dicta causa oriens; mansturbatio affert lentam congestionem, continuo maiorem, totius et saepius partis tantum substantiae cerebralis aut meningum, vel etiam affert quassationem molecularem, partialem aut generalem, totius encephali et medullae spinalis. Paralysis motus frequentior est quam paralysis sensus; progressus huius paralysis fere semper gravis est, etsi bene curari possit statim ac prima symptomata debilitatis membrorum apparent. (Bourbon, *De l'influence du coït et de l'onanisme dans la station sur la production des paralysies,* Paris 1857; Fournier, *Op. cit.,* pag. 103–104).

vetus erat huius vitii consuetudo observatur. Cum tempore senectutis, ordinarie loquendo, habeatur debilitatio nervorum et totius corporis, mansturbatio tunc gravissimos affert effectus, praeter superius recensitos; ex quibus vertigines, intellectus perturbationes, accessus epileptici, hemiplegia aut paraplegia. Senes, qui tota vita mansturbationi indulserunt, student diminutas vires genitales excitare; et hoc obtinent ex seipsis per impudicos tactus aut per pueros, cum quibus saepe sodomiticos actus agunt, per puellas et per meretrices. Corruptio hoc modo puerorum aut puellarum character specialis senum corruptorum esse videtur. Hoc tempore publica exhibitio genitalium ut supra, frequens evadit; quo fit, ut frequenter tale impudicissimi viri ad poenalia tribunalia traducti conspiciuntur.

608. *De mansturbatione in femina* [1]. — Cum loca voluptatis in femina, uti iam diximus, sint clitoris, vulva, vagina et uterus [2], nonnulli auctores [3] mansturbationem femineam distinguunt in clitorideam, vaginalem et uterinam, cui addenda est vulvaris. Haec distinctio, etsi in medicina legali magni momenti esse possit, in praxi, h. e. pro Confessario, nil omnino interest et numquam de quanam agatur scrutari debet in confessione; sufficiat ei noscere feminam actus turpes secum ipsa patrasse. Neque ullo modo attendenda est sententia eorum, qui tenent mansturbationem uterinam novam speciem peccati constituere; quia, quivis sit tactus turpis patratus, eamdem malitiam retinet, nec ratio aliqua seria adduci potest, qua mansturbatio uterina novam malitiam acquirat, etsi ferax sit graviorum effectuum. Hanc praxim confessarius tenere debet, quia 1° omnes theologi in hoc consentiunt; 2° fere numquam mulier discrimen indicatum noscere potest, cum, in his actibus, nihil aliud quaerat, nisi pleniorem voluptatem; 3° hae interrogationes gravis scandali feminis essent et causa aversionis a Sacramentis; 4° periculum grave peccandi confessario inesse posset et causa sollicitationis; 5° nulla est omnino ratio haec discrimina inquirendi, et 6° sancta sancte sunt tractanda.

Hac causa, omnes has differentias omnino praetergredimur, cum ex ipsa appellatione satis pateant, et nobis satis est eas indicasse, quo

---

[1] Garnier P., *Onanisme*, pag. 321 et ss.; Pouillet, *L'onanismo nella donna*, Roma 1896; v. et opera in mansturbatione virili superius citata.

[2] Mansturbatio in feminis habetur etiam per excitationem manualem meatus urinarii ac glandularum Bartolinii.

[3] Debreyne. *Théol. mor.* etc., pag. 112; *Moechialogie, Op. cit.*, pag. 61 et ss.

melius consequentias ex his peccatis sequentes, existimari possint. Addimus tamen mansturbationem clitorideam et vulvarem frequentiorem esse ceteris formis.

609. Signa *certa*, ex quibus nosci potest hoc vitium in feminis, non adsunt, si excipias varias deformitates et saepe morbos genitalium, quos repetiti actus inducunt, quae quidem minime ad Confessarium, spectant, sed ad medicum, obstetrices aut genitores instructos, ex quorum statu certo mansturbatio apparet, praesertim ob laceratum hymenem, quod frequenter notatur ob tale vitium, ob valde evolutam clitoridem, ob longiora labia etc. Et cum haec indicia ordinarie celata manent, et parentes fere semper nimis suas filias aestiment, plerumque fit, ut vitium diu occultum perseveret et radices profundas mittat.

610. Indicia, quae *suspiciones* praebent de hoc vitio, plura sunt; in primis non omnino negligenda sunt aspectus et ingenium puellae; nam pallor faciei, oculi velut pavore perterriti, pupillae ampliatae, palpebrae satis rubrae, magna sensibilitas nervea, characteris psychici maxima sensibilitas ac mobilitas, anemia, chlorosis, etsi ex aliis causis oriri possunt, saepe ex mansturbatione etiam procedunt; maioris momenti sunt ubera parum aut nihil evoluta, aut fere atrophica, menstruationes irregulares, incontinentia urinae. Quum vero diu praxis mansturbationis perduravit et vitium occultum remansit, ex sequentibus signis coniici potest: abbundantes secretiones locales apparent (fluores albi), stomachi contractiones (crampi), fortes dolores in regione ovariorum et in decursu Phallopii tubarum; immo, iuxta doctorem Guislain, indicia haec certa sunt. Ut facile liquet, omnes hae anomaliae in officio organorum tanti momenti pro valetudine, ceteras corporis functiones valde perturbant, quae aliquando grave periculum vitae puellarum inducunt; hinc accedunt macies, defatigatio, anemia, chlorosis, syncopes, cordis palpitationes, vox catarrhosa, debilis, exilis, pulmonum debilitas cum magna facilitate phthysim contrahendi.

Cum vero omnia haec symptomata non appareant ob robustam puellae physicam constitutionem, tunc non raro ex aliis signis hoc vitium coniici potest; puellae bonas conversationes, honestas societates, loca, in quibus ordinarie multae conveniunt ad mentem honeste recreandam, omnino fastidiunt, immo, in quantum possunt, fugiunt; proposita matrimonia inire recusant; solitudinem prae omnibus quaerunt.

611. Cum tota feminea physica constitutio debilior ac magis deli-

cata, quam virilis, sit, sequitur effectus peiores ex hoc vitio procedere maiorisque gravitatis. Aliquando robustiores puellae floridae ac perfectae valetudinis, paucos post menses, hac causa, nymphomania laborant. Omnes nervorum morbi sequi possunt, sicut paralysis, chorea, epilepsia, catalepsia, extasis, hypocondria ac membrorum tremores et convulsiones; nevrosis uterina frequenter impotentiam adducit; aliquando habita fuit monomania occisionis, furti et suicidii; sensus visus et auditus debilitantur; nevralgiae capitis una cum vertigine frequentes sunt; ossa ipsa aliquando carie afficiuntur, et columna vertebralis deformatur, gibbositatem adducendo.

612. Mansturbatio non tantum in infantia et adolescentia notatur [1], sed etiam post matrimonium, praesertim cum vitium a teneris annis contractum fuit. In vita coniugali, coniuges saepe invicem se mansturbant et haec praxis funestissima pro muliere evadit. Quum mulier praedispositiones habeat ad cancrum uteri, ad scrophulam aut phthysim, hi morbi cito manifestantur; si adest conceptio, quae difficilis est ob sterilitatem consequentem, facilis evadit abortus [2]; glandulae Bartolinii frequenter inflantur usque ad magnitudinem mali communis, quae coitum impediunt; collum ipsum uteri adeo potest longum evadere, ut extra vulvam etiam appareat. Ceteri nervorum morbi, qui mulierem afficiunt, sunt quos superius de viro adnotavimus.

Iidem effectus, quos supra recensuimus, sed maioris gravitatis, sequuntur cum mansturbatio exercetur inter duos eiusdem vel diversi sexus.

Alii effectus frequentes sunt vulvites et vaginites, quae facile chronicae evadunt, inflammatio acuta uteri (metrites acuta), chlorosis, scrophula et phthysis, relaxatio, inversio et diminutio vaginae, prolapsus uteri, metrorrhagia h. e. abbundantes sanguinis emissiones ex utero, encephalites, meningites, stupiditas; deinde, iuxta nonnullos doctores, ascessus, cerebri cancer (Descuret), aneurismata, cordis

---

[1] Motus, ex quibus voluptas sequitur, iuniores puellae sibi procurant « non solum tactibus, sed variis corporis positionibus, compressione femorum ad invicem, tibiarum extensione, frictione pectoris infra mammillas » (Debrryne, *Moechial.*, pag. 83), premendo genitalia contra angulos aut marginem alicuius scamni, cum nequeant alias manu voluptatem habere, etc. Effectus, qui sequuntur, iidem sunt, qui per tactus manuales.

[2] Fournier, *Op. cit.*, pag. 123.

rupturae (Rostan), gastrites, hepatites, enterites et diabetes mellitus (Curtis) subsequi possunt.

613. *Cura.* — Ex hucusque dictis patet quam funestum sit vitium mansturbationis et quot damna afferat animae et corpori. Si parentes de hoc magis instructi essent, ex nonnullis incommodis, quae filii haud raro ipsis manifestant, et assidue vigilarent, saepe hoc vitium ipsis innotesceret, et opportunis remediis ulterius progredi impedire possent. Item Confessarii curare debent, suavibus modis, sensus horroris et turpitudinis aperire et in mansturbationem odium iniicere, prae oculis *gradatim* effectus adducendo; gradatim, quia sunt nonnulli e robustissima constitutione, qui nonnisi leves nervorum perturbationes patiuntur; omnes morales considerationes, quas dilectio animarum et odium huius vitii inspirat, exponant, et ad frequentiam Sacramentorum et actuum pietatis et ad fugam occasionum magis ac magis hortentur, quia, hoc vitium, cum a iuventute contractum sit, nisi specialis interveniat divina gratia, nec cito nec facile expellitur [1].

614. Quum agitur de iuvenibus, hoc vitio affectis, duplex reme-

---

[1] Optimae evadunt considerationes sequentes, quae ex Debreyne referimus, quasque valde utiles in praxi censemus:

« Qu'avant tout les confesseurs s'appliquent de toutes leurs forces á prémunir contre cet affreux vice tous ceux, qui sont confiés à leur pieuse et vigilante sollicitude, et á déraciner et à détruire entièrement les habitudes malheureusement contractées. « Caveant imprimis, dit M. Bouvier, ne iuvenes et praesertim puellas interrogando phantasiam eorum imprudenter laedant et in causa sint, ut pluries accidit, quod in turpia labantur. Longe satius esset periculo integritatem confessionis non procurandi se exponere quam animas contaminare, vel in detrimentum religionis offendere ». Les moyens à opposer à la pollution, soit volontaire, soit involontaire, en supposant l'opportunité de la mesure préventive pour la dernière, sont physiques et moraux.

Les principaux remèdes physiques ou hygièniques consistent dans un genre de vie bien réglé, une exacte tempérance, l'abstinence d'aliments excitants, échauffants, épicés et flatueux, ainsi que des boissons spiritueuses, comme la bière particulièrement, et, en général, toute liqueur alcoolique. On suivra donc un régime doux, sobre, farineux et lacté; on soupera fort légèrement. On mangera et on boira froid le plus que l'on pourra; on prendra des boissons frappées de glace et même de la glace pure et le plus possible. Des bains froids de rivière, d'étang et surtout de mer conviendront beaucoup; on fera des applications réfrigérantes locales au moyen d'une vessie contenant de la glace pilée, de la neige ou de l'eau très froide avec du sel de cuisine. On évitera soigneusement de se coucher sur le dos; on conservera le plus longtemps possible le décubitus sur un des côtés et surtout sur le droit, et toujours sur le lit le plus dur que l'on pourra supporter, ou du moins on ne se servira que d'un matelas de crin, jamais de laine et encore moins de plume: le tout dans le but spécial d'éviter un excès de chaleur pendant le sommeil, qui, en général, doit être court et profond.

dium praeberi potest, h. e. *hygienicum et mechanicum*. Regula *hygienica* princeps est: distrahere mentem et corpus exercere usque ad defatigationem; hinc frequentes, immo quotidie, protractae deambulationes, gymnastica, itinera, balnea frigida maris tempore aestivo et quotidie brevissima lavacra totius corporis cum communi aqua, mentem ac spiritum optimis ideis imbuere; cum corpus vespere est

---

On évitera aussi avec soin la constipation et la trop grande réplétion de la vessie, qui est regardée comme une cause notablement prédisposante de la pollution nocturne.

En général, on se livrera à un exercice modéré, à des promenades fréquentes au grand air et surtout à la campagne; on entretiendra doucement les fonctions de la peau, et on évitera le froid et l'humidité.

Quant aux jeunes garçons, aux adolescentes et même à tous les jeunes gens masturbateurs, il faut leur prescrire les exercices d'une forte et presque incessante gymnastique, ou du moins les tenir constamment en haleine par une grande fatigue corporelle. Ce sentiment d'extrême lassitude, outre qu'il étouffera ou comprimera tout sentiment libidineux ou érotique, excitera chez eux une grande faim, et fera naître un vif besoin d'alimentation et de repos physique. On fera en sorte qu'ils dînent ou soupent fort tard, et qu'ils se couchent le plus tard possible, c'est à dire lorsqu'ils seront vaincus et accablés par la force du sommeil et par les fatigues de la journée. Il va sans dire qu'on doit toujours faire lever de grand matin les jeunes sujets, garçons et filles, ou du moins dès qu'ils s'éveillent.

Pour ce qui regarde les moyens moraux á opposer au déplorable vice de la masturbation, les principaux consistent à fuir tous les objets dangereux et capables de remplir l'esprit de sales pensées et d'enflammer vivement l'imagination; à veiller sur soi et sur tous ses sens: à mater et à macérer sa chair par des pénitences et des mortifications corporelles; à considérer les maux infinis qu'entraine l'habitude de l'onanisme; á méditer sur la mort, les jugements de Dieu, l'enfer et l'éternité; à fuir l'oisiveté et la solitude, et enfin à se confesser souvent et à prier beaucoup.

Quant á leur admission à la sainte communion, la chose est plus difficile. Il est pourtant certain que l'usage des sacrements de confession et d'eucharistie peut seul donner la volonté, la force et le courage de triompher complètement de l'impérieuse et tyrannique passion de l'onanisme. L'expérience prouve que la raison et tous les motifs naturels et humains sont bien souvent des armes impuissantes pour dompter ce monstre, qui dévore avec fureur la jeunesse abandonnée à elle-même. Il faut donc recourir à des remedes plus forts et plus efficaces pour guérir cette hideuse, cette immense plaie de l'âme. Or la sainte communion est sans contredit ici le plus héroïque des spécifiques. Si l'on traite trop sévèrement ces sortes de pénitents, il est fort à craindre qu'ils ne reviennent plus et qu'ils ne se corrompent davantage; si, au contraire, on est trop facile et trop indulgent, ils ne sortiront jamais du sale bourbier, où leur inexorable habitude les retient captifs.

Il faut donc que le confesseur soit doué d'une très grande prudence et enflammé d'un grand zèle de charité pour gagner à Dieu ces pauvres et malheureux pénitents. Qu'il les entende en confession, au moins une fois chaque semaine, qu'il les excite puissamment á la douleur de leur fautes et surtout qu'il leur inspire de toutes ses forces une ferme, une inébranlable résolution de ne plus les commettre et de renoncer entièrement à leur funeste et déplorable habitude.

Il faut que le confesseur examine avec beaucoup d'attention si les rechutes pro-

defatigatum, somnus cito invadit usque ad mane. Lectum durum sit; supine non capiatur somnus; primo mane, vix somno excusso, necesse est cito surgere; vespere partialia frigida balnea (semicupi) multum conferunt; antequam cubitum pergant, poculum ex sero lactis aut ex decoctione hordei (orzata) accipiant; si excitatio nervosa erectiones vehementes adducit, lotiones olei camphorati circum ge-

---

viennent de la malice, de la corruption, de l'affection au péché, de la paresse et d'un manque de ferme propos, ou seulement de la faiblesse du pénitent et de la violence de la tentation. Dans le premier cas, il faut différer l'absolution jusqu'à ce qu'on voie des signes certains d'amendement et de conversion; dans le second cas, il faut avoir pitié de ces pauvres âmes, qui luttent péniblement contre leur tyrannique passion et qui paraissent vraiment contrites et repentantes. Et d'ailleurs, si ces jeunes gens n'avaient pas la foi et l'espérance du pardon dans le cœur, se présenteraient-ils toutes les semaines au tribunal de la pénitence? non, certes, ils feraient comme la grande masse des autres; ils repousseraient le remède comme trop amer, et lui préféreraient les charmes trompeur d'un mal, qui les tue sourdement en les caressant voluptueusement. Ainsi donc quand on jugera prudemment que leurs bonne dispositions et leurs bons sentiments sont moralement certains, on pourra leur accorder la grâce de l'absolution et de temps en temps les admettre á la sainte table.....

M.gr Bouvier fait encore la remarque suivante: « Aliquando suadendum est matrimonium iis, qui nubere possunt, tamquam unicum, aut saltem tamquam efficacius remedium. Ubi vero agitur de iuvenibus, qui statum perpetuae continentiae amplexuri sunt, cum maxima cautione procedendum est. Qui tali vitio inquinati sunt et in pollutiones saepe labuntur communiter temere et imprudenter castitatem voverent: a professione religiosa igitur et multo magis a statu clericali repelli debent, nisi extraordinaria dent signa conversionis ex longa experientia, nempe per plures annos, firmitatem propositi demonstrent ac pignus perseverantiae exhibeant ».

Rien de plus sage que ce principe, pourvu qu'on n'en porte pas trop loin la rigueur et qu'on ne prolonge pas trop le temps de l'épreuve. Une année de continence parfaite, avec la plénitude de la raison, le but et la vie régulière et pieuse que l'on suppose aux personnes, dans l'espèce, doit être généralement, selon nous, une garantie morale d'une parfaite conversion.

Dans un autre ouvrage, nous avons tenu un langage un peu différent de tout ce que nous venons de dire, mais néanmoins toujours renfermé dans les limites du vrai, et qui, dans l'occurrence, peut avoir également son application. Nous avons dit:

« Les meilleurs moyens devraient être purement spirituels et moraux: la crainte de Dieu, les menaces formidables, les saintes terreurs de la religion, la vue de l'énormité du crime et le châtiment terrible qui l'attend, etc. Voilà sans doute les moyens, qui sont ou du moins qui devraient être les plus salutaires et les plus efficaces, si on les considère en eux-mêmes et dans leur application aux personnes instruites dans la religion et qui n'ont pas encore perdu la foi; mais malheureusement, dans ce temps de décadence générale de la foi, l'expérience prouve trop souvent leur insuffisance. Il faut donc aujourd'hui à des hommes tout plongés dans la matière, dominés par l'empire des sens et presque absolument incapables des impressions religieuses, il faut, dis-je, aux hommes de ce caractère des moyens sensibles, actuels, présenter les moyens de cette vie, et non de l'autre; il faut les menacer du déshonneur, de l'infamie, de l'ignominie, de toutes les horreurs des maladies les plus douloureuses,

nitalia aut spongia vel panniculum (compresse) aqua frigida cum aceto super genitalia, optimos effectus praebent. Ad haec omnia addenda est continuata vigilantia parentum vel institutorum et voluntas in huiusmodi iuvenibus ab hoc vitio se se corrigendi.

Maxima attentio adhibenda est in cibis eligendis; ratio alimentationis debet consistere in cibis tonicis, minime excitantibus. Iuxta doctorem Fournier, omnes qui debent corrigi hoc vitio, debent uti

---

les plus dégradantes et les plus honteuses, et enfin d'une mort précoce, suivie d'un châtiment éternel. Si, á l'aide de tout cet apparail de terreur, on n'obtient aucun amendement, on pourra faire lire le petit ouvrage de Doussin-Dubreuil (*Dangers de l'onanisme*) préférablement à celui de Tissot (*De l'onanisme*), ou même, s'il se peut ce que nous venons de dire sur ce sujet dans notre *Essai sur la théologie morale*. Il est certain que la lecture du petit livre de Tissot a corrigé bien de jeunes gens; cependant le premier convient davantage sous tous les rapports.

Nous terminons par l'indication du moyen propre á arrêter les pollutions nocturnes énervantes, dont nous avons parlé dans notre *Essai sur la théologie morale* sans toutefois le faire connaitre. En voici en peu de mots la description:

Pendant au moins une ou deux minutes, primis duobus digitis cuiusvis manus sat fortis compressio facienda est ante et iuxta anum, vel potius supra anteriorem ani marginem, id est ad ortum vel originem uretri sive urinae canaliculum, ita ut eius meatus paulisper deleatur et perinde omnis seminis fluxus prohibeatur. Sed hunc in finem, et ut opus istud recte perficiatur, subdifficilis conditio, scilicet evigilatio vel saltem semievigilatio requirenda est, qua compressio exerceatur tempore pollutionis imminentis vel quidem aliquando iam inchoatae.

Or, le moyen de s'éveiller à temps c'est de le vouloir fortement en se couchant et de tâcher de s'endormir sous l'impression vive de cette idée exclusive ou dominante.

L'expérience prouve qu'assez souvent ce moyen moral seul suffit pour provoquer l'évigilation nécessaire. Un premier succès en rend un second plus facile, et ainsi de suite jusqu'à l'habitude. Lorsqu'on est parvenu plusieurs fois à s'opposer à l'accident nocturne, les forces reviennent et les organes, de relachés et comme accoutumés qu'ils s'étaient à l'écoulement, se fortifient par l'habitude contraire: l'on peut même parvenir à s'en rendre tout à fait maître et en guérir radicalement.

On sent assez que le moyen proposé est á peu près infallible dans les cas de pollution diurne ou dans l'état de veille.

Remarque importante. Il faut surtout s'appliquer à être chaste de cœur et d'esprit, c'est à dire à être exempt, autant que possible, de désirs, d'affections, de sentiments et de pensées érotiques, impurs ou charnels, parce que, bien que ces choses soient ici censées involontaires et sans aucun péché, elles ne laissent pas d'être une occasion fréquente de certains rêves, qui déterminent très souvent, comme on sait, les accidents qu'on cherche à prévenir.

Un autre avis à donner, qui n'est pas sans quelque importance, c'est de se coucher sans avoir la moindre crainte de ce qui peut arriver pendant le sommeil. Cette préoccupation d'esprit, cette inquiétude et cette anxiété ne sont propres qu'à troubler l'imagination et le système nerveux, et à produire l'effet qu'on cherche a éviter. (*Mocchialogie*, etc., pag. 53-61).

cibis levibus et facilis digestionis, illis, qui parvo volumine continent sufficientem vim nutritionis, scilicet ova, lac, carnes tenerae et assatae, aves, leves pisces, tenerae radices, cichorea; debent vitare cibos acros et irritantes, amylaceos, qui intestina dilatant, fructus, qui debilitant et gravant stomachum, et suinas carnes. Vespere melius esset abstinere a carnibus; non est bona chocolata, cum nimis nutriens sit, neve iuvant crustacei, cum nervei systematis sint excitantes. Item interdicuntur potiones alcoolicae, vina valde alcoolica, cerevisia, the, etc. Optima potio est aqua commixta vino veteri [1]. Item vestes non debent esse nimis calefacientes, neque genitalia comprimere.

615. Sin vero omnia haec non sufficiunt, nonnullae medicinae attendendae sunt, ut bromurus potassii et praesertim camphorae, lupulina etc.; chloralium hydratum pro insomnia.

616. Aliquando praeterea fit, ut omnia haec nihil proficiant, propter morbum cerebri aut medullae spinalis, quo, inscie, pueri et puellae mansturbationi vacant. Tunc *media mechanica* adhibenda sunt. Complurima horum sunt; sed melioris effectus censentur: usus indusii, quod brachia coniungit et ante pectus retinet; ligamen, simili modo, manuum ad collum, ita ut nunquam genitalia attingere possint; usus cheirothecarum, ex metallo confectarum, ad manus, et nonnullorum apparatuum, item ex metallo aut *caoutchouc* confectorum, qui, variae formae sunt, prout pueris vel puellis inserviunt, quae ad genitalia applicantur die ac nocte, qui saepe optimos effectus attulerunt.

617. Si vero omnia haec ad evellendum laethale vitium adhuc non sufficiunt, recurrendum est ad amputationem clitoridis (clitoridectomia) in mulieribus, etiam adultis. Haec operatio facillima est, et omnino innoxia. Hanc operationem multi doctores satis commendant, cum cetera remedia nihil profuerint et de vitae periculo agatur, ex quibus sat est notare Braun, Velpau, Deslandes, Richerant et Debay. Verum est nonnullos doctores, hanc operationem minime probare, quia, per hanc, privatur mulier loco praecipuo voluptatis. Sed haec ratio nihili videtur facienda, quia, si agitur de coniugata, copula normalis cum voluptate et fecundatione nullo modo impeditur; si agitur vero de puella innupta, haec operatio causam removet tot malorum et nonnisi magna commoda eius valetudini affert. In plurimis casibus, in quibus graviores nervosi accessus aderant ob mansturbationem, amputatio clitoridis eis finem dedit et valetudinem cito restituit.

---

[1] Fournier, *Op. cit.*, pag. 175-176.

618. Aliquando etiam fit, ut, ablata clitoride, mansturbatio vulvaris sufficiatur; tunc oportet agere cauterizationem faciei internae vulvae, quia, iuxta Puillet [1], quilibet conatus in his partibus, dolores excitat, qui mansturbationem impediunt.

619. Aliqui doctores demum, in casibus gravioribus, cum videlicet grave adsit periculum vitae in muliere ob hoc vitium, castrationem, h. e. ablationem ovariorum, proposuere; attamen, iuxta doctorem Garnier [2], et merito quidem, reprobanda est, quia mulier perpetue impotens efficitur et desideria venerea minime debilitantur, ut ex abscissione tumorum ovariorum quotidie elucet.

620. Ultimum remedium, quod saepe, at non semper, mansturbationi finem adducit, matrimonium superest, cum possibile hoc sit, quia, ut supra diximus, continuata huius vitii praxis indifferentiam et aversionem a matrimonio frequenter secum fert. Iuvenibus vero, qui nulla ratione religiosa, morali aut physica suaderi possunt ut vitium mansturbationis deserant, valde commendanda est attenta lectio libri (sicut castigatioris prae illo doctoris Tissot) doctoris Dousin-Dubreuil, cui titulus: *Dangers de l'onanisme*, qui, ut ait Bouvier, « sine periculo, iuvenibus corruptis ut remedium indicari potest » [3], immo et puellis valde corruptis [4].

---

[1] Puillet, *Op. cit.*, pag. 174.

[2] Garnier, *Op. cit.*, pag. 351.

[3] Bouvier, *Op. cit.*, pag. 73.

[4] Craisson, *Notiones theologicae circa sextum Decalogi praeceptum et usum matrim.* Parisiis, edit. nova, 1888, pag. 97.

CAPUT VI.

DE SATISFACTIONE VENEREA MEDIANTE OBIECTA VARIA IN UTROQUE SEXU.

621. Quum homo, per aliquod tempus, vitiis carnis indulsit, nisi graves infirmitates sibi comparaverit, quaerit omnibus modis mutare media voluptatis; et vix credibile videtur quot artes invenire potuerit ad augendos sensus carnis. Diuturna praxis pravorum actuum, quae sensibilitatem organicam valde perturbat ac minuit, et desiderium novis satisfactionibus fruendi, hominem impulit ad res, quae incredibiles evaderent, nisi facta ipsa testarentur. Hinc obtinet usus obiectorum cuiuscumque naturae et formae, quae in genitalia immittuntur ob maiorem voluptatem capiendam. Haec nefandissima praxis effectus laethaliores ac rapidiores gignit ob lacerationes, haemorrhagias sequentes et ob complicationes morbosas adeo graves, quae ferrum chirurgicum saepe poscunt, et, frequenter, ob mortem, quae paucos post dies sequitur. Hoc vitium eo funestius evadit, quo diutius occultum manet, donec morbus aut affectio aliqua gravis oriatur cum vehementibus doloribus. Quum organa ipsa diversa sint in utroque sexu, differentes effectus gignuntur, etsi semper valde graves; eo magis, quia aliquando homo, velut quadam phrenesi sive mentis caecitate captus, dummodo vehementes sensationes genesicas habeat, omnia obiecta mechanica ad hoc adhibet. Haec praxis satis late diffusa reperitur; et certe, si omnes pessimi effectus innotescerent, facilius extirpari posset; plerumque inscitia, absentia experientiae et considerationis, plurimos ad sepulchrum praemature adducit.

622. Hinc notiones nonnullae praebebimus de hoc funestissimo vitio et consequentias afferemus, prout de viro vel de muliere res

est. Causae, quae hoc vitium adducunt, eadem sunt, quas superius exposuimus.

623. In *viro,* obiecta frequentiora [1] huius detestabilis praxis sunt ad instar annulli plus minusve rotunda, in quibus membrum includitur; hinc adhibentur annuli lignei vel metallici, claves, vasorum tubi, cannula ipsa sclopeti, et tempore, quo balnea sumuntur, etiam syphones metallici aquam ducentes aut foramina recipientis aquam educentis; aliquando etiam membrum stricte ligatur. Facile intelligitur, in omnibus his casibus, erectionem vehementem, exortam ob haec obiecta membrum coarctantia, non posse minui, donec ipsa obiecta aliquo modo secentur; hinc dolores fortissimi; hinc clamores; hinc necessitas chirurgi; hinc aperta et inexcusabilis manifestatio pravi habitus. Annales hospitalium plurima huiusmodi exempla perversionis continent, quae magis in dies augentur.

Saepe etiam fit, ut, ob haec incommoda vel ob maiorem voluptatem captandam, alia media adhibeantur; ita frequens item est praxis titillandi meatum urinarium per paleas, acus, parva bacula lignea aut ferrea, spicas grani aut alterius herbae, ferrea fila subtilia, minimae funes etc.; quae deinde paullatim in uretram introducuntur, cuius mucosa excitata, sensationes auget. Cito tamen haec mucosa sensibilitatem amittit; tunc obiecta ulterius immittuntur, donec, saepe. sive ob spasma venereum inde exurgens, sive quia, cum haec fiunt noctu, somnus supervenit, in vesiculam decidunt; tunc dolores vehementes insurgunt cum difficultate urinam eiiciendi; calculi gignuntur; inflammatio testiculorum (orchites) et saepe mors subsequitur, si chirurgum appellare quis renuerit ob verecundiam; tamen autopsia vitium patefacit.

624. Qui *effectus physici* oriantur ex hac turpissima praxi, iam ex parte diximus. Quum in furore huius passionis, obiecta etiam acuta, excidentia, rugosa, recta aut curva adhibeantur, uretrites h. e. inflammatio uretrae, haemorrhagiae uretrales, constrictiones uretrales, immediati effectus sunt; calculi ipsi cito oriuntur, quorum extractio ferro chirurgico cum vehementibus doloribus indiget, quia operatio aliquando fit per uretram, aliquando vesiculam urinariam aperiendo. Nucleus calculi inventus fuit esse aliquando etiam semen communis phaseoli. Huic operationi subiecti, ob verecundiam, cum nolint rem aperte

---

[1] Garnier P., *Onanisme*, pag. 412 et ss.

patefacere, affirmant se nescire, quomodo haec obiecta in vesicula reperiantur aut cum potu illa sumpsisse; at haec confessio mendax est, quum optime noscantur organa anatomica eorumque physiologia; ut vero efformentur calculi, sufficit ut obiectum aliquod vesiculam ingrediatur; dein substantiae minerales urinae, circa illud deponuntur, quae volumen augent et calculum efficiunt.

625. Praeterea, cum in viro alter locus magnae sensibilitatis sit os anale, ita non infrequenter, ad augendum sensum libidinis, similia obiecta in rectum intestinum immittuntur. Effectus sunt aliquando terribiliores, quia, in operatione chirurgica, necessaria ad dicta obiecta extrahenda, non raro haec rumpuntur et fragmenta, praesertim si vitrea, mucosam lacerant cum vehementibus doloribus et emissione sanguinis, quae non raro paucos post dies mortem adduxerunt.

626. In *femina,* [1], cum varia sint organa voluptatis, maiores sequuntur effectus, frequentioresque sunt casus mortis. Natura et forma obiectorum, quae a feminis adhibentur, ad naturam frequenter occupationum muliebrium referuntur; hinc involucra pro acubus servandis (*astucci*) sive lignea, sive ferrea [2], sive eburnea aut cuiuscumque generis, immo acus ipsi, spiculae, parva vasa pro odoribus vel pro potu, candelae, parva poma, carotae, rapae, spigae cerealium, obiter usurpantur. Generatim loquendo, in vaginam sibi ipsae immittunt et in uretram, cuius os saepissime deformatur; ex uretra, facilius quam in viro, cum brevior sit, in vesiculam decidunt, calculos producendo, qui chirurgica operatione indigent. Saepe insuper obiecta e vagina in uterum progrediuntur. Apud mulieres divites et corruptissimas usus phalli, h. e. membri virilis ex *caoutchu* confecti, frequens evadit. Augusta Parisiorum officinas ad hoc clam retinet et pariter clam vendit. Etsi hic usus antiquissimus sit, ut ex historia constat, et publice apud Sinas, aliosque populos vendatur, tamen satis diffusus in Europa est et pessimorum consectariorum ferax. Non-

---

[1] Garnier, *Onanisme,* pag. 397 et ss.; Fournier, *Op. cit.*, pag. 145; Surbled, *La morale (Vie sexuelle)*, pag. 40 et ss.

[2] Hoc contingit aliquando etiam apud hystericas. Nota est historia cuiusdam hystericae, quae accusabat violationem pudoris se passam fuisse a duobus ipsius fratribus, cuius veritatem ostendebat per lacerationes, quas habebat in vagina et ano. Medicus legalis vero aperte patefecit eius calumniam; nam lucerationes productae erant a fragmentis ferreis et aliis obiectis, quae ipsa sibi immiserat in dicta organa (Garnier, *Onanisme,* pag. 411).

nulla alia obiecta, ut ita dicam, ad voluptatem augendam aptiora, quae ex industria taceo, huc illuc inveniuntur; minime, tamen, uti videtur, in Europa adsunt. Haec praxis, praesertim apud puellas nonnullas, viduas et coelibes, frequens est, etsi minus quam mansturbatio.

627. Effectus, qui ex hac nefanda praxi sequuntur, pessimi absolute sunt et saepe mortales; corpora acuta enim parietes vaginae perforant; lacerationes, vulnera et sanguinis abundantes emissiones adducunt, quae chirurgo indigent; saepe peritonites traumatica subsequitur et cancer uterinus cum morte. In vesicula urinaria corpora introducta calculos efformant cum incontinentia urinae; insuper ascessus vaginales, cistites (inflammatio vesiculae urinariae), nephrites, fistulae vaginales et vesicales saepe obtinent; ob haec vitia, faciles evadunt impotentia et abortus. In omnibus his casibus, cum voluptas oriatur, eodem modo quo per mansturbationem, ita omnes iidemque effectus reperiuntur pro utroque sexu. Hystericae, alienati et idioti frequentissime hac praxi utuntur.

628. Certum est, si perniciosissimi effectus, quos recensuimus, corruptissimis his hominibus innotescerent, abominabilis haec praxis facilius evasceneret. Confessarius igitur, cum aliquis huius generis ei occurrerit, obscurissimis coloribus terribiles effectus ei patefaciat et amissionem honoris, et famae coram familia et amicis prae oculis ponat. Facilior evadit remotio huius praxis ex funestis consequentiis, quas vitia ipsa postea aperiunt, quam quodlibet aliud motivum.

CAPUT VII.

DE SATISFACTIONE VENEREA MEDIANTE LINGUA ET LABIIS INTER PERSONAS EIUSDEM VEL ALTERIUS SEXUS (IRRUMATIO IUXTA THEOLOGOS).

629. Ut ex titulo huius capitis liquet, de foedissimo, turpissimoque omnium vitio agimus, quod in praesenti late diffusum invenitur, tam apud personas innuptas cuiuscumque aetatis, quam apud coniugatas. Nihil abominabilius ac horridius sane cogitari potest, sive in se ipso peccatum hoc inspiciatur, sive quoad perturbationem instinctus et sensus generationis et ordinis naturae. Paucis verbis hoc monstrum vitii exponam: consistit [1] in lambendo, vel sugendo, vel titillando mediante lingua et labiis genitalia eiusdem vel alterius sexus usque ad expletam voluptatem, cum emissione seminis in viro et liquidi glandularum genitalium in muliere, saepe etiam cum deglutitione ipsius seminis vel liquidi; aliquando vero perfectus coitus oralis accedit vel lingua immittitur in vaginam. Sane dicendum est poculum voluptatis perfectum esse, cum homo ad hanc nefandam praxim recurrit, quae animalibus, quibus non est intellectus, similem facit. Quid enim obscaenius cogitari potest, quod organa tam exquisita ac delicata gustus et olphactus, per quae tam gratas sensationes accipimus, admoveantur ad organa, quae nonnisi foetidissimas secretiones emittunt? Primo intuitu cogitaretur, homines talia agentes, intellectum penitus amisisse, nisi in sanis mente notaretur, dum in amentibus nonnisi exceptio esse videntur. Qui hoc genere spurcitierum delectantur, omnia vestigia pudoris perdidisse et ceterorum vitiorum nauseam

---

[1] Garnier P., *Onanisme* etc., pag. 461 et ss.

retulisse, sane dicendi sunt. Tanta huic peccato inest turpitudo, quod theologi et poenitentes ipsi quamdam malitiam specialem apprehendere videantur, cum illi hos actus *irrumationis* nomine appellent [1], isti vero non sicut de ceteris actibus turpibus, sed de vero abusu oris plerumque in confessione se accusent. Hoc peccatum, absque dubio, frequens est ob ignorantiam pessimorum effectuum, qui sequuntur, ex quibus saepe haec praxis palam manifestatur.

630. In collegiis utriusque sexus non raro observatur; in carceribus, in asylis et similibus locis frequens est; in vitam liberam vel coniugalem vel meretriciam gerentibus et in senibus corruptis, frequentissime invenitur. Ob hanc turpem passionem deflorationes puellarum et corruptiones puerorum committuntur cum gravi pudoris iactura, ita ut poenalia tribunalia quotannis complurimas damnationes infligant. Hoc peccatum committitur inter personas eiusdem vel diversi sexus.

631. *Causae,* quae ad hoc foedissimum crimen patrandum movent, eaedem sunt, quas superius, de causis generatim sumptis, exposuimus; potiores tamen sunt: effugere generationem inter innuptos et nuptos, nausea aliorum turpium peccatorum, maioris ac exquisitioris voluptatis complementum et desiderium novarum libidinum. Frequentissime principium huius vitii habetur in sociis corruptis, in nutricibus venalibus, et aliquando etiam matrum, quae, causa sedandi puerorum fletus, eorum genitalia lambunt, in defectibus anatomicis genitalium ipsorum, quae coitum impediunt, in lambendo genitalia ex parte canis vel felis, in nimia familiaritate puerorum vel puellarum inter se; saepe etiam domesticae ipsae, domi inservientes, iam corruptae, hos actus committunt in pueris puellisque sibi traditis.

632. Perturbatio gravis nervea quae, in explenda voluptate hisce actibus, sequitur, eadem est, at fortior, quae in mansturbatione omnesque ac graviores oriuntur effectus. Ob vim, a labiis et lingua peractam, in utroque sexu, ulcera, lacerationes ac tumefactiones in labiis apparent, ita ut, saepe, ne verba quidem proferri, nec labia moveri possint; ob excitationem vehementem in medullam spinalem, cerebrum, medulla ipsa et plexus nervorum genitalium adeo graviter pati possunt, ut ipsa medulla emolliatur cum omnibus nevralgiae indiciis; hinc in muliere hysteria adeo frequens in nuptis, furor

---

[1] S. Alf., *Op. cit.*, Lib. VI, n. 935.

uterinus, melancholia vel mania, hypocondria, epilepsia, paralysis generalis, congestio cerebralis apparent, quae omnia ita mentem perturbant et passionem excitant, ut hysterica cuiuscumque criminis evadat capax, absque consideratione pudoris vel personarum, usque ad suicidium. Ulcera syphilitica facilius per hos contactus recipiuntur, quae non infrequenter observantur in labiis; hinc cancer linguae, angina syphilitica et cancer glandularum amygdalium (vulgo tunsillarum); genitalia, quae huic vitio inserviunt, quam maxime augentur et tot vulvae sequuntur deformationes, quae de hoc vitio manifeste testantur.

633. In *viro* similes effectus locum habent; labia enim eisdem signis notantur; sensibilitas glandis adeo minuit, ut coitus possit fieri impossibilis; macies, stomachi dolores, debilitas intellectus, qui quidem et mulieri evenit, observantur; membrum ipsum, et praesertim glans et praeputium, indicia huius abusus praebent, quae medicum de hoc crimine scrutantem (ut evenit in casibus medicinae legalis) minime fallunt, haemorrhagiae uretrae, contractiones ac vehementes dolores colli vesiculae urinariae oriuntur, ex quibus difficultas emittendi urinam et incontinentia; vesiculae seminariae ipsae, ductus iaculantes et prostata graviter afficiuntur.

Omnia haec observata fuere et fere quotidie observantur in nosocomiis grandium urbium, in quibus hoc vitium maxime diffusum est, praesertim apud paederastas.

Omnes vero, qui hoc vitio obcoecati sunt, particularem aversionem a matrimonio ostendunt et tantum illius, cum quo peccant, pravo amore afficiuntur, pro quo aliquando, cum viderint ab alio diligi, etiam homicidium committere parati sunt. Mulieres vero non raro distinguuntur ob coelibatum persistentem, quem retinent, etsi valde utiles nuptiae iis proponantur, ob ubera fere absentia, ob maximam timiditatem et frequentissime ob characteres, quos prae se ferunt, fere omnino viriles. Omnes indiscriminatim vitam matrimonialem abominantur, et saepe plures simul vivunt.

634. De hoc vitio separatim a sequenti agere putavimus, etsi nonnulli auctores theologi, qui videri possunt apud S. Alf. [1], idem ac sequens faciant, quia ob specialem malitiam, quam induit, speciem distinctam a sodomia esse censemus.

---

[1] S. Alf. Lib. III, n. 466.

CAPUT VIII.

DE SATISFACTIONE VENEREA MEDIANTE COPULA CONTRA NATURAM INTER EIUSDEM VEL ALTERIUS SEXUS PERSONAS (*SODOMIA*)

635. Sodomia dupliciter distinguitur, scilicet in *perfectam* et in *imperfectam*.

« Sodomia *perfecta* et est concubitus duorum eiusdem sexus, ut maris cum mare vel foeminae cum foemina ».

« Sodomia *imperfecta* et est congressus cum debito quidem sexu, maris nempe cum foemina, sed extra vas naturale » [1].

Hoc peccatum, omnino execrandum, semper gravissimum est; nam: 1° est contra naturam, cum animalia ipsa ordinarie et regulariter huiusmodi coitum abhorreant; 2° notum est Deum igne punivisse Sodomam et Gomorrham ob hoc crimen; 3° patet ex Apostol. *ad Rom.* I, 26, 27: « Propterea tradidit illos (ethnicos) Deus in passiones ignominiae. Nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter et masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculis turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes ».

Sodomia perfecta non raro habetur in collegiis utriusque sexus, praesertim ob defectum vigilantiae vel ob corruptionem institutorum vel ob modum distributionis lectorum vel locorum, quae ad somnum destinantur, et inter milites, praesertim infimae classis.

---

[1] S. Alf., *Op. cit.*, Lib, III, n. 460, 3, 4.

636. De sodomia *inter feminas* paucis verbis argumentum persolvam.

Aliquando fit, ut mulier, sive per deformitatem genitalium, sive per pseudo-hermaphroditismum, sive ob frequentem mansturbationem aut alia vitia, clitoridem valde evolutam habeat, qua utitur ad peragendam copulam cum altera muliere, vel ambae mulieres genitalia contra genitalia sibi invicem perfricent, quo fit ut hae mulieres *fricatrices* vocentur; quod quidem saepe notatur apud puellas in collegiis degentes; in quibus locis sufficit, ut una tantum hoc vitium sciat, et statim aliquam *amicam* sibi procurat, quam vehementi amore prosequitur, et cum qua libidinem explet. Facillime dein et aliae sociae hoc vitium addiscunt. Omnes hae mulieres cognoscuntur, iuxta nonnullos doctores, praecipue ex aversione a matrimonio ineundo, ex aspectu aliquando virili vel gracili et ex absentia plerumque uberum. Hoc vitium apud medicos legales ordinarie *clitorismia* vel *tribadia* vocatur [1].

Mulieres, nymphomania affectae et excessiva clitoridis evolutione notatae, huic vitio maxime indulgent. Frequens hoc vitium invenitur etiam inter actrices theatrorum, inter illas, quae inserviunt in locis, ubi conficitur cerevisia, et inter meretrices. Multae harum mulierum singulare studium ponunt ut quasi viri putentur; hinc fumant, viriles labores persolvunt, cum mulieribus saltant, virili veste utuntur.

Abscissio vel cauterizatio clitoridis optima hic evadit et omnino commendanda; insuper sedulo notandi sunt in collegiis utriusque sexus alumni, qui particulari et exaggerato amore erga aliquem socium afficiuntur et statim separari et assidue vigilari oportet.

637. Maximi momenti pro praxi est studium sodomiae *inter viros*, quae *paederastia* appellatur. Et hoc non solum frequens est saepe in collegiis, in carceribus, aliisque locis, ubi plures viri, plus minus corrupti, colliguntur; sed etiam in magnis et parvis civitatibus [2], ut Parisiis, Barcinonae, Panormi, Petroburgi, etc. late diffusum invenitur. De domibus *prostitutionis masculinae* hic loqui-

---

[1] Garnier P., *Onanisme* etc., pag. 451 et ss. et 558 et ss.

[2] Immo in aliquibus Italiae civitatibus nonnulli sunt, qui proponunt advenis pueros vel puellas ad libitum eligendas pro explenda libidine et in Africa gallica pueri et puellae ipsae publice ad id se praebent; Parisiis vero habetur maximum centrum et, uti videtur, adsunt etiam scholae clandestinae, in quibus nefandiora crimina docentur; quod constat ex causis poenalibus, quae frequenter ibi locum habent.

mur [1], in quibus, praeter sodomiam, passim etiam irrumatio locum habet. Hae domus domibus prostitutionis feminilis omnino respondent cum hoc tamen discrimine, quod privatim et occulte tenentur, quo facilius frequentatores leges poenales effugere valeant. Iuvenes et senes, coelibes et vidui partem principalem horum locorum constituunt; aliquando nonnulli viri simul vivunt ob sodomiam explendam, sub titulo (ut ipsi aiunt) amicitiae; sed hic casus (uti videtur) minus frequens est. Isti viri a doctoribus psychopathiae sexualis *uranistae* appellantur; aliquando, iuxta d.rem Moll, huiusmodi viri nil speciale praebent; aliquando vero nonnullis specialibus ac anormalibus characteribus sunt praediti, ita ut facile cognosci possint; signum, quod in primis prae oculis venit, est in omnibus se gerere ut feminas; nam ut feminae vestiunt ac se ornant, se movent ac ambulant; vocem femineam imitantur, plures horas ante speculum terunt, causa vestes eleganter disponendi; si ad loca saltationis accedunt, cum viris saltant; eorum vanitas ac animi levitas tanta est, quae vix credibilis evadit; saepe mendaces sunt; magnam aversionem a mulieribus saepissime nutriunt, quae tanta esse potest, ut vero horrore erga eas afficiantur; in festis saltatoriis, quae praebent, sat paucae feminae, et plerumque tribadae, invitantur; cognomenta feminea sibi invicem imponunt.

638. *Signa* vero specialia, ex quibus facile, quacumque regione morentur, inter se recognoscantur, non absunt; in magnis civitatibus, ubi eorum domus sunt, particulares vias, plateas et loca unionum frequentant, in quibus cito societatem inter se ineunt; nonnulli etiam cum meretricibus vitam degunt, quo viros sodomiticos facilius satisfaciant, praebendo, hoc turpissimo crimine, infame mercimonium; vespere et noctu vicos, plateas aliaque loca plerumque deserta perlustrant, causa pueros derelictos aut corruptos in suas aedes ducendi et voluptatibus adeptorum inserviendi, data eis pecunia, ut silentium servent; sodomitici ipsi saepe pecuniam solvunt ob hos turpes actus; si illustris quidam ac nobilis vir haec loca accedat, post passionem expletam, ad magnam pecuniae summam persolvendam obligatur, si velit patratum crimen occultum maneat; quod si hoc solvere recu-

---

[1] Garnier P., *Onanisme* etc., pag. 508 et 540. De hoc argumento sunt quamplurimi libri multorum auctorum, quos ex industria taceo et indicare possum quaerentibus, causa tantum studii.

sat, saepe vita privatur; aliquando vero in locis desertis et noctu, nonnulli viri sodomitici certis signis aliquem virum ad sodomiam provocant; quo eisdem signis annuente, statim hi amici sodomitici ut custodes publici moris se patefaciunt, et poenas minantur, pro qualitate vel adspectu personae, nisi quamdam summam pecuniae solvant; ad haec accedit, quod nonnullae feminae etiam cubicula ad haec vitia locatione tradunt. Et omnia haec frequentia in magnis urbibus sunt. En quot scelera clandestinam virilem sodomiam comitantur!

639. Etsi tot et severas cautelas hi turpissimi viri adhibeant, ut eorum praxis occulta maneat, tamen non semel, ob eorum crimina, ad poenalia tribunalia traducti et gravibus poenis damnati fuerunt. Omnes enim civiles nationes gravissime puniunt foedissimos hos viros [1].

In hac praxi, ut facile intelligitur, unus passive, alter active se gerit.

640. Doctores Tardieu et Brouardel plura signa localia notarunt, quae procedunt ex abominabili hac praxi; quorum cognitio, etsi necessaria omnino medicis legalibus et iudicibus sit, nostri tamen parvi interest. Sufficit nobis nosse, quod ex hoc saepe ortum ducunt fistulae anales, paralysis sphyncteris analis cum prolapsu recti intestini et foecum incontinentia; non raro etiam apparent blenorrhagia recti intestini, quam aliquando ulcera comitantur, cancer, variae lacerationes anales et tumores. Syphilis ipsa ob hos tactus facile transmittitur.

641. Crimen sodomiticum non tantum inter viros frequens est, sed etiam *inter diversi sexus personas,* tam coniugatas quam innuptas. Mulier hoc in casu semper passive se habet. Plerumque fit ad vitandam prolem et saepe ob pessimum habitum sodomiae antea contractum; aliquando vero sodomia locum habet ob defectum genitalium mulieris, vel ob occlusionem vaginae, vel ob morbum, vel ob quamcumque aliam ipsorum organorum deformationem; raro evenit ob errorem, cum quis scilicet putet vaginam penetrare, dum, contra, in ore anali copulatur. Apud meretrices commune est.

642. *Effectus,* qui ex hac praxi sequuntur, pro muliere graviores sunt, quam pro viro. Praeter lacerationes locales, fistulas et syphilidem, notantur frequenter cancer fere semper mortalis, haemorrhoidae

---

[1] Etiam novus codex poenalis italicus poenas, etsi sat mites relate ad ceteras nationes, minatur; vid. art. 331-339 et 345-348.

et incommoda plura ovariorum ac proinde menstruationis. Cetera organa item graviter afficiuntur; stomachi gastralgiae, vomitus post prandium, cordis pressiones, macies in dies progrediens, dolores capitis, communes morbi sunt; in viro etiam paraplegia, h. e. femorum paralysis, aliquando subsecuta est.

643. Cum sodomiae peccatum adsit quacumque corporis parte concubitus locum habeat, nonnulla oportet dicamus de copula *inter ubera*, cum si ferax mulieri tot et gravissimorum malorum.

Cum nonnulli viri ubera mulieris noscant, ob praxim aut studium, esse organum potissimum ad excitanda organa generationis, apicem uberum omnibus modis excitant [1] ac inter ea copulam perficiunt ob formam vero ac eorum naturam, illa vario modo comprimunt, quo melius verae copulae illusionem habeant. Ex his pressionibus graves malorum causae oriuntur pro muliere, quorum primum locum tenet cancer uberum, adeo frequens in praesenti; deinde accedunt dolores locales, hypertrophia glandulae mammariae, quae lactationem impedit, et gravissimi nervorum dolores; ascessus et plures uberum tumores frequenter item oriuntur [2].

644. Hac occasione notamus, aliquando mulieres apicem uberum etiam ex se ipsis titillare ac excitare, ex quo oritur saepe magna genitalium commotio, eo modo quo fit in mansturbatione, etiam cum emissione humoris vulvo-vaginalis, quod plenitudinem voluptatis significat. Qua re confessarius fortiter et magna cautela hasce mulieres, de hisce tactibus se accusantes, redarguere debet et ob peccatum et ob causam, quam ponunt, cetera vitia addiscendi [3].

---

[1] Hoc saepissime accidit inter futuros sponsos, et est principium fere certum in peiora turpia brevi labendi.

[2] Garnier P., *Onanisme* etc., pag. 493 et ss.

[3] Sodomiae crimen clericorum compescuit S. Pius V, Constit. *Horrendum illud* (30 Aug. 1568) praecipiens: « Omnes et quoscumque presbyteros et alios clericos saeculares et regulares, cuiuscumque gradus et conditionis, *tam dirum nefas* exercentes, omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate, beneficio ecclesiastico, auctoritate ipsius Constitutionis, idest ipso facto, privari, ita ut per iudicem ecclesiasticum degradari et potestati laicae tradi debeant et eisdem applicetur poena, quae pro laicis de hoc crimine convictis statuta est ». Hae poenae sunt *latae sententiae*, dum iure decretalium c. 4, *De excessib. Praelat.* statuebantur poenae *ferendae sententiae*. Verum istae poenae latae sunt in *exercentes tam dirum nefas*, scilicet in eos, qui habitu, et veluti quadam facti notorietate, isto crimine insimulantur. Praeterea istae poenae expostulant sententiam declaratoriam. Lega M., *Praelectiones in textum iur. can.*, lib. II, vol. IV, n. 82, Romae 1902, Cfr. et De Luca, *Praelectiones iur. can.*, Romae 1898, (Lib. 3, de delict. et poen.), n. 260.

In confessione non est necessarium dicere qui passive vel active se gesserit in sodomia, nec in quo vase seu loco corporis coierint masculi aut feminae inter se, quia, per hoc, peccati species non mutatur; cum vero sodomia specie differat a pollutione, haec aperienda est, si adfuit.

CAPUT IX.

DE SATISFACTIONE VENEREA CUM ANIMALIBUS (BESTIALITAS), CUM FEMINA MORTUA (NECROPHILIA) ET STATUIS

645. *Bestialitas*, quod est gravissimum peccatum inter omnes, et est congressus, in quo non servatur identitas speciei, v. gr. si homo coëat cum bestia sive eiusdem sexus, sive non. (Bestialitas est gravius peccatum, quam sodomia, quia non solum ibi non servatur debitum vas aut sexus, sed neque debitum genus) [1].

646. Crimen bestialitatis [2] non est valde frequens, si excipias habitantes ruri, meretrices ac feminas elegantiae studentes. Bestialitas potest, ut sodomia, esse *activa* vel *passiva*, prout quis copulatur cum animali, vel animal copulatur cum homine. In viro uterque potest habere locum; in muliere vero tantum pars passiva habetur et congressus per vaginam obtinet. Animalia, quae ad hoc crimen frequentius adhibentur, sunt oves, vaccae et parvi tauri, equa, gallina, canis et felis, etsi felis praecipue ad lambenda genitalia plerumque adhibeatur. Diu disputatum fuit utrum possibilis esset coitus canis cum viro; pleraque tamen facta dubium recenter omnino abstulerunt; apud mulieres divites canis saepe coitum vaginalem agit [3].

---

[1] S. Alfonsus, Lib. III, n. 474.

[2] Garnier P., *Onanisme* etc., pag. 564 et ss.

[3] Kraft-Ering, *Op. cit.*, pag. 152. — In veteri Lege bestialitatis crimen graviter prohibitum erat et morte puniebatur; legimus enim: « Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet iumento, nec miscebitur ei, quia scelus est. (Lev. XVIII, 23).

Qui cum iumento et pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite (lib. XX, 15).

647. In confessione non est necessarium dicere speciem vel sexum bestiae, nec quis active vel passive in bestialitate se gesserit, quia, sive actio activa sive passiva fuerit, peccatum non mutat speciem. Dicendum tamen est an pollutio adfuerit, quia pollutio, hoc in casu, peccatum specie distinctum a bestialitate est et in multis casibus potest abfuisse.

648. In foro poenali non raro occurrit hoc crimen; periti medici legales tunc necessarii sunt ad cognoscendum utrum vera bestialitas commissa fuerit; cognoscitur enim ex indiciis localibus, uti sunt lacerationes recti intestini, forma ipsa oris analis, praesentia pilorum bestiae, quae ad hoc adhibita fuit, natura spermatis emissi, si coitus fuit recens etc. Bestialitas in Africa et praesertim in Algeria frequentissima est, quia apud Arabes popularis opinio est non posse aliquem syphiliticam luem acquisitam removere, nisi coëundo cum feminis asini et equi. Idem evenit in Persia; apud Sinas vero frequens est coitus cum anseribus.

649. Crimen nefandissimum *necrophiliae* consistit in copula cum femina mortua; frequens est praesertim in custodibus mortuorum. *Duplex* casus distinguendus est in hoc crimine; aliquando enim a viro sanae mentis et ob voluptatem committitur; aliquando vero ab alienatis vel idiotis vel aliquo morbo affectis perpetratur; in his, post mortem, autopsia nonnullas anatomicas anomalias cerebrales ostendit, quae causae esse possunt dicti criminis. Et certo, quum consideratur natura cadaveris frigidi, immobilis, quod potius horrorem et terrorem inducit, nequit intelligi hic modus satisfaciendi libidinem, nisi supponatur aliqua gravis morbosa affectio, quae omnino rationem perturbat vel aufert; eo magis cum noscatur aliquando etiam exhumata fuisse cadavera ad hoc, et, ante vel post coitum, membratim secata et postea rursum sepulta. Aberratio quaedam gravis mentis et istinctus sexualis necessario est revocanda, cuius causa prima, fere semper, invenitur in mansturbatione vel ceteris vitiis carnalibus vitae anteactae; quod magis tenendum, quia saepe, in

---

Mulier, quae succubuerit cuilibet iumento, simul interficietur cum eo; sanguis eorum sit super eos (lib. XX, 16) ».

In iure can. tanto sceleri poena mortis decreta erat (Can. 4, C. 15, q. 1) sicut Deus statuerat in locis citat. Lev. (Cfr. De Luca *Op. cit.*, n. 261). In legibus vero civilibus olim delinquens hoc crimine addicebatur flammis cum ipsa bestia.

huiusmodi viris, coitus cum femina viva non ita eos satisfaciat, quam cum mortua.

650. Huic classi venereae satisfactionis referendos censemus casus coitus cum *statuis*, praesertim mulierum; aliquando enim nonnulli cum hisce statuis directe, vel, animalium carnem apponendo loco genitalium, copulam agere inspecti sunt. Haec praxis non recens tantum, sed et antiqua esse constat. Hoc etiam fieri potest vel ob impulsum non repressum sedandi libidinem, vel, sicut in casibus necrophiliae, ob perversionem rationis et instictus sexualis, h. e. ob morbum aliquem physicum et psychicum. In primo casu, crimen, sicut in necrophilia, praeter pollutionem, si adfuit, etiam fornicationem affectivam habere dicendum est.

CAPUT X.

DE POLLUTIONIBUS

651. Hic, nomine *pollutionis,* intelligimus quamcumque seminis effusionem, quae fit, sive die, sive noctu, omnino absque voluntate, saltem hic et nunc. Ut ex definitione et supra diximus, pollutio tantum in viris contingit, post adeptam pubertatem. Physiologica pollutio, in viro sano, est, quae accidit semel vel bis in hebdomada vel mense. Character essentialis, quo pollutio distinguitur facile a ceteris similibus emissionibus, sicuti gonorrhaea, prostatites etc., est quod in pollutione effusio seminis fit statim, uno tempore, modo iaculationis et plus minus ab altera intervallo temporis distat, dum ceterae emissiones fiunt guttatim, continuo, absque erectione et sensu voluptatis ac venereis desideriis, immo saepe cum dolore.

652. Pollutio, cum accidit, potest secum ferre erectionem ac sensum voluptatis, vel fieri absque utrisque, et quin vir eam advertat; hinc pollutio distinguitur: *A.* in *acticam* sive etiam *nocturnam*, quia plerumque in somno evenit, et *B.* in *passivam* sive etiam *diurnam*, cum die vel tempore vigiliae locum habeat.

A. — De pollutione activa sive nocturna [1].

653. Pollutio *physiologica*, quam supra indicavimus, in omnibus viris locum habet, et praesertim in iis, qui castam vitam degunt, in adolescentibus post pubertatem, in viduis, in nervosis, in iis, qui viva

[1] Cfr. Debreine. *Moechialogie* etc., pag. 21 et ss.: Debreyne-Ferrand, *La théologie morale et les sciences medicales* etc., pag. 76: Surbled, *La morale dans ses rapports avec la médec. et l'hygièn.* etc., vol. 2 *La vie sexuel.*, pag. 52 et ss.

imaginatione gaudent et in mansturbatoribus consuetudinariis, pro quibus frequenter causa multorum malorum est, ut mox dicemus. His postremis exceptis, pro ceteris hae pollutiones, dummodo non frequentiores sint, sat utiles valetudini dicendae sunt; proveniunt vel ex abundantia seminis, vel ex eius irritatione in vesiculis seminariis, vel ex actione cerebri, quae generationis apparatum excitat usque ad iaculationem. Requiritur semper aliqua actio, ut spasmica contractio vesicularum producatur; et, ob mutuam relationem genitalium cum cerebro et cerebri cum genitalibus, fit, ut saepe nocturna pollutio in somniis plus minus turpibus locum habeat. Illae enim sexuales excitationes, quae, per adspectus, tactus, lectiones, et tot alias causas, phantasmata in phantasiam induxerunt, denuo reproducuntur, quum eadem phantasmata, tempore somni, excitantur, sive per causas mechanico-locales (ex. gr. repletio vesiculae urinariae, quae premit seminis vesiculas, foeces in recto intestino, repletio seminis vesicularum, seminis irritatio), sive per causas cerebrales, quae excitationes, si vehementes sint, possunt excitare centra erectionis et iaculationis et ideo ferre seminis emissionem.

654. Quod vero, in viris sanis ac perfecta valetudine, pollutio multum conferat ad sanitatem, liquet ex hoc, quod ipsi ex experientia noscunt valetudinem aliquid detrimenti capere, nisi pollutio sequatur; toto enim corpore quodam anormali valetudinis statu afficiuntur, laborant dolore ac capitis gravamine et difficultate studiis vacandi; subsecuta vero naturali et spontanea pollutione, status primitivus anormalis evanescit, spiritus magna libertate studiis attendendi pollet et huiusmodi viri sensum optimae valetudinis percipiunt.

655. Nonnullae tamen *causae* adsunt, quae frequentiores reddere possunt has pollutiones, quarum potiores sunt: otium ac pigritia, consuetudo de rebus venereis diu tractandi voluptatis causa, diuturna absentia uxoris (propter habitum usus coniugii), supine dormire, vermes intestinales, lecti calor, victus nimis excitans, potus abundantes alcoolici etc., et in genere omnes illae causae, quae sexualem apparatum excitant. Apud coelibes vero frequentissima causa reperitur in praesentia smegmatis praeputialis.

Aliquando demum pollutiones oriri possunt ex aliis causis omnino variis et etiam indifferentibus, quales, ex. gr., praeoccupatio gravis animi de aliquo negotio vel inquietudine vel re amissa, abrasio barbae etc. (Debreyne), equitando, post copiosum prandium, ira, gaudio, pavore, conversando honesto more cum mulieribus, audiendo

confessiones, praesertim feminarum, tangendo, examinando et inspiciendo genitalia causa eorum morbos noscendi, ut fit medicis, chirurgis, studendo rebus turpibus vel anatomicis honesto fine etc.

656. His generalibus notionibus de pollutione praemissis, quaeri hic potest, quomodo quis se gerere debet in variis adiunctis pollutionis. *S. Alfonsus* (lib. III, tract. 4, n. 479, 3) ait: « Non tenetur quis (modo tamen absit periculum consensus in voluptate, nec voluntarie promoveat) impedire pollutionem sponte sua evenientem, aut iam coeptam, v. gr. in somno, reprimere, sed potest sanitatis causa sinere, ut natura se exoneret; quia id non est procurare, sed pati ut effluat, quod alias corruptum sanitatem laederet. Unde idem admittit Sanchez, etiamsi orta esset prius ex culpa, modo de ea doleat et consensum ulteriorem abstrahat; additque plerumque expedire munire se cruce, et sine alio attactu, quietis manibus, rogare Deum ne permittat lapsum in delectationem. Sanch., Trull. ».

« Quando pollutio incipit in somno et emissio contingit in vigilia semiplena, tunc si homo aliquam experitur delectationem non plene deliberatam, non peccat quidem nisi venialiter, ut bene notant S. Anton., Nov. Salm. et Conc. Quando vero emissio incoepit in somno, sed postea consummatur in plena vigilia, eo casu (modo absit consensus in delectationem vel proximum consensus periculum ex praeterita experientia) non tenetur homo illam cohibere, tum quia dificillimum est avertere exitum seminis iam a lumbis decisi, ut communiter dicunt dd. cum Salm., Nav., Azor., Trull. etc.; tum quia non tenetur persona, cum periculo morbi ex semine corrupto retento, effusionem illam impedire, ut docent Sanch., Conc., Spor., Holz, Tamb. et alii communiter; tunc enim illam pollutionem non vult, sed mere patitur. Bene tamen monet Gers., quod eo casu *pro executione virtutis et evitatione periculi, videtur expediens ut homo conetur prohibere quantum sentit et commode fieri posse.* Saltem (dicendum cum Sanchez) tunc expedit signo crucis se munire, atque mentem ab illa turpi delectatione avertendo ac nomina sanctissima Iesu et Mariae invocando, eos frequenter precari ne ullum lapsum permittant ».

Ergo, iuxta S. Alf., non tenetur quis pollutionem cohibere sponte evenientem aut iam coeptam in somno et in vigilia perfectam, quia aliquis morbus imminet ex semine corrupto retento (dummodo absit periculum consensus nec voluntarie promoveatur).

657. Circa has rationes allatas, quae etiam in praesenti in nonnullis libris theologiae moralis repetuntur, notamus, velut physiologica axiomata, quorum notitia deerat tempore S. Alf., et de quibus dubitare nunc nefas est: 1° semen numquam in corpore corrumpi; nam vel in vesiculis adhuc remanet, vel, e vesiculis exiit, expellendum per uretram; si primum locum habet, certum est semen permanere sanum usque ad emissionem, et, si non emittatur, resorberi, et novam vitam novumque robur organismo conferre; si alterum, iaculatione vel minctione statim expellitur, nec amplius potest in vesiculas ingredi; qua de re evidens est nullum morbum oriri posse ex cohibitione pollutionis ob corruptionem seminis; 2° semen non a lumbis, h. e. renibus, decidere, cum renes nonnisi urinam secernere valeant, sed e vesiculis seminariis.

658. Ergo si tota ratio, a theologis allata de corruptione seminis et de morbis, ex illa consequentibus ob eius retentionem, falso nititur [1], quomodo quis se gerere debet in casibus supra citatis? Ante responsionem, resumenda nobis videntur principia physiologica de pollutione, seu melius physiologia ipsa pollutionis. 1° Ut pollutio fiat, necesse est, ut aliqua causa, sive physica sive psychica, in centra erectionis et iaculationis ita agat, ut spasmica contractio sequatur vesicularum, ex qua expulsio seminis; omnia haec ad classem referuntur *arcuum reflexorum*, quorum effectus voluntas nec producere nec impedire valet; 2° ut erectio fiat, necesse est, ut sanguis corpora cavernosa membri permeat ac repleat; 3° iaculatio repraesentat statum maximae excitationis nervosae, cuius suspensio, tempore quo esset irruptura, absque gravi incommodo et periculo gravis perturbationis nervei systematis fieri non potest. Quum enim totum nervorum systema in eo pervenit, ut pollutio proxima sit, suppressio repentina actus, qui est effectus totius illius nerveae excitationis, ipsam nervei systematis excitationem penitus servat, cuius quies, e contra, sequeretur, pollutione perfecta. Pollutione vero impedita, ob conditionem excitationis specialis nerveae, magna perturbatio sanitatis sequitur; quod quidem morbum adhuc non constituit, ut optime notat Doctor Ferrand [2], sed, praesertim si repressio saepe fiat, acqui-

---

[1] Hinc evidenter omnino inutilis evadit theologorum quaestio, an scilicet ope medicamentorum semen corruptum vel venenosum liceat expellere, de qua plurimi auctores, etiam moderni, loquuntur.

[2] Debreyne et Ferrand, *La théol. mor. et les scienc. médical.*, 7ª edit., pag. 87.

ritur quaedam praedispositio ad morbos nervosos, qui, data occasione, statim irruunt, et sequitur etiam facilitas easdem sensationes patiendi. Certo, ut ait idem dr. Ferrand, viri robustae voluntatis et valetudinis possunt optime statum hunc excitationis plus minus repellere, divertendo alio actionem nervei systematis excitati, ut esset usus applicationis aquae frigidae super organa sexualia, deambulare rapide aliquo brevi tempore; quod quidem tamen non efficiet, ut vir incommodum grave et statum huius excitationis diu non patiatur [1]; 4° pollutio physiologica viris e forti constitutione, ex ardenti animo, sanguineo vel nervoso aut erotico temperamento, optimos effectus in valetudine producit, minuendo excitationem genitalium, immo auferendo eius causam; dum, contra, viris debilibus ob mansturbationem, chlorosim, anemiam, morbos, aut quamcumque aliam causam, maxime nervosis etc., pollutio physiologica facile evadit morbosa ob debilitationem, quae magis magisque augetur, agmen malorum finemque vitae ante tempus frequenter adducendo.

659. His praemissis, apparet non eamdem rationem habendam esse cum omnibus pollutionem activam patientibus. Viros sanos, fortes, ex indole n. 4 notata, minime necessarium est pollutioni in somno coeptae et in vigilia perfectae, aut iam iam secuturae, resistere, dummodo periculum consensus absit; suppressio enim ipsis grave incommodum esset et numquam absque periculo valetudinis; pro istis pollutio est vera exoneratio, quam natura ipsa postulat. Ceteri vero e debili constitutione (pariter n. 4 notati) hortandi sunt, ut, in quantum possunt, pollutioni, ut supra, resistant, non tantum per media moralia, h. e. elevando mentem ad Deum, ad Virginem etc., sed etiam per media physica, quia pro his, etiamsi pollutio huiusmodi nullum peccatum sit (cum supponamus omnino, saltem hic et nunc, involontariam et absque periculo consensus), tamen absque periculo gravi sanitatis minime evaderet, quia huiusmodi pollutiones non impeditae saepe adeo frequentes fiunt, ut verum morbum (spermatorrhaeam) efficiant, quae facillime praematurum vitae finem adducit. Ceterum, in re tam periculosa, viris debilibus, facile peccato consentientibus, viris piis, timoratis, scrupulis obnoxiis, imbecilli voluntate praeditis ad resistendum peccatis, haec praxis maxime commendanda est, ut et fortior evadat actus voluntatis ad declinandum periculum consensus.

---

[1] Debreyne-Ferrand, ibid., pag. 88.

660. Quod vero spectat ad *media hygienica* vel *medica* adhibenda, cum pollutiones nimis frequentes fiant cum incommodis variis valetudinis, hic sequentia notamus, ex Debreyne, ut optima consulenda. Cum calor lecti multum conferat in pollutiones, sicut etiam constipatio ventris ac repletio vesiculae urinariae, ita in lecto vitari debet positio supina seu dorsalis, et lateralis, praesertim partis dexterae, quaerenda; lectus debet durus esse et leves sint lodices; vespere refectio sit parca et non abundans vinum et aqua, ne nimis urina formetur; cibus sit semper facilis digestionis, non calefaciens et possibiliter lacteus; abstineatur ab alimentis piperatis aut drogis praeparatis, a piscibus maris, a crustaceis, a liquoribus et cerevisia; adhibeantur pocula frigida et fragmenta aquae solidae; pulmentum ipsum frigidum sit. Balnea aquae frigidae optima evadunt, praesertim maris; item quam maxime conferunt lotiones frigidae in perineo aut impositio vesiculae *caotchouc*, plenae nive vel glacie vel aqua frigidissima, super genitalia; utiles item sunt lotiones locales simplicis aquae aut decoctionis lupuli, semel aut bis in die. Huiusmodi viri optime facient deambulando quotidie paulisper ruri et aëre puro; transpiratio pellis servetur levis; repentinae aëris mutationes vitentur. Quoad pharmaceuticas praeparationes, cum pollutio secum ferat generalem debilitatem, consulendae sunt illae, quae ferrum et chinam continent, quibus utiliter addi potest magnesia, aqua calcis etc. Ita etiam medicamenta, actionis fortioris, ut lupulina, camphora, bromuri et praesertim bromurus camphorae, satis commendantur [1].

Ad praeveniendas vero intestini recti constipationes, multum conferunt clysteria quotidiana aquae frigidae, et, post quamlibet alvi deiectionem, clysterium decoctionis radicis *magnae consolidae* (symphitum officinale) cum capite papaveris, quod diutius, quam est possibile, retinendum est. Coni adstringentes anales pariter utiles sunt [2].

661. Hic omnino damnanda est praxis nonnullorum medicorum, qui, ad minuendas pollutiones et sexuales excitationes, hortantur praesertim iuvenes adire mulieres, quum ad venerea trahi advertunt. Haec praxis funestissima, quia causa multorum peccatorum, oritur ex aversione a legibus moralibus, quas religio christiana tuetur, et a materialismo, qui ubique hodie usque ad nauseam increvit.

---

[1] Debreyne-Ferrand, *Op. cit.*, pag. 92 et seq.

[2] Garnier, *La stérilité humaine* etc., pag. 470.

Hi medici nil aliud in homine considerant praeter corpus; et negligunt vel despiciunt omnes regulas ethicas, quae totum moralem hominem dirigunt. Homo non solum saluti corporis providere debet, sed, et multo magis, saluti animae, pro qua nulla valet commutatio. Quapropter Confessarius quam maxime vigilet in poenitentes, qui huiusmodi medicis se confidunt et eos omnino prohibeat, quominus his immoralissimis praescriptionibus obtemperent, cum certum sit Deum nullum tentari permittere plus quam ferre possit. Experientia constat, frequentissime optimos iuvenes evasisse pessimos per huiusmodi medicorum consilia. Prae oculis etiam ponet, quod, si exuberatio adest vitae, natura sponte emissionem seminis procurat, nec valetudo aliquid patitur. Hic oportet saepe ad Sacramenta accedere et spiecialia pietatis opera hortari.

B. — De pollutione passiva seu diurna [1].

662. Hoc genus pollutionum maxime attendendum est, quia fere semper, nisi cito auxilium feratur, mortem brevi adducit. Huiusmodi pollutiones fiunt tempore vigiliae, plerumque die, ordinarie absque erectione, sine necessitate, sine venereis desideriis, absque voluptate inscio saepe viro, aliquando cum incommodis, immo cum doloribus in genitalibus, partibusque vicinis. Iuxta doctorem Lallemand, qui studio harum pollutionum maxime vacavit, verum morbum constituunt, qui paullatim societatem minuit. Causa praecipua habetur in praecedenti mansturbatione vel abusu praecoci et repetito veneris vel usu onanistico tam in matrimonio, quam extra statum coniugii. Accidunt praeterea frequenter in adolescentibus debilibus, melancholicis, lymphaticis, scrophulosis et incontinentia urinae affectis. Iuxta doctorem Lallemand, passivae pollutiones ex aliis etiam causis oriri possunt, quales sunt vermiculi intestinales in recto intestino, constipatio ventris obstinata ac perseverans, haemorrhoidae, fissurae anales, smegma praeputii, prurigo, echzema, lichen etc.

Ad huiusmodi pollutiones referendas censemus, quae fiunt tempore defoecationis vel post defoecationem et tempore minctionis vel post minctionem, quin vir aliquid plerumque advertat.

663. Quoad vero spectat modum se gerendi cum istis viris, ratio su-

---

[1] Debreyne, *Moechialogie* etc., pag. 40; Debreyne-Ferrand, *Op. cit.*, pag. 89.

perius exposita sequenda erit, quaerendo maiore severitate, ut omne studium adhibeatur a consensu removendo, quia pollutio fit fere semper tempore vigiliae et vir plene est compos sui.

Tamen adhortationes benignae et sensus maximae pietatis pro his necessarii sunt, quia magna debilitatio, sequens pollutiones huiusmodi, cogitationes tristes mentem terrentes, forsitan cogitatio ipsa vitiorum anteactae vitae, quae causa sunt praesentium malorum, voluntas maxime debilis, inducunt in eorum animo tristitiam ac magnam hypocondriam, quae non raro in desperationem ac suicidium hos miseros impulerunt. Quapropter suavibus modis suadendi sunt, ut, si mansturbatores erant, a mansturbatione abstineant, et facilior tunc evadit cura et pristinae sanitatis restitutio; sensus fiduciae inspirandi sunt; animus agitatus ac tristis erigendus; consilium detur medicum adire possibiliter christianum et eius curae omnino se committere, praemonendo, ut a coitu omnino se abstineant, etiamsi medicus id suadeat, ut saepissime etiam in his adiunctis fit, et, hoc in casu, innuatur paternis verbis, quomodo Iesus Christus affirmet melius esse coelum ingredi coecum vel claudum, quam duos oculos vel duos pedes habentem mitti in gehennam, h. e. pro nulla re, etsi maxime conferat ad hunc mundum vel ad corporis sanitatem, amissio aeterna animae fieri potest, quia iustus iudex est Deus et nemo potest eius iudicium effugere.

664. Notandum insuper, in his miseris voluntatem adeo debilem inveniri, ut saepe videantur non posse vi tentationis resistere et pollutionem sibi procurent, sive per mansturbationem directe, sive per motus varios corporis, plus minus instinctivos, vel etiam voluntarios. Ad cognoscendum tunc quantitatem culpae in his actibus, ut bene advertit Debreyne, necessarium est indolem christianam et moralem personae prae oculis habere, h. e. quanto amore in Deum et odio in peccatum afficiatur; utrum actus frequentes pietatis emittat; utrum tempore tactus turpis peccatum plene adverterit etc.; et si Confessarius nesciat aut nequeat gradum culpae ex his cognoscere, ne scrupuli poenitentem invadant, a culpa, prout est ante Deum, nisi aliud obstet, absolvat.

Addatur demum, quod aliquando impetus seu vis passionis et tentationis adeo augere potest, ut medico necesse sit ad ligaturas manuum et applicationem mediorum mechanicorum recurrere ut vitetur quicumque tactus, sicut superius diximus, cum de mansturbatione loquebamur.

665. Quod vero spectat *media hygienica et medica*, recolenda sunt, quae supra diximus de cura pollutionis activae, cum hoc tamen discrimine, quod cura ipsa maior ac fortior hic esse debet; medicamina ipsa magis tonica sint; balnea adhibeantur, ut supra, aliquando etiam sulphurea. Quum vero pollutio passiva diuturna et sat gravis est, optimum remedium praebet cautherizatio mucosae prostatae, a doctore Lallemand maxime commendata [1].

Usus lotionis genitalis ante dormitionem, clysterii frigidi, suppositoriorum seu conorum analium cum ergotina, strychnina, cocaïn a a medico ordinandorum etc., iuxta doctorem Garnier, optimos effectus praebent ob actionem sedativam atque adstringentem localem [2].

Pollutio passiva numquam negligenda est, quia gravissimi morbi ex negligentia oriri possunt, qui postea nequeunt removeri aliquo medicamine; iuxta doctores Wichmann, Sainte-Marie et Lallemand sunt multi casus hypocondriae, febris hecticae lenti progressus febris nervosae, comsumptionis et phthisis pulmonaris, quae ex his pollutionibus ortum ducunt et contra quas nullum valet remedium [3].

Ad impediendas involuntarias pollutiones, valde conferunt compressiones ano-perineales, a doctore Trousseau valde commendatas, ob impedimentum allatum circulationi in organis generationis, et praesertim cum vehementes erectiones accedunt. Obtinetur compressio per apparatum, qui consistit in corrigia pellis, quae circumdat ventrem, cuius extremitates in parte anteriori per fibulam coniunguntur; parte vero posteriori, seu dorsi, altera corrigia connectitur primae ita, ut decurrat super os sacrum et coccygem; haec corrigia fert glomerulum durum, ovalem (4-5 cm. long.), qui comprimit os anale et alterum e forma triangulari, totum perineum comprimentem usque ad scrotum; demum duplex corrigia coniungit hunc glomerulum cum parte media zonae ventris. Per hunc apparatum mechanicum, cum quo dormitur, compressio analis et perinealis obstat circulationi locali sanguinis, quo fit, ut erectio et pollutiones ita minuantur, ut brevi etiam omnino cessare possint, sanitatem afferendo [4]. Apparatu deficiente, cum noscitur imminens pollutio, fortis compressio in dictis locis fieri potest etiam per manus (Debreyne).

---

1 Debreyne-Ferrand, *Op. cit.*, pag. 89 et ss.; Capellmann, *Op. cit.*, pag. 32 et ss

2 Garnier, *Anomal. sexuel.*, pag. 445 et ss.

3 Debreyne-Ferrand, *Op. et loc. cit.*

4 Garnier, *Op. cit.*, pag. 454 et ss.

666. Aliquando fit, ut medicus, ad statuendam morbi diagnosim ac statum, seminis examine possit indigere; quaeri hic potest, quomodo poenitens se gerere debeat. Respond., poenitentem numquam posse hac ratione pollutionem sibi procurare, sed spontaneam seminis emissionem expectare debere, ut semen ad medicum remittat. Facile semen colligitur, circum membrum ponendo linteolum vel telam gummatam. Ob voluntariam pollutionem, quae grave peccatum constituit, morbus ipse valde ingravesceret cum notabili damno poenitentis. Verum est, ut ait doctor Ferrand, inveniri aliquando nonnullos bonae fidei vel magnae simplicitatis viros, qui, in hoc casu, licitam sibi putent voluntariam pollutionem; at raros hos puto; et satis perniciosum est, saltem pro eorum valetudine, in tali conditione eos relinquere; et, cum pollutione passiva patientibus frequenter pollutio accidat, ita iudicium medicum differre, nihil omnino detrimenti aegrotanti affert. Quapropter, ex mea sententia, semper monendi essent, ut a pollutione voluntaria abstineant, etsi in bona fide versentur; regulariter tamen melius erit de malitia peccati verbum non facere, praesertim si praevideatur aut valde timeatur monitionem nihil profuturam.

CAPUT XI.

DE DISTILLATIONE VIRILI

667. Pauca dicemus etiam de *distillatione*. *Distillatio* in *viro* consistit in fluxu humoris absque colore, ex aspectu mucoso et filamentoso, qui e canali uretrae emittitur aliquando modo permanenti, aliquando vero cum aliqua causa genitalia excitat; aliquando quadam voluptate coniungitur, aliquando minime. Talis humor similis est cuicumque alii humori, qui ex aliis mucosis oritur. Originem ducit ex glandula prostatae et glandulis mucosis uretrae, cuius officium est humidam et mollem servare mucosam uretrae. Ex quo sequitur hoc liquidum nihil habere commune cum semine, nisi partem canalis, quo effluit; hac ratione accidit in viris, in impuberibus, in eunuchis, in senibus etc. Apud adolescentes, ignorantes vel ingenuos, saepe hic fluxus pro emissione seminis accipitur, a quo tamen facile distinguitur, quia 1° pollutio nocturna cum quadam voluptate particulari manifestatur; et, si sit diurna, status debilitationis sequens satis de pollutione indicat; color dein seminis est albidum; distillatio vero ordinarie est permanens, aut producitur tempore evacuationis alvi vel minctionis; ei quicumque color deest; 2° odor specialis seminis deest omnino in distillatione; 3° semen nemaspermata continet, per microscopium observanda, distillatio eis omnino caret.

Causa frequentissima distillationis est ipsa manstubatio, qua mucosa uretrae irritatur; potest dein oriri ex quacumque alia causa hanc irritationem inducente, tales sunt praecedentes inflammationes genitalium, morbi glandulae prostaticae, organorumque proximorum (ex. gr. haemorrhoidae), constipatio intestinalis etc. Nonnullae morbosae praedispositiones etiam hunc fluxum ferunt, quales sunt scrophula, lymphaticismus et anemia.

668. Quoad vero spectat rem moralem huius facti, S. Alph. (ib. n. 477) habet: « Distillatio... si proveniat sine omni commotione sensus venerei, ut quandoque fit, de ea non magis laborandum, quam de sudore, dicit Caietanus. Si vero fiat cum sensu carnis et commotione spirituum generationi inservientium, tunc ei cooperari vel causam praebere, non est vel est peccatum, idque veniale vel mortale, ad eumdem modum, quo de pollutione... ».

« Quaeritur utrum distillatio voluntaria sit peccatum mortale? distinguendum: si ipsa contingat cum notabili commotione spirituum, procul dubio est peccatum mortale, quia talis notabilis commotio est pollutio inchoata. Et idem dicendum si distillatio sit in magna quantitate, quia talis notabilis distillatio non potest esse sine notabili carnis rebellione; unde sicut graviter peccat, qui notabilem commotionem procurat; ita etiam qui magnam procurat distillationem. Ita Sanch., Sporer, Elbel, Holzmann, Tamburini et alii communiter. Hinc tenemur sub gravi obligatione non solum huiusmodi distillationem directe evitare, sed etiam indirecte, vitando omnes causas proxime in eam influentes, pari modo ac de pollutione.... Si vero distillatio sit in modica quantitate et sine delectatione et commotione, tunc sine peccato possumus illam permittere ut dicunt Caiet. et Margar apud Sanch... et alii communiter; quia de tali fluxu non est magis curandum quam de emissione cuiuscumque alterius excrementi, de quo natura se exonerare solet... Imo Holzm., Tamb., Sporer, et Elb. dicunt id permitti etiam cum levi carnis commotione. Recte vero advertit Sanch. apud Salm. et consentit Bon., quod directe et data opera procurare quamcumque distillationem, etiam levem, nullo modo potest excusari a peccato mortali; quia revera quaecumque distillatio semper vel ut plurimum secum fert aliquam commotionem et aliquantuli seminis effusionem ». Brevius egregius Costantini: « distillatio... permitti potest, excluso omni in carnis commotione consensu; sed eam procurare non licet. Quod si in ea adsit notabilis carnis commotio, idem de ea dicendum ac de pollutione, quacum plus minus sociatur » [1],

669. Ad haec, in primis notamus distillationem minime secum ferre aliquid seminis, si excipias casus pollutionis passivae, defoecationis vel minctionis difficilis (quod tunc nullum est peccatum, ut per se patet), quia hoc definitioni et facto ipsius distillationis adversatur.

---

[1] Costantini, *Op. cit.*, n. 288 v.

670. Nunc, minime loquendo de distillatione omnino involuntaria, cui quodcumque peccatum evidenter deest, dicimus, ut quis distillationem subeat, necessaria est aliqua excitatio genitalium, quae, si nulla adsit rationabilis causa (ex. gr. pruritum sedandi, causa studendi etc.), eam ponere quamdam voluptatem quaerere significat et tunc minime caret culpa; hinc principia generalia de pollutione applicando, liquet:

a) nullum esse peccatum, ob distillationem sequentem, quum quis causam rationabilem, utilem vel necessariam ponit, etiamsi ex illa distillationem praevideat, dummodo consensus non adsit in commotione accedente, quia, ut ait S. Alph. (ibid. n. 481), prosequenti suum ius non imputatur effectus per accidens et praeter intentionem secutus;

b) cum quis causam ponit, plus minus directe, in distillationem influentem, ex curiositate, levitate vel alia ratione non necessaria, distillationi tanta inest culpa quanta adfuit in causa posita, ita ut si levis fuerit causa vel gravis, distillatio pro levi vel gravi habenda censeatur, quia effectus sequitur naturam causae;

c) distillatio oriens ex causis honestis ac licitis, ut confabulatio, consuetudo, tactus honestus, aspectus indifferens feminarum, lectio conveniens, et similia, nullum est peccatum (dummodo absit consensus in commotione), quia hoc tribuendum est infirmitati naturae; et angustiae, spiritus agitationes, scrupuli, in hac re, magis vincuntur contemnendo, quam aestimando.

Addendum demum est, quum distillatio frequentior accidat, absque commotione et voluptate, absque causa directa vel indirecta, tunc habetur *passiva* distillatio, quae omni culpa caret et morbum constituit, de quo medicus est consulendus.

CAPUT XII.

DE DISTILLATIONE FEMINEA.

671. Nomine *distillationis femineae* intelligimus emissionem muci quae fit intus vel extra genitalia mulieris, cum quadam voluptate coniunctam ob erectionem localem, hic et nunc omnino involuntariam. Haec emissio aequivalet, ut diximus, distillationi viri et eodem modo producitur, quo quaevis alia secretio ex irritatione mucosae.

672. Distillatio feminea oritur ex glandulis vulvaribus et vaginalibus, quae, cum sint aliquo modo excitatae, hunc mucum secernunt; perfecta distillatione, erectio localis minuit, donec irritatio sedatur, ob plenitudinem voluptatis consecutam.

Distillatio, quum abundans sit, extra vaginam fluit; sin minime, intus manet, quin mulier advertat; denique potest satietas voluptatis adesse absque ulla fluxus emissione; quantitas vero fluxus variat pro temperamento et irritabilitate nervea mulieris. Distillationem sequitur magna perturbatio nervea, quae morale et physicum valde perturbat, quod quidem evenit, etiamsi commotio genitalis distillationem non secum ferat.

673. Distillatio in muliere, sicut pollutio in viro, potest locum habere *die* vel melius *tempore vigiliae*, et *noctu* seu *tempore somni;* hinc distinctio: in *A. distillationem diurnam* et *B. distillationem nocturnam*. Notetur casus distillationis huiusmodi saepissime in praxi Confessario accidere.

A. — De distillatione feminea diurna [1].

674. *Distillatio diurna* fit semper tempore vigiliae et est omnino involuntaria. Potest oriri ex causa psychica, sicuti est memoria alicuius rei turpis, cogitatio inhonesta, phantasmata turpia, quae excitantur, vel ex causa physica, ut contactus genitalium cum femoralibus, linteolis etc.; hisce casibus, supervenit excitatio genitalium cum voluptate, et ordinarie, cum emissione muci vaginalis, qui potest etiam extra genitalia fluere; ad distinguendam huiusmodi commotionem carnalem a *simplici* motu carnis, notetur an adsit voluptas et distillatio, quae ordinarie non abest; quibus deficientibus, de simplici carnis motu agitur. Advertatur insuper omnia haec distillationis phaenomena, h. e. commotio carnalis, sensus voluptatis et fluxus, aliquando illico habere locum.

Nonnullae praeterea sunt femineae naturae, adeo nervorum sensibilitate affectae, quae distillationem patiuntur quavis etiam levissima causa (ex. gr. indifferens consuetudo cum viris, honestus virorum aspectus etc.), sicut de viri pollutionibus fit, quae ceterum facilitas distillationis etiam ex mansturbatione, pruritu et spurcitia locali oritur. Aliquando distillatio semel incepta, per plures annos perseverare potest, quae multas angustias mulieri affert; tunc agitur de morbo.

675. De modo se gerendi, quoad rem moralem, idem tenendum quod de virili pollutione et distillatione: hinc 1° distillationem patientes, si minime consensum voluptati et eius causam praebent, nullum peccatum committunt; 2° si causa rationalis, licita et honesta vel necessaria aut utilis adsit aliquid ponendi in distillationem agens, sicut studium, praxis obstetricum, assistentia ad partus etc., dummodo absit voluptati consensus, pariter distillatio nullum est peccatum; 3° si causa posita levis vel gravis sit, ex. gr., aliqua lectio curiosa, aspectus brevis inhonestus non necessarius, confabulatio vel consuetudo item non necessaria cum virili sexu, vel lectio graviter illicita seu turpis, aspicere turpia absque ulla causa, inhonesta loqui vel agere etc., tunc distillationi tanta inest culpa, quanta in causa posita, ita ut si causa levis, culpa levis, si causa gravis, culpa erit gravis.

---

[1] Debreyne-Ferrand, *Op. cit.*, pag. cit. et ss: Debreyne, *Maechialog.*, pag. 73 et ss.

In aestimatione morali, minime curandum de quantitate fluxus, quia hic a natura et temperamento personarum omnino pendet et non a natura causae positae, saltem generatim loquendo, cum, ceteris paribus, in nonnullis feminis maior, in aliis minima copia fluxus, in nonnullis etiam nulla habeatur; quod hic aestimatur est plenitudo sive satietas voluptatis et consensus in eam.

B. — De distillatione feminea nocturna [1].

676. Quod superius de distillatione diurna diximus, valet etiam pro hac forma, quae tantum *tempore somni* evenit, eaedemque regulae morales hic obtinent. Etsi hae distillationes, cum fiant absque conscientia, careant malitia peccati, tamen possunt praebere occasionem gravibus peccatis, si, ex. gr., patiens de iis delectetur, si per phantasiam vel turpes cogitationes eas desideret, vel eis causam praebeat, sive physicam, sive moralem etc.

677. Saepe in praxi fit (ut recte notat Debreyne), quod nonnullae mulieres, sive simplices, sive scrupulis obnoxiae, distillationem pati putent, quia quodam fluxu, h. e. muci emissione, laborant, se ipsas et confessarium fallendo, dum e contra vero morbo, etsi non gravi, afficiuntur. Necesse est ergo noscere, quomodo distillatio distingui possit ab iis morbis, qui distillationis aliquam speciem prae se ferunt.

Hi morbi sunt *leuchorrhea* seu *fluores albi* et *blenorrhagia*.

678. Ante omnia oportet ad mentem revocare characteres distillationis, qui sunt emissio muci intermittens, erectio genitalium, sensus voluptatis, quies genitalium post distillationem. Nunc: *leuchorrhea*, cum sit inflammatio mucosae vaginalis (vaginites chronica), secum fert emissionem plus minus abundantem muci purulentis vel serosi, plus minus permanentem, quae ordinarie valde augetur tempore menstrui et paullo ante et paullo post; comitantur fere semper renum dolores, sensationes incommodae epigastrii (*tirature di stomaco*), absque febri et absque venerea sensatione et huiusmodi mulieres valde conqueruntur de defatigatione consequente, quae eas valde opprimit. — In *blenorrhagia* vero, cum sit inflammatio mucosae uretralis, in emissione urinae habentur saepe dolores et quidam sensus ustionis, et observatur emissio fere continua guttae purulentis, et, cum morbus

---

[1] Cfr. Debreyne-Ferrand, *Op. cit.*, ibid.

sit chronicus, emittitur etiam mucus, praesertim si per vaginam uretra premitur ope digiti indicis [1]. Ut patet characteres speciales distillationis in his morbis desunt.

679. Quaestio maximi momenti pro praxi est sequens, scilicet an mulieribus, pruritum magnum in genitalibus patientibus, permitti possit sedatio per tactus. *S. Alf.* habet (ibid. n. 483): « Licet alicui, qui magnum pruritum patitur in verendis, illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur. Ita Bus. etc... Forte dices posse accidere ut pruritus ille proveniat ex ipso ardore libidinis, unde extinctio pruritus, quae per fricationem fit, venerea delectatio potius censeri debeat. Sed respondetur, rationabilius iudicandum, quod talis pruritus, quando est valde molestus, oriatur potius ex acrimonia sanguinis, quam ex ardore luxuriae. Saltem in dubio possidet libertas se liberandi ab huiusmodi molestia per tactum de se licitum, dum licite quisque potest tactu pruritum corporis abigere, et si accidit pollutio, absque periculo consensus, per accidens et involuntarie ac proinde inculpabiliter accidit; ut autem iste ab eo tactu abstinere teneretur, probandus pro certo esset pruritus ille a libidine procedere ». Ergo, iuxta S. Alf., et ceteros theologos, licitum est, per tactum pruritum abigere, etiamsi sequatur pollutio (dummodo absit consensus), si pruritus non ex libidine oritur, minime vero si ex libidine ortum ducit. Noscendum igitur est, quandonam pruritus ex libidine, quando vero ex causa morbosa oritur; et hoc non tantum confert ad rem moralem, sed et ad valetudini mulieris consulendum, quia, si de libidine agitur, facillime habitus mansturbationis efficitur, quae valde sanitatem perturbat; si vero de causa morbosa, tunc remedia opportuna ad eam removendam necessaria sunt, ne quid valetudo detrimenti capiat; eoque magis, quod nonnulli genitalium morbi facilius curantur, quum primo apparent, quam quum chronici evaserint; et, re quidem vera, genitalia nonnullis morbis laborare possunt, magnum pruritum inducentibus, quales, ex. gr., vulvites, herpes genitalis etc., ita ut mulieres, adeo ex pruritu vexentur, ut velut instinctu quodam cogantur ad tactus peragendos, causa eum sedandi. Huiusmodi mulieres certo cum multa benignitate tractandae sunt, quia earum status morbosus hoc requirit, et Confessarius optime aget, si cognoscere studeat causam molestiae, ut opportuna remedia indicet aut melius ad medicum mittat.

---

1 Cfr. etiam Strümpell, *Op. cit.*, Vol. III, P. II, pag. 39.

680. Iuxta Debreyne, nosci potest utrum pruritus ex causa venerea, an morbosa proveniat, ex hoc quod: 1° si pruritus ex libidine erat, post tactus ac distillationem, excitatio voluptuosa statim deficit et organa ad quietis statum cito redeunt, in quo per aliquod tempus perseverant; si vero pruritus ex causa morbosa proveniebat, contrectationes manuales paullulum molestiam minuunt, quin omnino pruritum dissipent [1]; 2° si usus alicuius medicamenti, ex. gr. ex hydrargirio confecti, adeo minuit irritationem, ut paucos post dies etiam omnino cesset, de causa morbosa agitur; dum, e contra, si haec medicamenta nihil iuvant et pruritus per tactus sedatur, de causa libidinosa tunc res est [2].

681. Hic perutile est noscere duos praesertim morbos genitalium mulierum, cum frequentes sint, et de quibus saepe mulieres apud confessarium conqueruntur; quorum scientia multum inservit ad tranquillitatem praesertim poenitentis, quae ob verecundiam nequit eos medico vel matri patefacere, maxime si vitio mansturbationis oriantur; hi morbi sunt *pruritus vulvaris* et *vulvites simplex*.

682. *Pruritus vulvaris* manifestatur per irritationes vehementes in superficie genitalium externorum, quae irritationes aliquando ita augentur, ut fortis necessitas oriatur sedandi fastidium per tactus; immo, aliquando, fastidium ita grave et dolorosum evadit, ut tactus etiam coram aliis personis agantur, quin pudor aliquo modo servetur. Ordinarie fit, ut, si pruritus non nimis gravis sit, per tactus oriatur voluptas; si vero pruritus maxime molestus sit, dolor tantus esse potest, ut tactus minime excitationem voluptuosam moveant. Hic morbus saepe causa est mansturbationis, et, nisi cito curetur, facillime chronicus fit et valde difficilius tunc removeri potest. Pruritus notatur tam in nuptis quam in innuptis; generatim dicendum frequentiorem et communiorem esse in nuptis. Aliquando causa pruritus est

---

[1] Debreyne-Ferrand, *Op. cit.*, pag. 124 et seq. et *Maechialog.*, pag. 78 et ss.

[2] En praescriptionem Debreyne: accipe bicloruri mercurialem (*sublimato corrosivo*) gr. 5, solvantur haec 5 gram. in 50 gram. alcool (*spirito commune*); huius solutionis unum tantum cochlear ponatur in $^1/_2$ litro aquae (500 gram.); cum hac solutione demum fiant pluries in die lotiones locales. (Debreyne, *Moechialog.* etc., pag. 79). — Etiam in hoc casu frequenter medici etiam catholici, ad sedandum pruritum, consilium dant mulieribus sese mansturbandi per contrectationes manuales clitoridis, quas ipsi insuper aliquando eas docent. Hoc consilium omnino reprobandum est, quum ex illo vitium mansturbationis oriatur. Quaecumque sit causa morbosa pruritus, sive nervea, sive localis, medicamina non desunt, quae morbum auferant aut valde sedent. Nonnulla horum sequentibus numeris huius capitis traduntur.

aliquis morbus pellis, etsi levis, ut prurigo, vulvites etc.; aliquando sunt vermes intestinales, fluores albi, diabetes [1], praegnatio. Non raro potest morbus ingravescere ob lacerationes, quas afferunt ungues digitorum, quae ad illum sedandum inserviunt.

683. Ad curam quod attinet huius morbi, oportet agere lotiones harum partium, praesertim cum aqua boricata seu commixta cum acido borico (1-2 %), etiam pluries in die; optimae item evadunt lotiones cum aqua calida (50°), post quas statim ponitur, inter labia vulvae, panniculum leve antea immersum in sequenti solutione, *sublimato corrosivo* (biclorurus hydragirii) gr. 1, in 1000 gram. aquae. Valde utiles sunt etiam lotiones ex seq. solutione: *biboratum sodae* gr. 15, *aquae rosarum* gr. 120, *sulphatum morphinicum* gr. 0,30. Si vero morbus non decrescit, oportet medicum adire; tamen lotiones dictae, praesertim cum aqua boricata, non parvae utilitatis sunt. Si vero morbus pendet alia causa morbosa, ut prurigo, vulvites, fluores albi etc., hi morbi sunt ante omnia removendi [2].

684. *Vulvites simplex* (loquimur de ea, quae non est naturae syphiliticae) item frequens est et noscitur ex nimio calore vulvae, ex dolore, ex aspectu rubro, tumefactione ac emissione e vulva liquidi cuiusdam albi aut fulvi, qui pallautim densus fit. Urina, his partibus adhaerens, dolores adcrescit, qui incessum etiam impediunt. Causae huius morbi sunt mansturbatio, abusus coitus, negligentia lotionum genitalium, conatus violationis, et, in puellis, vermiculi intestini recti, emissio dentium, frigus, debilitatio generalis etc.

Quoad *curam*, numquam satis commendantur frequentes lotiones genitalium cum aqua comuni vel mixta cum acido borico, ut supra; dein utilia sunt cataplasmata emollientia facta ex seminibus linaceis, ex malva vel ex aqua, quae habetur per ebullitionem florum sambuci communis; post singulas lotiones, oportet aspergere super vulvam aliquantum pulveris τοῦ *sottonitrato di bismuto*. Cum vero suspicio oriatur de causa syphilitica ob conatus coitus vel ob coitum habitum, necesse est ad medicum recurrere, qui potest perfecte noscere causam morbi et opportuna remedia praebere [3].

---

[1] Immo pruritus ex diabete valde molestus et persistens est, nec removetur aliquo medicamine locali, sed tantum auferendo morbum ipsum (diabetem). Schauta, *Op. cit.*, pag. 509.

[2] Vigouroux, *Traité compl. de médecine pratique*, Paris, vol. IV, pag. 129.

[3] Vigouroux, *Op. cit.*, pag. 121.

685. Minime hi duo morbi tantum sunt, qui saepe organa genitalia mulieris afficiunt; multi alii sunt, ut vulvites folliculosa, plures vulvae vegetationes, ulcera etc., qui, inter ceteras causas, oriuntur etiam ex negligentia has partes lavandi; haec incommoda sunt etiam causae mansturbationis. Quare facile liquet quantum commendandae sint genitalium lotiones; at in hoc habeatur semper magna prudentia et inspiciatur natura personae, cum nonnullae sint mulieres quae libenter has lotiones agunt ad captandam voluptatem.

APPENDIX.

DE ECCLESIASTICO COELIBATU.

Et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum.
(Matth. xix, 12).

686. Postquam egimus de vitiis carnis et de effectibus, qui sequuntur, tum corpori tum animae, necessarium ducimus nonnulla adiicere, quae referuntur ad coelibatum Ecclesiae, prout imponitur suis ministris. quia, in praesenti, non pauci errores audiuntur etiam a nonnullis, qui huic legi subiiciuntur, et non pauci libri conscripti habentur, quibus circumferuntur innumera mala, quae Ecclesia permittit hac lege et quomodo coelibatus adversetur iuri naturae, libertati humanae et legibus physiologiae, ita, ut, forsitan, nil peius aut crudelius, iuxta plures auctores, cogitari fas sit. Quum omnes hae calumniae semper proferantur nomine iuris naturae, historiae, physiologiae, progressus scientiae, et ad hoc tendant, ut Ecclesiam traducant ut barbaram, hostilem progressui, dignitati humanae et quoddam odium ac aversitatem in eam pariant, praesertim apud illos, qui exiguae sunt intelligentiae vel deficienti studio praediti, vel ad studia incumbere renuunt, et, his calumniis admissis, lata pateat via ad crimina carnalia perpetranda, operis pretium est et militum Christi munus ad examen revocare argumenta, quae tam elata voce ab adversariis sacri coelibatus proferuntur. Quod res ita vere sit, audiatur recens scriptor medicus, cuius opera late diffusa reperiuntur et in quibus operibus etiam multa bona continentur: « Commoda status coniugii, ait, adeo numerosa et evidentia sunt, studium ad illa assequenda

adeo naturale et generale, ut difficillimum sit probare voluntarium coelibatum, quod contrarium est. Coniugium amor est radios emittens et vitam oriri faciens; expansio est omnium facultatum affectuum hominis. Coelibatus, contra, mors est et nihil; hac ratione coelibatus reprobatur lege morali et hygiene. Sterilitas et coelibatus apud Haebraeos habebatur velut opprobrium et causa, cur a coetibus populi huius excluderentur. Moysis lex praescribebat coniugia et illa suadebat dispensatione ab oneribus militiae. Contrarium in praesenti locum habet in coelibatu religioso » [1].

687. Quod hic doctor exponit, multi alii doctores medici et scriptores varii, praesertim materialistae et de scientia sociali tractantes, tradunt. Cum vero hi libri publice vendantur et in manibus etiam clericorum et fidelium inveniri possint, ut de facto communiter fit, nemo est qui non videt quot mala gignere possunt et quot damna Ecclesiae aestimationi et auctoritati proveniant. Antequam vero tractationem aggrediamur, oportet innuere discrimen maximi momenti, scilicet quod in praesenti coelibes dupliciter intelliguntur, nempe illi, qui, iuxta Ecclesiae leges, prohibentur nuptias inire, cum maioribus ordinibus sint initiati, et illi, qui, in saeculo viventes, nolunt coniugia inire; hos postremos *coelibatarios* vocant; hi, generatim loquendo, sunt pestis civilis societatis; ipsi enim matrimonia inire recusant, quo facilius possint rebus venereis indulgere absque effectibus et oneribus, quae vita coniugalis necessario secum fert; per ipsos conspiciuntur in nationibus matrimonia minuere, filiorum numerum decrescere, mores magis magisque corrumpi, morbos augeri, miseriam in familias adduci, leges naturae offendi et omnia pro lubitu ad effectum traduci. De his egimus cum sermo fuit de vitiis carnis.

688. Coelibatus, quem praescribit Ecclesia Dei, toto coelo differt a mundi coelibatu; per ecclesiasticum coelibatum exercentur nobiliores et sanctiores virtutes, magis honoratur matrimonium, totus homo corporeus et spiritualis Deo consecratur.

689. Attamen priusquam expendamus argumenta adversariorum, optimum ducimus legem coelibatus ecclesiastici, prout est in praesenti in Ecclesia latina et orientali, brevi exponere ac dein eius historiam innuere.

---

[1] Garnier P., *Le Mariage*, nouvelle edit., Paris, pag. 98.

690. In Ecclesia latina omnino prohibitum est, post ordinem sacrum, inire nuptias, sub poena nullitatis matrimonii et irregularitatis contrahendae (Concil. Later. I, can. 21, et II, can. 7; Trid. Sess. 24. *De Sacram. Matrim.*, can. 9); quod si Episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi iam coniugium inierant, prohibetur eis severissime usus matrimonii, adeo ut, coniugio si utantur, neglecta prohibitione, filii ita nati habeantur ut illegitimi relate ad ordines et beneficia ecclesiastica (c. 14, *De filiis presbyter.*), legitimi vero relate ad effectus civiles et haereditatem. Insuper si *quis laicus,* constante matrimonio, ordinem sacrum petat, sacri canones disponunt, quod:

a) nemo uxoratus possit ad sacros ordines provehi, nisi venia uxoris, c. *Coniugatus* 5, *de Convers. coniug;* quod si quis, *invita uxore,* sacros ordines susceperit, statutum est: - *a'*) si matrimonium nondum fuerit consummatum, ab Episcopo moneri deberi ut in aliqua religione, ab Ecclesia probata, eliciat professionem religiosam, ibique solemniter profiteatur votum perpetuae castitatis, *Extrav. antiq.* Io. XXII, *De voto et voti redempt.;* - *a''*) si vero matrimonium fuerit consummatum, vel, consummato matrimonio, ille renuerit ingredi religionem, ut supra, compellatur redire ad uxorem suam, si ipsa instet, etiam per censuram; quo in casu ipse tenetur reddere debitum, minime vero potest illud petere; *Fagnanus* in c. 5 *De convers. coniug.* — Habita vero venia uxoris ad sacros ordines pro viro suo, ipsa tenetur profiteri continentiam (c. 5 *De convers. coniug.*) in aliqua religione, si sit iuvenis, extra vero religionem, seu in saeculo, at separata a viro, si sit senex et, iudicio prudentum, nulli suspicioni obnoxia (c. 4, Fagn. c. 5, n. 10 et 11; Bened. XIV, *De Synodo* l. 13, c. 12, n. 16).

b) Ordinatus, absque praedictis conditionibus, non potest susceptos ordines exercere, etiam soluto matrimonio, nec ad superiores promoveri, nec beneficia et officia ecclesiastica acquirere, nisi ingrediatur religionem aliquam ab Ecclesia probatam eiusque regulae professionem eliciat. (*Extrav. antiq.* Io. XXII, *De voto et voti redempt.*).

c) Etiam ad primam tonsuram et ordines minores suscipiendos requiritur consensus uxoris, quos ordines nemo licite potest suscipere, nisi animum habeat etiam ad maiores ascendere (*c. ult. De temp. ordin. in 6; Conc. Trid.* Sess. 23, c. 4); sed, ut possint hi ad maiores provehi, necessario requiritur consensus uxoris eiusque professio castitatis.

691. Ad *Ecclesias orientales* quod attinet, haec est lex coelibatus:

a) Qui promoventur ad dignitatem episcopalem, non habentes uxorem, non possunt eam ducere; quod si antea eam habebant, nequeunt eam amplius retinere, sed tenentur ab illa separari et in monasterium includere et alere;

b) Subdiaconi, diaconi, presbyteri nequeunt contrahere nuptias post ordinationem; quod si fecerint, invalidum est matrimonium (Bened. XIV, Const. *Eo quamvis*, 5 Maii 1745, § 35 ad 39);

c) Si vero subdiaconus ante ordinationem matrimonium inierit, eo uti potest etiam post susceptos ordines sacros, excepto tamen casu promotionis ad episcopatum, ut supra (C. *Cum olim de Cler. coniug.*); attamen presbyteri curare debent, antequam celebrent divinum sacrificium seu Missam, ut per hebdomadam vel per triduum ab uxore abstineant (Bened. XIV, Const. *Etsi pastoralis* § 7. n. 28). (Notum est enim Graecos olim non obtulisse Sacrificium Missae quotidie, sicut latinos, sed raro; hodie vero nonnisi Sabbato et die Dominica).

692. Quod vero ordo sacer fuerit impedimentum prohibens matrimonium a tempore Apostolorum, *suadetur* pluribus locis S. Scripturae. Apostolus Paulus ex. gr. (I Cor. VII, 5) ait: « *nolite fraudari invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* ». Quibus verbis liquet Apostolum docere coniugatos recte abstinere ab usu coniugii, cum debent orationi vacare. At in Ecclesia Christi, eius ministri debent *orationi et ministerio verbi esse instantes;* ergo debent ab usu matrimonii abstinere ac ideo ab eo contrahendo prohibentur. — Ex V. Testamento novimus populum Dei debuisse abstinere ab opere coniugali, cum manducabant Agnum paschalem; item ipsum populum debuisse triduo se sanctificare et ab uxoribus contineri cum accessurus erat ad montem Sinai et de longe auditurus eloquium Dei. Hinc Gregorius VII in Concil. romano I, (an. 1074) cap. 15, ait: « Apostolus sacrorum ministris incontinentiam interdixit, qui et saecularibus debent praeeminere in castitate, qui et ipsius Spiritus Sancti locutorium effecti quotidie Dominum pro populo debent interpellare. Quicumque ergo horum incontinens esse detegitur, ab ipso Apostolo sacris ordinibus interesse prohibetur; cum per incontinentiam Apostolicae institutioni seipsum subtraxisse videatur » [1]. Item (II Timoth. II, 4) habemus: « *Nemo militans Deo, implicat se*

[1] Rosset, *De Sacramento matrimonii* etc., 1895, vol. 3, pag. 128 et ss.

negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit ». Quod vero nuptiae referendae sint inter saecularia negotia, universi docent Patres et manifeste docet idem Apostolus (I Cor. VII, 32-33): « *Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori et divisus est* ».

693. Haec et plura alia loca S. Scripturae non probant quidem praeceptum continentiae, sed eius *convenientiam* statui ecclesiastico, ac ideo hoc ius non esse positivo-divinum, sed ecclesiasticum. Quae quidem convenientia aliis etiam pluribus rationibus eruitur. Nam: — 1° Status virginalis seu coelibatus est intrinsece perfectior statu coniugii, et eo magis quis debet purior ac sanctior esse, quo magis propior fit rebus sacris; at minister sacer potestatem habet in Corpus et Sanguinem ipsius Sanctitatis, carnem pro nobis effectae, eiusque gratias per Sacramenta fidelibus dispensare, cum scriptum sit: « *Sancti estote, quia et Ego Sanctus sum Dominus Deus vester* », et cum de fide sit statum virginalem et coelibatum meliorem et anteponendum esse statui coniugali, ex Trid. can. 10, Sess. 24: « *Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum statui virginitatis et caelibatus et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio, anathema sit* ». Et hac ratione plures omnibus saeculis laici virginitatem voverunt. Ergo magis ministris Christi convenit status, quo aemulantur charismata meliora. — 2° Sacerdotium christianum idem est ac Sacerdotium Christi et eius ministri in eodem efficio debent prae se ferre formam Capitis; at Christi Sacerdotium coniunctum est cum maxima virginitate. — 3° Ministri Christi debent speciali modo sequi exemplum Apostolorum, qui vel virgines semper permanserunt, vel, post vocationem, relicta uxore, coelibes perseverarunt. — 4° Ex virtutibus, quas Christus magis commendavit, est virtus castitatis; quomodo vero eius ministri hanc virtutem docere possent fideles, nisi in se ipsis exemplum ac eius pulcritudinem praeberent? Dein, ministri religionis debent curare omnia, quae referuntur ad spiritualem fidelium sanctificationem, sive in verbo divino praedicando, sive in instruendo et sacramentis ministrandis, sive in excitando ad virtutes, sive in iis omnibus procurandis, quae ad maiorem Dei cultum et eius gloriam spectant. Fac ut praedicti ministri uxorem et familiam habeant; quomodo fungi possent sacris eorum ministeriis, cum debeant, ex necessitate, negotiis saecularibus vacare, domus sustentationi et filio-

rum collocationi providere, cum debeant studere quomodo placeant uxoribus et divisi sint? Accedit, quod munus maximi momenti sacerdotum est curam habere de pauperibus, viduis, pupillis, et opera misericordiae exercere in omnibus, qui eorum ministerio egent. At sacerdotes uxorati omnino negligerent haec officia, cum debeant primo suis familiis providere. Qua re S. Bonaventura ait: « Si episcopi et archiepiscopi nunc filios haberent, omnia bona ecclesiastica furarentur et diriperent, ita quod pauperibus pauca vel nulla remanerent. Cum enim modo congregent et ditent nepotes quasi gradibus incompatilibus ab eis elongatos; quid facerent, si haberent filios legitimos? Unusquisque attendat quantum esset periculum. Ideo providit Spiritus S. hoc offendiculum auferre et Dei consilio hoc statutum fuit in Ecclesia sancta Dei, ut clerici ad sacros ordines venientes nullo modo matrimonio possint uti ». Quod clarius patet ex Apost. (I Timoth. v), qui praescribit, ut viduae seu diaconissae, quae praeficiebantur ad necessitates sublevandas pauperum et ad sustentationem ministrorum, deberent esse aetate provecta et vovisse castitatem cum proposito non amplius nubendi. Quanto magis hoc ergo requiritur a sacerdotibus?

694. Ob quam convenientiam invenimus coelibatum in Ecclesia latina semper iure servatum fuisse ex traditione Apostolorum, etsi primis saeculis lex scripta non videatur adesse. Nam Siricius Pontifex († an. 385) in Epist. v, *ad Africanos* memorat legem continentiae impositam omnibus sacerdotibus et levitis, et damnat violatores huius legis poena depositionis et excomunicationis. Epistola habet: « Quarum sanctionum omnes sacerdotes et levitae insolubili lege constringimus, ut a die ordinationis nostrae sobrietati et pudicitiae et corda nostra mancipemur et corpora ». Et Conc. Carthag II., an. 397, habet: « Aurelius Episcopus dixit: cum in praeterito concilio de continentia et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis, per consecrationem annexi sunt, episcopos, inquit, presbyteros et diaconos ita placuit, ut condecet sanctos antistites et Dei sacerdotes, nec non et levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, *ut quod Apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas*, et nos custodiamus ».

695. Quoad subdiaconos non eadem semper fuit disciplina apud varias Occidentales Ecclesias, quippe qui non ubique altari ministrabant; at in Ecclesia romana, sin ab initio Christianismi, subdiaconatui adnexa fuit continentia, quia altari deserviebant; quod, cum deinceps

ubique commune devenisset, a Pelagio II et a Gregorio M. facta fuit lex generalis continentiae pro subdiaconis. Et etiam antea, S. Leo M. *Epist.* 82, ad Anasthasium Episcopum graecum Thessalonicae, an. 445, statuit: « Cum extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati et procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectae continentiae puritatem, nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; ut et qui habent, sint tamquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares ».

696. Progressu temporis vero, lex continentiae statuta fuit impedimentum dirimens matrimonii apud latinos. Quod constat ex iure pontificio et ex Conciliis. Nam Coelestinus II, vel, iuxta plures, Urbanus II, an. 1070, can. *Presbyteris*, 8, dist. 27, statuit: « Presbyteris, diaconis, subdiaconis et monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus; contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, et personas ad poenitentiam redigi debere iuxta sacrorum canonum definitiones iudicamus ». Nota: hic non agi de lege nova irritante introducta, sed de lege iam lata. Alexander III, an. 1180, c. *Si quis Clericor.* 1 *De Cleric Coniug.* habet: « Si in subdiaconatu et aliis superioribus ordinibus uxores accepisse cognoscuntur, eos uxores dimittere et poenitentiam agere de commisso, per suspensionis et excommunicationis sententiam compellere procuretis ». Et c. *De Diacono* 1, *Qui Clerici vel voventes*, habetur: « Subdiaconum... matrimonium non posse contrahere, sacrorum canonum censura demonstrat ». Benedictus XIV, Const. *Etsi pastoralis* § 7, n. 27, de Italo-Graecis statuit: « Praeterea, si quis subdiaconus, diaconus vel presbyter, post sacram ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit, vel, si uxorem non habebat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poena, aliisque nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis severissime punietur; verum etiam statim ab ordine erit deponendus et ab illegitima uxore separandus. Matrimonium enim, post recensitos ordines contractum, nullum irritumque declaramus ».

Et Conc. Viennense (an. 1312) statuit: « Clericos in sacris constitutos matrimonia contrahentes... excommunicationis sententiae ipso facto decernimus subiacere, praecipientes ecclesiarum praelatis, ut illos... excommunicatos publice tamdiu nuntient... donec suum humiliter recognoscentes errorem, separentur ab invicem et absolutionis obtinere beneficium mereantur ». Conc. Trid., Sess. 24, *De Sacr. Matrim.*, can. 9: « Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus con-

stitutos vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto; et oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari ».

697. Quod vero spectat Ecclesias orientales, dicendum est *probabilius* vigere impedimentum ordinis, quod constare videtur *a*) ex Concilio Trullano, quod, etsi nunquam fuerit approbatum a R. P., tamén magnam habet aestimationem et venerationem apud orientales, *b*) ex professione fidei Graecorum catholicorum et *c*) ex existimatione ipsorum orientalium. Nam *a*) in Conc. Trullano, can. 6, statutum est; « Quoniam in apostolicis canonibus dictum est, eorum qui, non ducta uxore, in clerum promoventur, solos lectores et cantores posse uxorem ducere; et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus hypodiacono, vel diacono, vel presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus, deponatur. Si quis autem eorum, qui in clerum accedunt, velit lege matrimonii mulieri coniungi antequam hypodiaconus vel diaconus vel presbyter ordinatur, hoc faciat ». *b*) Ex professione fidei Graecorum, edita iussu Gregorii XIII, habetur: « Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quae ex decretis sanae memoriae generalis Synodi Tridentinae Sacrosanta Romana et Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradicto fidei symbolo profitenda ac recipienda proposuit atque praescripsit ac sequitur etc. ». At in Syn. Trid., Sess. 24, can. 9, anathemate damnatur, qui negaverit ordinem sacrum esse impedimentum dirimens matrimonium. Accedit *c*) demum existimatio fidelium orientalium, qui haec matrimonia habent irrita, teste Benedicto XIV, qui postquam dixerit, si dispensaretur cum diaconis post sacrum ordinem, a schismate reversis ad unitatem, haberentur plurimae difficultates, ait (Const. *Eo quamvis tempore* § 49): « Siquidem cum apud fideles, etiam Ecclesiae orientalis, nulla sint et irrita matrimonia post ordines sacros celebrata, dispensatio grave illis scandalum ingereret et acerbe quererentur maximum infligi vulnus ecclesiasticae disciplinae ». Attamen ex pluribus RR. PP. Constit. et Actibus non resultat ordinem sacrum esse *certo* impedimentum dirimens apud orientales.

698. Ceterum, primis saeculis Christianismi, ministri sacri apud Graecos tenebantur, exemplo et consuetudine Apostolorum, abstinere

ab usu matrimonii antea contracti. Quam regulam tamen, processu temporis, reliquerunt et in hodiernam immutarunt, ob plures rationes et praesertim ob continuo magis relaxatam disciplinam morum.

Talis est, summatim exposita, origo et evolutio historica coelibatus sacri [1].

699. Ex dictis patet legem continentiae non tantum convenientem, sed necessariam esse statui ecclesiastico; per ipsam enim Sacerdotes efficacius et maiori diligentia possunt suis officiis fungi, pleniore apostolica libertate verbum Dei nuntiare ubique terrarum, igneis verbis in vitia irruere, mores corrigere, ignorantes docere, egenos succurrere, pro proximo totos se praebere; expertes affectibus saeculi, angeli Domini verò sunt et ab omnibus honorantur; fideles in eis maximam fiduciam reponunt, liberius eorum conscientam iis aperiunt, ab ipsis consilia petunt, certi quod nulla ratione ipsi moventur, nisi gloria Dei et eorum animarum zelo et salute. In lege coelibatus magna sita est vis societatis Ecclesiasticae, harmonia disciplinae, incorruptio morum, virtutum nitor, maior doctina sacerdotii, pulcriora sacrificia, splendidioresque formae sanctitatis. « Per legem coelibatus, ait insignis historicus, Ecclesia sibi constituit militiam paratam omni tempore ad ferendum bonum nuntium ad omnes terrae partes, ad pestes non timendum, ad vigilandum prope moribundos vel grabatum captivorum, quin teneatur affectibus amoris coniugalis et paterni, qui eo magis sunt vehementes, cum sint legitimi. Status suorum liberorum et cura eos collocandi non potest flectere Sacerdotes saecularibus potestatibus, quarum praepotentiis debent resistere; nec cogitatio stabiliendi imperium et beneficia in familiis, poterit eos inducere, ne saevioribus quidem temporibus, ut filios velint constituere haeredes et sufficere orientis privilegiatas classes christianae aequalitati. Absque coelibatu, RR. Pontifices, circa saecul. XI et dynastae redegissent Italiam et totum mundum in servitutem presbyterorum; absque tali iure forti ac ponderato, christianismus non potuisset regenerare hominem et civilem societatem » [2].

700. Inspectis hucusque natura, legibus, convenientia, immo neces-

---

[1] Cfr. De Luca, *Praelectiones iur. can.*, Romae, 1897, lib. *De personis*, n. 120 et ss.: eiusd. A., *Summa praelectionum in lib. Decretal., Comm. in lib. IV.* Prato 1904, n. 329 et ss.: Rosset, *De Sacram. Matrim.* etc., 1895, vol. III, n. 1564 et ss.

[2] Cantù, *Storia Universale*, edit. 10, Torino 1885, vol. 3°, pag. 599.

sitate ecclesiastici coelibatus, oportet nunc referre et ad examen revocare potiores obiectiones, quae contra adducuntur et videre quid valeant.

1.° Obiicitur: Necessitas removendi legem coelibatus a ministris sacris, plus minus, pluries comperta fuit etiam a christianis viris, pietate et doctrina notis. Ita, ex. gr., Aeneas Sylvius Piccolomini, qui postea Pontifex fuit, nomine Pius II, in Conc. Basileensi, ita locutus est: « Forte peius non esset, ut multi sacerdotum matrimonium inirent; multi in sacerdotio coniugati possent salvari, dum in sterili presbyteratu perduntur ». Et inter cetera, quae dixit Baptista Platina, haec refert: « Magno iure sacerdotibus ademptae sunt nuptiae; maiori eaedem ipsis essent restituendae ». Et in litteris, quas dederat Ioanni Frund, die 7 decemb. 1457, ait: « Credimus insulsum non esse tuum consilium, si, cum te continere non possis, uxorem quaeras; quamvis hoc cogitare expediret priusquam ordines sacros susciperes. Si percipis te non posse legibus carnis resistere, melius est nubere, quam uri. Haec tamen non est sententia Pontificis ut dispensare cogitet; persistit enim in sua severitate, nec vult uni concedere, quod in detrimentum multorum verteretur, conveniens existimans esse, ut unus patiatur pro multis. Ut ergo tute procedamus, expedit alterius apostolatum praestolari, qui benignior sit. Nescimus tamen an tamdiu superstites erimus ». Et Nicolaus Tudeschi, qui eidem Concilio interfuit et postea archiepiscopus creatus fuit, iudicavit: « Ecclesiam tanquam bonum medicum gerere se debere, qui videns medicinam infirmo noxiam esse, eam omittit, aliud *recipe* praescribens. Continentiae lex febrim libidinis auget et mortem parit. Et Ecclesia eam febricitantibus propinare perseverat? Ego credo, pro animarum salute optimum fore statutum, ut si aliqui se continere velint et magis mereri, eorum arbitrio relinquatur, iis vero, qui se continere non possunt, nuptias inire liceat ».

701. Resp. Ex dictis non sequitur legem coelibatus esse abolendam. Nam: 1° lex coelibatus, sicut Sacramentum Ordinis, non est instituta praecipue pro clericis, sed, et quidem maxime, ad utilitatem Ecclesiae et fidelium; ex hoc ergo capite discutienda est obiectio; et primario oportet considerare commoda et utilitates Ecclesiae et fidelium, quae absolute praeferri debent incommodis huius et huius sacerdotis, quae ex dicta lege oriri possunt. — 2° Ecclesia neminem impellit ut sacerdos fiat; sed eos tantum recipit, qui, post maturam reflexionem et cognitionem onerum, quae Sacerdotium imponit, ostendunt,

divina gratia accedente, se posse continere; hac ratione Ecclesia statuit: *a*) aetatis annos, necessarios ad ordinationem, et *b*) non obligari dicta lege, qui ordinati sint in aetate impubere, licet post usum rationis, nisi expresse vel tacite ratam habuerint ordinationem, perfecta iam aetate, ut constat ex Const. Bened. XIV, *Eo quamvis*, 4 Maii 1745, § 23 et 26; quae aetas incipit, iuxta Fagnanum (in c. *Tuae litterae de Cler. per salt. prom.*, n. 40 et ss. 73 et ss.) a decimo quarto aet. an., et, ex sententia Sanchez (*De Matrim.* l. 7, d. 30, n. 8) ab aetate statuta a Conc. Trid. pro religiosa professione, scilicet expleto decimo sexto aet. anno, quia obligatio coelibatus perpetua adeo gravis est, ut omnino voluntaria esse debeat, quod fieri nequit, nisi per experientiam aetatis; nec *c*) obligari qui ordinati sint per vim et metum, cadentem in constantem virum (S. C. C. *in Parisien.* 12 Iul. 1721), nisi postea libere ratum habuerit susceptum ordinem. — 3° Magnus error est asserere quod sint voto ligati, qui non possint se continere, et legem coelibatus parere febrim libidinis. Nam virtus continentiae est donum specialissimum, quod Deus concedit omnibus bene potentibus; et, cum Deus alicui gratiam dat Sacerdotii, non negat quae necessaria sunt ad sacerdotii ministerium rite exercendum et neminem permittit tentari supra id quod potest ferre. Continentia non potest servari, nisi continua petitione gratiae coelestis, iuxta Apost. dicta: « *Omnia possum in Eo, qui me confortat* », et prout docuit Christus ipse: « *Petite et accipietis... Omnis qui petit, accipit* ». Post divinam gratiam, necessario requiritur ut Sacerdotes amoveant omnes occasiones non necessarias, quae possunt eorum constantiam turbare et mores pervertere, cum magnae virtutes nonnisi per magnos labores servari queant. — 4° Si daretur libertas Sacerdotibus nubendi, magna oriretur confusio in Ecclesia Dei, quae certo secum ferret absentiam disciplinae, scissiones, schismata, discordias, quae omnino perverterent totam harmoniam in agro Ecclesiae; fideles ipsi grave scandalum paterentur. — 5° Etsi Aeneas Piccolomini et Tudeschi proposuerint Concilio Basileensi mutationem iuris seu relaxationem disciplinae coelibatus, Concilium tamen illam respuit, nec unquam compertum fuit ipsum Piccolomini, cum esset Pius II, dispensasse cum Sacerdote Frund, cui litteras antea dederat, supra relatas. Ceterum, in praedicto Conc., Piccolomini partes contrarias Concilio assumpsisse notum est. At, creatus Papa, omnia publice retractavit, quae contra Sedem Apostolicam dixerat et scripserat. Nam in Const. « *In minoribus* » diei 25 April. 1463, dicit: « *De-*

licta iuventutis meae et ignorantias ne memineris... Pudet erroris, poenitet male dictorum scriptorumque vehementer poenitet; plus scripto, quam facto nocuimus. Sed quid agamus? Scriptum et semel emissum volat irrevocabile verbum. Non sunt in potestate nostra scripta, quae in multas inciderunt manus et vulgo leguntur. Utinam latuissent, quae sunt edita!... Verendum est, ne talia nostris aliquando successoribus obiiciantur, et, quae fuerunt Aeneae, dicantur Pii, atque ab ea Sede auctoritatem vindicent, adversus quam ignoranter latraverunt. Cogimur igitur, dilecte fili, beatum Augustinum imitari, qui, cum aliqua in suis voluminibus erronea inseruisset, retractationes edidit... Idem et nos facimus... Quibus ex rebus, dilectiones vestras hortamur et in Domino commonemus, ne prioribus illis scriptis inhaereatis, aut fidem ullam praestetis, quae Supremam Apostolicae Sedis auctoritatem quovis pacto elidunt, aut *aliquid astruunt*, quod Sacrosancta Romana non amplectitur Ecclesia » [1].

702. Quid simile habitum fuit et in Conc. Tridentino, cui oblatae fuerunt instantiae Ducis Bavariae cum sollicitatione Ferdinandi I, Austriae imperatoris, quibus a Patribus Concilii petebatur, ut Sacerdotibus Germaniae permitteretur inire nuptias, ut possent ita statum cleri instaurare et vires sectariorum infirmare, cum tempus esset reformationis lutheranae et in Germania miserrima esset conditio Ecclesiae, ubi *exterminabat eam aper de sylva et singularis ferus depastus erat eam.* Attamen tridentini Patres et Romanus Pontifex non solum legem coelibatus confirmaverunt, sed pluribus poenis eius violatores mulctarunt. Idem contigit saeculo nuper elapso, quo Germaniam quam maxime pervaserunt errores Iosephismi, quorum causa plurimi sacerdotes germanicae nationis adeo moribus erant corrupti, ut magno scandalo apud fideles essent. Anno enim 1830 professores Universitatis Friburgensis petitionem de abolitione coelibatus fecerunt apud comitia Ducatus Aureliae Aquensis, et, sequenti anno, habitum fuit consortium ducentorum presbyterorum, qui statuerunt, ut omnibus modis et mediis, praesertim ope libellorum, proscriberetur coelibatus. Fideles, qui his rebus vehementer scandalum passi fuerant sese acriter opposuerunt, cum non amplius apud hosce Sacerdotes peccata sua confiterentur et prohibuerint eos, quominus publicis processionibus Eucharistiae Sacramentum deferrent. Immo fideles Du-

---

[1] Cfr. Rossetti, *Op. cit.*, n. 1629.

catus Badensis vitarunt communicationem in sacris cum Sacerdotibus, qui nuptias inierant et centuriatim trans Rhenum abibant, ut Sacramenta reciperent et doctrina catholica instruerentur a Sacerdotibus provinciae Argentoratensis; quod tamdiu ita fecerunt, quosque in propriis locis venerunt novi Sacerdotes, qui, optimis moribus, doctrina et pietate fulgentes, eorum fiduciam adepti erant. Eo tempore tantae calamitatis et scandali in Ecclesia germanica, non pauci Sacerdotes fuerunt, qui abolitionem coelibatus per instantiam a Sede Apostolica petierunt. Gregorius XVI tunc Pontifex, accepta petitione, in Litteris Encyclicis « *Mirari vos* » 15 Augusti 1832, inter cetera ait: « Hic autem vestram volumus excitatam pro religione constantiam *adversus foedissimam in clericalem coelibatum coniurationem*, quam nostis effervescere in dies latius, connitentibus cum perditissimis nostri aevi philosophis nonnullis, etiam ex ipso ecclesiastico ordine, qui, personae obliti, munerisque sui, ac blanditiis abrepti voluptatum, eo licentiae proruperunt ut publicas etiam atque iteratas aliquibus in locis ausi sint adhibere principibus postulationes ad disciplinam illam sanctissimam perfringendam. Sed piget de turpissimis hisce conatibus longo vos sermone distinere, vestraeque potius religioni fidentes committimus, ut legem maximi momenti, in quam lascivientium tela undique sunt intenta, sartam tectam custodiri, vindicari, defendi ex sacrorum canonum praescripto, omni ope contendatis » [1].

703. Optime itaque se gessit in his circumstantiis Ecclesia, quia Sanctitas Sacerdotii omnino debet requirere sanctitatem suorum ministrorum, coniunctam cum omnibus illis virtutibus, quae ordinem decorant ac illustrant, ad utilitatem Ecclesiae et fidelium; quarum virtutum, a Christo ipso magis commendatarum, procul dubio est virtus castitatis.

704. Obiicit. 2°. Mala et incommoda coelibatus multo maiora sunt, quam utilitates et commoda pro Ecclesia et fidelibus ex lege ipsa coelibatus; nam notum est et Sacerdotes peccare contra sextum; cum enim sacerdotes sint carne induti, legi carnis subiiciuntur; et cum nequeant per matrimonium carnis motus sedare, aliter peccando contra naturam libidinem compescere coguntur; quod quidem magnum ingerit scandalum apud fideles et existimationem coelibatus maxime

[1] Rosset, *Op. et vol. cit.*, n. 1630 et ss.

minuit. Dein historice compertum est, catholicos Germaniae valde insurrexisse contra decretum Gregorii VII, qui per episcopos indixerat pristinam legem coelibatus; de qua insurrectione ita loquitur Lambertus an. 1704: « Adversus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem plane haereticum et vesani dogmatis esse clamitant, qui oblitus sermonis Domini, qui ait: *Non omnes capiunt hoc verbum, qui potest capere, capiat.* Et Apostolus: *Qui se non continet, nubat; melius est enim nubere, quam uri.* Violenta exactione homines vivere cogeret ritu angelorum, et, dum consuetum cursum naturae negaret, fornicationi et immunditiei frena laxaret. Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium quam coniugium deserere, et tunc visurum eum, cui homines sorderent, unde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus Angelos comparaturus esset ».

705. Resp. Hoc argumentum, cum velit nimis probare, nihil probat. Incommoda enim, quae in vita coelibatus aliquando notantur, non sunt certo repetenda *ex natura* ipsius coelibatus, qui damnat non tantum quodlibet peccatum externum, sed etiam internum, contra castitatem; sed proveniunt ex debilitate humanae naturae ac mutata voluntate subiecti, et nonnisi *per accidens* in coelibatu occurrunt; effectus coelibatus ecclesiastici est, iuxta Apost. (I Cor. vii, 32 et 34) « *sollicitum esse quae Domini sunt, quomodo placendum sit Deo; esse sanctum corpore et spiritu* ». Omnibus rebus potest homo abuti, et si omnia essent abolenda, quibus homo mala voluntate abutitur, nil amplius remaneret in hoc mundo. Fortasse malum est matrimonium, quia saepe coniugati adulteria et alia turpia perpetrant? Fortasse malum est poenitentia, quia plures sacrilege confitentur? Fortasse mala sunt alia Ecclesiae Sacramenta, Ecclesiae et Dei praecepta, quia plures iis abutuntur? Ceterum notandum, paucos esse Sacerdotes contra coelibatum delinquentes, prae illis, qui rite illum colunt et observant. Potius oporteret scrutari causas, cur nonnulli delinquunt, et inveniretur causas potiores et ordinarias esse: negligentiam in vitandis occasionibus, quae ad peccatum inducunt, deficentiam amoris ad studium et pietatis exercitia, quae maxime cor sacerdotis confirmant ac roborant, vitam nimis saecularem degere, mundi commoda et periculosas amicitias fovere, sensus non custodire, noxia legere sub praetextu vanae eruditionis, nimis de se sentire, omnia iudicare, humilitatem non sequi, spiritus levitatem in omnibus prae se ferre, nimis facile oblivisci praeceptum Apost. (II ad Tit. 7, 8): « *In omnibus te*

ipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis ». Certe, virtus continentiae maxime delicata est et oportet omnia media in praxim reducere, ut intacta servetur; at in primis opus est continuo petere a Domino vim et gratiam, sine qua impossibile est eam sartam tectam custodire, iuxta *Sap.* 8, 21 : *Et ut scivi quoniam non possem esse continens, nisi Deus det.... adii Dominum et deprecatus sum.* At ex facto, quod nonnulli in eam delinquunt, nullo modo sequitur esse abolendam. — Accedit etiam, quod aliquando sacerdotes delinquentes ex iis sunt, qui non bene perspectam et ponderatam habuere voluntatem sacros odines suscipiendi vel qui non sufficientis studii, nec maturae pietatis, vel praecociter ordinati sunt, vel, demum, qui antea vitiorum carnis iam habitum contraxerunt, qui occultus remansit. Adde etiam quod non raro Sacerdotes, statim ac ordinati sunt, mittuntur ad regendas paroecias, ubi manent soli, absque ullo, qui illos dirigat vel consilietur, et, nisi amore pietatis et studii ferveant, ob occasiones, in quibus inveniuntur, facile fit ut propria munera negligant et in nonnullis delinquant. At omnia haec non sunt consectaria coelibatus, sed absentiae custodiae et cautelae subiecti, qui nimis facile obliviscitur sacri characteris, quo ornatur, et necessitatis locorum, quae ob deficientiam sacerdotum, postulant iuvenes parochos. At, hisce in casibus necessaria esset magna vigilantia ex parte Ordinariorum ad impedienda scandala vel murmurationes, quae oriri possunt, et statim illa obtruncare, cum noscantur, ne fidelium pietas graviter patiatur, et ne, quod unius causa fit, omnibus clericis tribuatur, ut ordinarie evenit. Item necessarium est, ut Ordinarii valde caute procedant in promovendo ad sacros ordines et nonnisi iuvenes admittant, qui in omnibus maximam pietatem, sufficientem doctrinam, spectatissimam ac probatam morum castimoniam et moralem certitudinem vocationis, quae ex dictis qualitatibus coniici potest, prae se ferant. Ecclesia Dei non quaerit multitudinem Sacerdotum, sed in eis apostolicas virtutes in aedificationem sacri ministerii et fidelium salutem. Melius est et in longo Episcopatu decem presbyteros, quales vult Apostolus, creare, quam quinquaginta, quorum quadraginta ob vitam relaxatam, ignorantiam et carentiam pietatis et studii, fidelibus maximo scandalo sunt, cum gravi damno et ruina animarum. Cum in Sacerdotibus deest amor pietatis et studii, certum est, citius vel serius, in eorum

cordibus oriri omnia, quae sacrum characterem deturpant et obscurant, ex quibus principem locum tenent amor feminarum cum suis consectariis, avaritia, maxima negligentia in sacerdotalibus muneribus obeundis, exaggeratus usus potionum alcoolicarum, tabaci et ludorum [1].

706. Obiicitur 3°. Lex coelibatus est contra ius naturae; cum enim natura cuilibet dedit organa genitalia, quae inservire debent ad generationem, quilibet habet ius generandi; at coelibatus exercitium huius iuris perpetuo prohibet; ergo laedit hoc ius.

Resp. Aliud est habere ius ad aliquid, aliud est debere exerceri *necessario* hoc ius. Unum sine altero bene stare potest, cum quis possit usui iuris renuntiare, vel ob particulares rationes illud non exercere. Hinc S. Thomas: « Ex divina providentia dantur homini ea, quae sunt toti speciei necessaria, nec tamen oportet quod quilibet homo illorum utatur. Data est enim homini industria aedificandi et virtus ad pugnandum; nec tamen oportet quod omnes sint aedificatores aut milites. Similiter licet sit homini divinitus provisa virtus generativa et ea, quae ad actum eius ordinantur, non tamen oportet quod quilibet actui generationis intendat » [2]. Et paullo ante scripserat: « Considerandum est, quod alia ratio est habenda in his, quae ad necessitatem uniuscuiusque hominis pertinent, atque alia in his, quae pertinent ad multitudinis necessitatem. In his enim, quae ad uniuscuiusque hominis necessitatem pertinent, oportet, quod cuilibet provideatur; huiusmodi autem sunt cibus et potus et alia, quae ad sustentationem individui pertinent; unde necessarium est, quod quilibet cibo et potu utatur. In his autem, quae necessaria sunt multitudini, non oportet quod cuilibet de multitudine attribuatur, nec etiam est possibile. Patet enim multa esse necessaria multitudini hominum, ut cibus, potus, vestimentum, domus et alia huiusmodi, quae impossibile est quod per unum procurentur, et ideo oportet diversorum esse diversa officia, sicut etiam in corpore diversa membra ad di-

---

[1] Ad praecavenda haec damna, quae infeliciter experientia quotidiana, praesertim in nonnullis locis et ruri, nobis testatur, perutile est aureum opusculum legere et meditari V. Sardi, cui titulus: *Dell'Ammissione ai Sacri Ordini. Della predicazione. De' Seminarii. Lettere al Vescovo di....* Roma, Pustet, 1902, quod maxime commendamus omnibus Ordinariis et Seminariorum alumnis, qui cupiunt ad sacros ordines admitti et scire quid ab eis Ecclesia Dei postulat, ut digni Sacerdotes evadant.

[2] *Contra Gent.*, 1. 3. c. 137.

versos actus ordinantur. Quia ergo generatio non est de necessitate individui, sed de necessitate speciei, non est necessarium, quod omnes homines actibus generationis vacent; sed quidam ab his actibus abstinentes aliis officiis mancipentur, puta militiae vel contemplationi ». Dein, si quis libere et sponte velit renuntiare usui sui iuris, praesertim intuitu alicuius superioris virtutis, ut est coelibatus seu castitas in ordine sacro, non ei licebit ? Si plures homines laici, vere christiani, hoc faciunt, intuitu ipsius virtutis castitatis, non poterit sacerdos ? Immo, si quis, ut attendat maiore libertate et vi studiis variis, potest uxorem non ducere, ut saepe accidit; non poterit Sacerdos, ut fidelium et sui ipsius spirituali saluti fervidius incumbat ?

707. Hoc eruitur etiam ex facto, quod absurdum esset obligare omnes indiscriminatim ad nuptias; nam numerus marium natorum non aequivalet numero feminarum. Tunc recurrendum fortasse esset ad polyandriam aut polygamiam ? Dein ex facto ipso, quod organa necessaria ad generationem non sunt in uno eodemque subiecto, sed in duobus distinctis, patet unum non posse generationi vacare, nisi alter consentiat. Quid si alteruter non consentiat ? Quum res ita sint, quo iure clamari potest, omnes ad generationem vacare debere ? Accedit ratio maioris momenti, consilium scilicet Christi ipsius aientis : « *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum* » (Matth. XIX, 12); « *scilicet nostri arbitrii esse, cum Dei gratia, nos castrare, idest castos et coelibes efficere, idque perpetuo voto firmare et servare* » [1]. Si quis potest ob bonum maximi momenti minora bona amittere, nonne poterit minister Christi bonum matrimonii amittere ob bonum maximi momenti, quod est virtus castitatis ? Pulchritudinem et meritum christianarum virtutum intelligere nequit, qui christiane non vivit, neque illi, qui in hoc mundo nonnisi voluptates carnis quaerunt. Quo maior est cautela et diligentia in servanda intacta aliqua virtute, tanto maius est meritum apud Deum et efficacius exemplum fidelium, qui, hac ratione, discunt christianas virtutes magis existimare et sequi.

708. Obiicitur 4°. Lex coelibatus nocet sanitati; cum enim semen continuo elaboretur et non possit adhiberi ad finem a natura intentum, magnam actionem habet in systema nerveum, quo fit ut hoc

---

1 Cornelius a Lapide, in Matth. xix, 12.

systema maxime irritetur et possint non pauca incommoda oriri, ex quibus nevrosismus et hysteria ipsa.

709. Resp. Haec obiectio falso innititur. Nam irritatio et debilitas systematis nervei non oritur ex abstinentia, sed ex abusu voluptatum carnis, ut supra vidimus. In abstinentia, semen, quod continuo conficitur, partim resorbetur, et, ob particularem eius chemicam compositionem, novam vitam novumque robur in toto organismo diffundit et praesertim in nervorum systemate, partim expellitur sponte, ordinarie noctu, per pollutiones; hac ratione, semen absorptum maxime confert ad sanitatem corporis servandam et ad pleniorem intelligentiae vitam evolvendam, et numquam quis invenitur melius paratus ad fortia proposita ac magnas cogitationes, nisi cum seminis emissioni pepercerit. Quod vero spectat ad hysteriam, dicendum, hanc observari in omnibus statibus civilis consortii, scilicet in corruptis et castis, in nuptis et innuptis, in viris et feminis, in pueris et puellis, in virilitate et senectute, quia plures sunt causae huius morbi, quas potiores supra recensuimus; immo in viris castis multo rarius inveniri, dum frequens est in iis, qui carnis voluptatibus indulgent. Idem dicendum de amentia, quae rarissime notatur in coelibibus religiosis, dum frequens est in illis, qui dissolute vivunt.

710. Quod si rationes huius obiectionis essent verae, nullo modo possent damnari vitium et concubitus extra matrimonium, cum quilibet haec ageret tantum ad servandam sanitatem et exercenda organa genitalia, quae natura ad hoc singulis tribuit, quod falsum est.

711. Ex praemissis ergo patet, coelibatum ecclesiasticum nullo modo adversari iuri naturae et libertati hominis, nec sanitati, immo maxime huic esse utilem et ob munera, quae exercent, sacris initiatis omnino necessarium.

INDEX HUIUS VOLUMINIS

PAG.

Procemium III
Monitum de altera editione. VIII

PARS I.

SUMMULA PHYSIOLOGIAE HUMANAE

CAPUT I.

DE HUMANI CORPORIS STRUCTURA ET FUNCTIONIBUS

1. De necessitate physiologiae pro Medicina pastorali. - 2. Corpus constat cellulis. - 3. De partibus cellulae. - 4. De componentibus cellularum. - 5. De conceptu vitalitatis cellularum relate ad vitam; de nucleo. - 6. De proprietatibus cellularum. - 7. De textis. - 8. De epitheliis et eorum varietatibus et officio. - 9. De texto connectente eiusque varietatibus et officio. - 10. De texto musculari. - 11. De texto nerveo. - 12. De cellulis nervosis. - 13. De fibris nerveis. - 14. De sanguine. - 15. De divisionibus biologiae. - 16. De organis et apparatibus. - 17. De partibus humani corporis. - 18. De capite. - 19. De trunco. - 20. De extremitatibus. - 21. De functionibus hominis 1-11

DE FUNCTIONIBUS NUTRITIONIS

CAPUT II.

DE DIGESTIONE

22. Quid digestio. - 23. De actibus digestionis. - 24. De cibis. - 25. De canali digerente. - 26. De oesofago. - 27. De stomaco; de glandulis pepsicis et succo gastrico, de glandulis mucosis et muco; de peptogenia et de substantiis peptogenis. - 28. De intestino et eius mucosa et

PAG.

villositatibus. - 29. De glandulis intestinorum. - 30. De glandulis Lieberkühn et gland. Brunner. - 31. De folliculis clausis (*placche del Peyer*). - 32. De ampulla Vater. - 33. De hepate eiusque structura. - 34. De bile eiusque natura. - 35. De pancreas. - 36. De natura succi pancreatici. - 37. De commanducatu. - 38. De salivatione. - 39. De deglutitione et bolo alimentari. - 40. De chymificatione seu digestione stomachali. - 41. De digestione intestinali seu chylificatione. - 42. De absorptione. - 43. De foecibus. - 44. De defoccatione. - 45. De mixtione chyli cum sanguine 12-25

CAPUT III.

DE CIRCULATIONE SANGUINIS

46. De fine circulationis. - 47. De apparatu circulationis. - 48. De notione generali circulationis. - 49. De natura sanguinis et eius elementis figuratis; de globulis rubris. - 50. De globulis albis. - 51. De plasmate. - 52. De gas sanguinis. - 53. De corde eiusque structura. - 54. De arteriis. - 55. De distributione arteriarum. - 56. De capillaribus. - 57. De venis. - 58. De valvulis venarum. - 59. De venis pulmonaribus. - 60. De vena cava superiore. - 61. De vena cava inferiore. - 62. De vena *porta*. 63. De nervis cordis et vasorum circulationis. - 64. De circulatione sanguinis in corde. - 65. De circulatione in arteriis. - 66. De circulatione in vasis capillaribus. - 67. De circulatione in venis. - 68. De circulatione pulmonari. - 69. De circulatione lymphatica. - 70. De origine vasorum lymphaticorum. 71. De motu et officio lymphae, - 72. De organis lymphoidis et et splene; historia circulationis 26-41

CAPUT IV.

DE RESPIRATIONE

73. In quo consistit respiratio et de eius organis. - 74. De organis apparatus respiratorii. - 75. De fossis nasalibus. - 76. De larynge. - 77. De trachea. - 78. De bronchiis. - 79. De pulmonibus. - 80. De phaenomenis mechanicis respirationis. - 81. De phaenomenis chemicis respirationis. - 82. De ratione, qua fiunt permutationes gasosae in pulmonibus. - 83. De centro nerveo respirationis; historia. - 84. De consectariis doctrinae respirationis 42-48

PAG.

CAPUT V.
DE CALORE ANIMALI

85. De calore eiusque genesi in corpore humano. - 86. De quantitate caloris producti ab organismo. - 87. De mediis contra frigus et contra calorem. - 88. De causis moderantibus calorem corporis. - 89. De nervis moderantibus calorem 49-51

CAPUT VI.
DE SECRETIONIBUS

90. De glandulis eorumque officio 52

A. — De excretione urinae

91. De organis huius excretionis. - 92. De renibus. - 93. De ureteribus. - 94. De vesicula urinaria. - 95. De uretra. - 96. De mechanismo secretionis urinae. - 97. De natura urinae 53-56

B. — De pelle eiusque secretionibus

98. De structura pellis. - 99. De aliis productionibus pellis. - 100. De aliis functionibus pellis. 56-59

C. — De secretione lactis

101. De natura lactis. 59

D. — De glandulis vascularibus sanguineis

102. De glandulis cum secretione interna. - 103. De hepatis functionibus. - 104. De pancreas. - 105. De splene. - 106. De thymo. - 107. De capsulis suprarenalibus. - 108. De corpore thyroide. 59-62

CAPUT VII.
DE NUTRITIONE

109. Quid nutritio et quaenam facta requirat. - 110. De conservatione nutritiva. - 111. De adsimilatione. - 112. De desassimilatione. - 113. De aequatione organica. - 114. Nutritio subiicitur nervis trophicis 63-65

PAG.

CAPUT VIII.

DE FUNCTIONIBUS VITAE ANIMALIS

115. Quae sint hae functiones. 66

1. — De Locomotione

116. De organis motus 66

A. — *De sceleto seu organis passivis motus*

117. De forma ossium sceleti. - 118. De partibus sceleti. - 119. De ossibus capitis. - 120. De ossibus trunci. - 121. De sceleto membrorum. - 122. De aliis ossibus sceleti. - 123. De articulationibus 66-70

B. — *De musculis seu organis activis motus*

124. De musculis. - 125. De physiologia musculorum 70-72

2. — De Sensibilitate

126. Quid intelligitur hoc nomine; de sensibilitatis organis . . . 72

A. — *De tactu*

127. De organo tactus 72

B. — *De gustu*

128. De organo gustus 73-74

C. — *De olfactu seu odoratu*

129. De organo olfactus seu odoratus 74

D. — *De auditu*

130. De organo auditus. - 131. De partibus auris. - 132. De aure externa. - 133. De aure media seu cassa tympanica. - 134. De aure interna seu labyrintho. - 135. De nervis auditus. - 136. De physiologia auditus 74-78

PAG.

E. — *De visu*

137. De organo visus eiusque partibus. - 138. De partibus essentialibus seu de globo oculi. - 139. De partibus accessoriis oculi. - 140. De physiologia oculorum. - 141. De myopis et presbyopis. - 142. Qua ratione oculus aptatur differentibus distantiis. - 143. De persistentia impressionum in retina 78-81

CAPUT IX.

DE PHONATIONE

144. De organis phonationis. - 145. De physiologia vocis. - 146. De elementis loquelae, de cantu et ventriloquio. - 147. De characteribus physicis vocis. 82-84

CAPUT X.

DE FUNCTIONIBUS RELATIONIS
SEU DE MODO AGENDI NERVORUM IN CORPUS (*innervazione*)

148. Notiones generales de systemate nerveo. - 149. Quibus partibus constet hoc systema 85-86

1. — De medulla spinali

150. De medullae spinalis structura. - 151. De meningibus spinalibus. - 152. De natura substantiae griseae et albae medullae 86-88

2. — De encephalo

153. De partibus encephali. - 154. De bulbo rachidico. - 155. De Isthmo encephali. - 156. De cerebello. - 157. De cerebro. - 158. De meningibus encephalicis 88-90

3. — De Nervis

159. De nervis eorumque genesi. - 160. De distinctione nervorum. - 161. De nervis calvae seu encephalicis. - 162. De nervis spinalibus . 90-93

PAG.

4. — De systemate nerveo « simpatico »

163. De structura huius systematis 93-94

CAPUT XI.

DE PHYSIOLOGIA NERVEI SYSTEMATIS

164. De momento huius studii. - 165. De notionibus nonnullis generalibus. - 166. De motibus voluntariis et involuntariis seu reflexis et de horum conditionibus. - 167. De mechanismis inhibentibus. - 168. De proprietatibus nervorum. - 169. De constitutione chemica nervorum. - 170. De nutritione nervorum. - 171. De officio nervorum. - 172. De centris nerveis. - 173. De centris nerveis medullae spinalis. - 174. De conductione sensibilitatis in medulla. - 175. De conductione mobilitatis in medulla. - 176. De functionibus bulbi rachidici. - 177. De functionibus protuberantiae annularis. - 178. De functionibus pedunculorum cerebralium. - 179. De functionibus tuberculorum quadrigeminorum. - 180. De functionibus cerebelli. - 181. De functionibus cerebri. - 182. De functionibus systematis nervei « simpatico » 95-104

CAPUT XII.

DE FUNCTIONIBUS SPECIEI

183. Differentia sexus est pro generatione. - 184. De discrimine inter corpus viri et feminae 105-106

1. — De natura et officio organorum generationis in viro

185. Quae sunt haec organa. - 186. De testiculis eorumque natura. - 187. De natura seminis. - 188. De pubertate. - 189. De canalibus deferentibus. - 190. De vesiculis seminariis. - 191. De canalibus seu ductibus iaculatoriis. - 192. De membro. - 193. De prostata. - 194. De glandulis Cowper; de distillatione 106-110

2. — De natura et officio organorum generationis in muliere

195. Quae sunt haec organa. - 196. De ovariis et ovulis. - 197. De tubis falloppianis seu de oviductibus. - 198. De utero seu matrice. - 199. De

PAG.

vagina et hymene. - 200. De vulva eiusque partibus et de glandulis Bartolinii 111-116

CAPUT XIII.

DE OVULATIONE ET MENSTRUIS

201. Quid ovulatio. - 202. De menstruis mensibus. regulis. moliminibus menstrualibus . - 203. Utrum ovulatio praecedat menstrua. - 204. De quantitate sanguinis menstrui. - 205. De tempore primi menstrui. - 206. De tempore menopausae latissimo sensu accipiendo. - 207. De utilitate menstrui sanitati mulieris. - 208. De effectibus fluxus; de nonnullis praeter ordinem tempore fluxus et menopausae. - 209. De anomaliis fluxus. - 210. Menstrui absentia per se non affert inhabilitatem ad prolem gignendam 117-123

CAPUT XIV.

DE COPULA SEU DE COITU ET DE LOCO FECUNDATIONIS OVULI

211. Copula est propter generationem. - 212. De potioribus phaenomenis copulae. - 213. Quae necessaria sunt ad fecundationem. - 214. De iaculatione feminea. - 215. De causis, quae favent motum nemaspermatum. - 216. Quid fecundatio. - 217. Ubi fecundatio fieri possit. - 218. Fecundatio potest fieri etiam plures post dies a coitu 124-128

CAPUT XV.

DE TEMPORE MELIORI AD FECUNDATIONEM

219. Principium de tempore fecundationis. - 220. Tempus menstrui minus aptum est ad fecundationem. - 221-222. Ad fecundationem nullum statutum est tempus. - 223. Menstrua non sunt necessaria ad fecundationem. - 224. Conclusio 129-131

PAG.

CAPUT XVI.

IN QUO CONSISTIT ESSENTIALITER FECUNDATIO DEQUE MULIERIS ARTIFICIALI FECUNDATIONE

225. In quo consistit fecundatio. - 226. Synthesis originis organorum corporis ex tribus laminis blastodermatis. - 227. Unum tantum nemasperma fecundationem operatur. - 228. Primae notiones certae de modo fecundationis debentur L. Spallanzani 132-136

CAPUT XVII.

DE FECUNDATIONIBUS MULTIPLIS, DE SUPERFECUNDATIONE DE SUPERFETATIONE ET DE SEXU INFANTIUM

229. De fecundationibus multiplis. - 230. De superfecundatione. - 231. De superfetatione. - 232. De sexu infantium. - 233. Notiones historicae de hac quaestione. - 234. Numerus marium fere aequivalet numero feminarum in ortu. - 235. De studiis et hypotesi doctoris Schenck. - 236. Quid de his iuxta sententiam A. 137-141

CAPUT XVIII.

DE FETIBUS UTERINIS ET EXTRAUTERINIS ET DE FALSIS PRAEGNATIONIBUS

237. Quid hae praegnationes 142

A. — De praegnatione uterina

238. De placentis et membranis fetus. - 239. Epilogus praeced. §. - 240. De statu fetus in utero. - 241. De partu et puerperio. - 242. De signis praegnationis. - 243. Quid pro praxi, iuxta doctorem Ziino. . . 142-146

B. — De praegnatione extrauterina

244. De variis praegnationibus extrauterinis. - 245. De natura harum praegnat. - 246. De causis praegnat. extrauterinae; haec supponit uterum. - 247. De progressu praegnationis tubariae, inspectae ut typus harum praegnationum. - 248. De signis harum praegnationum 147-150

PAG.

C. — De falsis praegnationibus

249. Quid falsae praegnationes; de earum causis. - 250. De praegnationibus imaginariis. 150-151

CAPUT XIX.

DE TEMPORE ANIMATIONIS FETUS

251. De momento huius quaestionis. - 252. Anima humana creatur a Deo. - 253. De véterum sententiis; omnis fetus animatur in ipso conceptionis instanti. - 254. Quod desumitur ex S. Scriptura, et definitione Immacul. Conception. V. M. - 255, Ex festo Immac. Concept. et Nativitatis V. M. - 256. De censura contra abortus procurantes « *Apostolicae Sedis* ». - 257. In codicibus civilibus non amplius fit distinctio inter fetum animatum et inanimatum. - 258. Nostra thesis probatur ex embryologia. - 259. De obiectione ex inertia animae in fetu. - 260. De obiectione ex persistentia motus epithelii vibratilis. - 261. De obiectione ex parvitate et informitate ovuli. - 262. Conclusio. 152-161

CAPUT XX.

DE TERATOLOGIA

263. Quid teratologia. - 264. De causis teratologiae. - 265. De momento huius studii et de iis, quae referuntur ad Clerum 162-163

A. — De hermaphroditismo
(*quatenus refertur praesertim ad matrimonium*)

266. Quid hermaphrodita: veri hermaphroditi in specie humana non sunt. - 267. De classibus hermaphroditismi. - 268. De prima classe. - 269. De altera classe. - 270. De tertia classe. - 271. De causa hermaphroditismi. - 272. Herniae aliquando simulant diversum sexum. - 273. Inspectio medica est necessaria in hermaphroditismo. - 274. Hermaphroditismus potest esse *externus* vel *internus*. - 275. De hermaphroditismo *interno*. - 276. De hermaphroditismo *externo*; in quo distinguendus *typus masculinus* et *femineus*. - 277. De typo *masculino*. - 278. De typo *femineo*. - 279. De signis externis hermaphroditismi. - 280. De signis *probabilibus*

PAG.

hermaphroditismi. - 281. De signis *probabilioribus* seu *minoris incertitudinis*. - 282. De statu psychico hermaphroditarum 163-169

B. — De anomaliis, quae frequenter notantur in organis generationis in utroque sexu (*quatenus referuntur ad matrimonium*)

283. De necessitate huius capitis 169-170

1. — **De anomaliis potioribus, quae ad virum referuntur**

284. De absentia penis. - 285. De epispadia. - 286. De hypospadia. - 287. De anorchidia h. e. absentia absoluta testium et de eunuchis. - 288. De cryptorchidia. - 289. De atrophia testiculorum. - 290. De bifurcatione profunda penis. - 291. De excessivo circuitu penis. - 292. De phimosi et paraphimosi. - 293. De nimia exiguitate penis. - 294. De nimia longitudine penis. - 295. De nonnullis morbis. 170-176

2. — **De anomaliis potioribus, quae ad feminam referuntur**

296. De absentia vaginae. - 297. De communicatione anormali vaginae. - 298. De imperforatione hymenis. - 299. De vaginismo. - 300. De absentia uteri. - 301. De prolapsu uteri. - 302. De absentia congenita uteri et vaginae. - 303. De imperforatione uteri. - 304. De communicatione anormali intestini recti et uretrae. - 305. De vagina duplici et utero duplici. - 306. De absentia certa utriusque ovarii 176-181

C. — De monstris

307. Quid monstra et quomodo dividuntur 181-182

1. — **De monstris simplicibus**

308. De acraniis. - 309. De cyclopiis. - 310. De polydactilibus. - 311. De amelis. - 312. De phocomelis. - 313. De sympodiis. - 314. De acardiacis. - 315. De hydrocephalis. 182-185

2. — **De monstris duplicibus**

316. Quae monstra duplicia et quae eorum divisiones. - 317. De divisionibus monstror. duplic. aequalium. - 318. *a*) De monstris *duplicibus*

PAG.

parte superiori corporis adhaerentibus; de syncephalicis. - 319. *b*) De monstris *duplicibus parte media corporis adhaerentibus.* - 320. *c*) De monstris *duplicibus parte inferiore corporis adhaerentibus.* - 321. De nonnullis monstris aequalibus. - 322. *d*) De monstris *duplicibus inaequalibus* seu *parasitariis.* - 323. De monstris tricephalicis 184-187

CAPUT XXI.

DE HUMANIS TEMPERAMENTIS

324. De genesi temperamentorum et necessitate ea noscendi. - 325. De actione temperamentorum in actus hominis. - 326. De causis temperamentorum. - 327. De temperamentis iuxta Galenum et in praesenti statu physiologiae. - 328. De vario momento systematum et organorum in homine quoad temperamenta. 329. - De divisione temperamentorum. - 330. Temperamenta nituntur re 188-192

1. — De temperamento nerveo

331. De characteribus huius temperamenti. - 332. De remediis huius temperamenti; quae alia temperamenta comprehendat 192-194

a) *De temperamento eroţico seu genitali*

333. De hoc temperamento generatim sumpto 194-195

b) *De temperamento biliari*

334. De characteribus huius temperamenti. - 335. De remediis huius temperamenti 195-196

c) *De temperamento melancholico*

336. De characteribus huius temperamenti. - 337. De cura huius temperamenti 196-197

2. — De temperamento sanguineo

338. De characteribus huius temperamenti. - 339. De cura huius temperamenti. - 340. De temperamento sanguineo-musculari seu atletico; eius cura. 198-199

PAG.

3. — De temperamento lymphatico

341. De characteribus huius temperamenti. - 342. De cura huius temperamenti 200-201

PARS II.

DE PRAECEPTIS DECALOGI

DE PRIMO PRAECEPTO

CAPUT I.

DE SPIRITISMO

343. De necessitate huius studii. - 344. De spiritismo veteri et recenti. - 345. Quomodo in praesenti latissime diffusus sit. - 346. De phasibus spiritismi. - 347. Quomodo distinguuntur *media*. - 348. De tabula divinatoria seu psychographica et de scriptura directa. - 349. Quid coetus spiriticus et quomodo habeatur. - 350. De factis certis spiritismi. - 351. De doctrina spiritismi, quatenus constituit novam religionem. - 352. De causis cur apud familias sessiones spiriticae habentur. - 353. De effectibus physicis et moralibus coetuum huiusmodi. - 354. Quid significat motus tabulae in coetibus - 355-356. De causa et illiceitate spiritismi. - 357. De prohibitione librorum, qui spiritismum docent vel commendant. - 358. De responso S. O. ad quemdam casum particularem. - 359. De necessitate ex parte confessarii, rigidissime agendi in poenitentes exercentes spiritismum 203-214

CAPUT II.

DE HYPNOTISMO CLINICO

360. De necessitate et difficultate huius argumenti. - 361. Quid hypnotismus. - 362. De modis potioribus ad inducendum somnum hypnoticum. - 363. Phaenomena hypnotica communia non adsunt. - 364. De tribus statibus seu phasibus hypnotismi, quae sunt *letargia* (status letargicus), *catalepsia* (status cataleptieus) et *somnambulismus* (status somnambolicus. - 365. De phaenomenis hypnoticis, quae in nosocomiis observantur.

PAG.

- 366. De relatione hypnotizati cum hypnotizante. - 367. De hallucinationibus. - 368. De illusionibus. - 369. Per suggestiones possunt perturbari omnes corporis sensus. - 370. Possunt perturbari functio membrorum, sensus musculorum, haberi anesthesia, paralyses, varios animi status; afficitur et memoria. - 371. De duplicitate personalitatis seu conscientiae. - 372. De vesicatione cum haemorrhagia. - 373. Praefata phaenomena sunt certa. - 374. De incommodis hypnosis quoad sanitatem. - 375. De magnis commodis habitis per hypnosim in morbis curandis. - 376. De natura hypnosis duae sententiae sunt. - 377. De argumentis primae sententiae. - 378. De argumentis alterius sententiae contrariis: Hypnosis non est morbus iuxta *omnes* medicos. - 379. Hypnosis non differt a somno naturali. - 380. nec ex absentia signorum morbosorum sequitur causa praeternaturalis hypnosis. - 381. nec causa physica in genesi hypnosis necessaria est. - 382. nec ex eo quod hypnotizatus operatori obedit, causa dicenda est praeternaturalis. - 383. hallucinationes nil obstant. - 384. elementa suggestionum sunt mere psychologica. - 385. nec haemorrhagiae sunt praeter naturam. - 386. Hypnotismus medicus nec nocet sanitati nec unquam proscriptus fuit. - 387 nec illicitus dici potest ob privationem momentaneam usus rationis et conscientiae. - 388 nec ob periculum criminum, quae perpetrari possunt. - 389 nec est contra civilem societatem et familiam. - 390 nec est perniciosus moribus iuvenum. - 391. Quid de responso S. O. - 392. Fautores secundae sententiae funditus incumbunt studio circa naturam hypnotismi; ex his eminet P. Coconnier, O. P., cuius doctrinam summatim refertur. - 393. De principio morali D. Thomae circa bonitatem alicuius rei; praenotanda. - 394. De elementis essentialibus hypnosis, quae sunt *suggestibilitas* et *suggestio*. - 395.-396. Hypnosi deest specifica moralitas. - 397. Suggestibilitas in hypnosi non est malum. - 398 nec temporanea iactura rationis et libertatis est malum. - 399-400 nec subiectio subiecti hypnotizanti est contra dignitatem humanam. - 401. Nil valet obiectio de incommodis in sanitate ex usu hypnosis. - 402. Hypnotizatio est actus indifferens; quando vero esset malum. - 403. Dato etiam quod hypnosis sit mala, adest-ne aliquis casus, in quo non sit mala? - 404. Si hypnosis est originis diabolicae, semper est mala; ad id noscendum fit recursus ad principia D. Thomae de psychologia humana. - 405. Doctrina S. Thomae de sensibus internis hominis. - 406. Analysis imaginationis. - 407. De natura somni. - 408. Applicantur praefata principia ad explicationem hypnosis; hypnotizator agit in imaginationem hypnotizati. - 409-410-411. Quomodo explicentur paralyses membrorum et impossibilitas loquendi in hypnosi, iuxta S. Thomam. - 412. Exponitur obiectio et refutatio circa perifericas imagines. - 413. Quomodo explicatur naturali modo exsudatio sanguinis. - 414. Ex praemissis, hypnosis

PAG.

non excedit activitates organicas et psychicas hominis ac ideo est aliquando licita in morbis curandis. - 415. De conditionibus requisitis ad eius liceitatem 215-251

DE V PRAECEPTO

CAPUT I.

DE ABORTU ET OPERATIONIBUS CHIRURGICIS PARTUS

416. Quid abortus. - 417. De partu praematuro artificiali et de abortu obstetrico. - 418. Hic res est tantum de fetibus uterinis. - 419. In quo consistit abortus et de eius causis. - 420. Quae sunt operationes chirurgicae partus. - 421. *De operationibus ad extrahendum fetum absque laesione matris et fetus.* - 422. *De operationibus, quae fetum occidunt seu de embryotomia: a) De craniotomia; b) De cephalotripsia; c) De cephalotomia; d) De sfenotripsia; e) De embryulcia; f) De evisceratione; g) De fetibus ectopicis seu extrauterinis.* - 423. Sententiae doctorum circa has operationes. - 424. *De operationibus, quae laedunt organa matris, quin aliquid patiatur fetus: a) de symphiseotomia; b) de operationibus unitis; c) de partu caesareo.* - 425. Quando peragi debeat hic partus, iuxta d.rem Morisani. - 426. Conclusio doctoris Morisani admitti nequit; exempla referuntur a Cangiamila et Debreyne-Ferrand. - 427. Consectarium maximi momenti. - 428. Quid sentiant moderni medici circa praedicta facta. - 429. Ante operationem statuenda est mors *realis* matris. - 430. Fetus potest vivere aliquo tempore in utero, mortua matre. - 431. De fetu mortuo iuxta Morisani; de embryotomia peragenda, si matre recuset operationem caesaream, iuxta eumdem doctorem. - 432-433. Operatio caesarea praeferenda semper embryotomiae pro matre et fetu. - 434. De amputatione utero-ovarica seu de operatione porrensi. - 435. De gastrotomia seu laparatomia. - 336. De pelviotomia et sectione pubica subperiostea 252-264

CAPUT II.

DE LICEITATE PRAECEDENTIUM OPERATIONUM CHIRURGICARUM

437. Inquiritur liceitas harum operationum. - 438. De operationibus non laedentibus matrem neque fetum. - 439-440. De embryotomia. -

PAG.

441. De operationibus laedentibus tantum organa matris. - 442. De operatione porrensi. - 443. Quid pro praxi embryotomiae. - 444. De alio responso S. O. circa abortum. - 445. An sacerdos, absente quacumque habili persona, mortua praegnante, possit agere operationem caesaream ad extrahendum fetum ut baptizetur? - 446. Normae circa modum operationis perficiendae 265-273

CAPUT III.

DE PARTU PRAEMATURO ARTIFICIALI

447. Praemittuntur nonnulli casus et responsa S. O. - 448. Proponuntur et solvuntur varii casus 274-276

CAPUT IV.

DE LICEITATE ABORTUS

449. De abortu, fetu mortuo. - 450. Principia de abortu fetu vivente. - 451. Exponuntur et resolvuntur varii casus. - 452. Quid in casu repositionis uteri gravidi coarctati in pelvi minore et de amputatione uteri item gravidi ob tumores uterinos malae naturae? - 453. De variis casibus praegnationis extrauterinae. - 454. Quoad casus viabilitatis et non viabilitatis fetus 277-282

CAPUT V.

DE ALCOOLISMO

455. Quae sunt potiones alcoolicae. - 456. Cur noceant sanitati. - 457. De quantitate alcool ut noceat. - 458. De causis abusus potionum alcoolicarum. - 459. De actione alcool in organismo. - 460. Abusus alcoolicus afficit alcoolicos et civilem societatem; de actione in systema nerveum. - 461. De actione in systema circulationis et alia organa. - 562. Quibus abusus alcoolicus maxime nocet. - 463. De effectibus relate ad temperamenta. - 464. Organa, quae magis exercentur, magis patiuntur ex alcool. - 465. Refellitur praeiudicium, quod vinum sit lac senum. - 466. Effectus alcool transmittuntur ad descendentes. - 467. De alcoolismo

PAG.

acuto et *chronico*. - 468. De alcoolismo *chronico*. - 469. De officio clerici in removendo hoc abusu. - 470. De officio et mediis societatis christianae ad evellendum alcoolismum 283-291

CAPUT VI.

DE USU ET ABUSU MORPHINAE

471. Quid morphinomania; quomodo adhibetur morphina. - 472. De opio et eius effectibus. - 473. Usus morphinae in Europa est valde diffusus. - 474. De causis externis morphinomaniae. - 475. De causis internis morphinomaniae. - 476. De effectibus morphinae in corpore et animo. - 477. De cura morphinomani. - 478. De modo se gerendi quoad clericos, relate ad morphinomanos 292-296

CAPUT VII.

DE LACTATIONE INFANTIUM

479. De relationibus inter praegnationem et confectionem lactis. - 480. De natura lactis mulieris. - 481. De relationibus inter uterum et ubera. - 482. De proprietatibus et mutationibus lactis. - 483. Lactatio firmat iura maternitatis et valde confert ad salutem matris. - 484. De incommodis, qui sequuntur valetudini infantis et matris, si ipsa non lactat, cum possit. - 485. De statu animi matris, tempore lactationis. - 486. De causis, quae excusant matres a lactatione. - 487. De nutritione matris lactantis. - 488. De copula tempore lactationis. - 489. De venalibus nutricibus. - 490. De lactatione artificiali. - 491. De causis excusantibus matres a lactatione, iuxta theologos 297-302

CAPUT VIII.

DE CORPORE CASTIGANDO

492. De utilitate castigationis corporis. - 493. De fine castigationum. - 494. Quomodo fieri debent. - 495. De praecipuis earum formis. - 496. De ciliciis. - 497. De flagellatione. - 498. Quid cavendum in his poenitentiis. - 499. Quomodo suadendae castigationes corporis. - 500. De vigiliis. - 501. De subtractione ciborum 303-309

PAG.

DE VI DECALOGI PRAECEPTO

CAPUT I.

NOTIONES GENERALES

502. De necessitate huius studii. - 503. maxime Confessarii. - 504. Quomodo confessarius gerere se debet relate ad sextum. - 505. Vitia de sexto non semper pendent a voluntate. - 506. Quomodo studere oportet rebus de sexto. - 507. Varii actus de sexto explicantur per relationes anatomicas. - 508. De locis voluptatis in utroque sexu. - 509. Historia centri nervei generationis. - 510. De centro psychico functionum sexualium. - 511. De consequentiis physiologicis iuxta praefata. - 512. De relationibus sensationum cum encephalo et anima. - 513. Excitatio genitalium potest esse *directa* vel *indirecta*. - 514. vel reflexa. - 515. vel per verberationes anales. - 516. De relationibus sensibilitatis nerveae cum genitalibus. - 517. Morbi ob abusus sexuales praecipue repetendi sunt ex immutatione nervei systemati 310-315

CAPUT II.

DE CAUSIS ACTUUM CARNALIUM

518. Quomodo distinguuntur hae causae. - 519. Quae causae *externae*. - 520. De malis exemplis. - 521. De otio. - 522. De solitudine. - 523. De natura ciborum. - 524. De nonnullis temporibus anni. - 525. De praxi confessariorum circa interrogationes de sexto. - 526. De ratione instituendi iuventutem. - 527. De aliis causis subiectivis. - 528. De visitationibus sponsorum ante matrimonium. - 529. De nonnullis lotionibus mulierum. - 530. De substantiis narcoticis. - 531. De nonnullis aliis causis. - 532. De causis *internis* et eorum distinctione. - 533. De causis *localibus*. - 534. De absentia curae genitalium. - 535. De vegetationibus in genitalibus femineis. - 536. De anomaliis clitoridis et herpete genitalium. - 537. De vermiculis intestini recti. - 538. De nonnullis inflammationibus mucosarum. - 539. Idem valet et pro viris. - 540. De nonnullis anomaliis in genitalibus viri. - 541. De causis *generalibus*. - 542. De phthisi pulmonari. - 543. De chlorosi. - 544. De nevrosi genitalium in ataxia. - 545. De priapismo. - 546. De satyriasi. - 547. De nymphomania. - 548. De irritatione cerebelli. - 549. De paralysi dementium progressiva. - 550. De epilepsia. - 551. De aequivalentibus epilepticis status epileptoides . - 552. De hysteria eiusque causis. - 553. De diagnosi hysteriae. - 554. De symptomatibus hysteriae. - 555. De

PAG.

characteribus moralibus in hysteria. - 556. De paralysi hysterica seu volitiva. - 557. De fallacia hystericorum. - 558. De characteribus moralibus hystericorum. - 559. De facilitate furandi hystericarum. - 560. Synopsis characterum hystericarum iuxta doctorem Falret et alios dd. - 561. De magnis accessibus hystericis. - 562. De triplici periodo in magna hysteria. - 563. De excitatione sexuali in hysteria. - 564. De paranoia. - 465. De modo se gerendi Confessarii cum hystericis et paranoicis. - 566. De chorea. - 567. De hypocondria. - 568. De constitutione individuali 316-344

CAPUT III.

DE VARIIS CONTRA NATURAM PECCATORUM MODIS EORUMQUE CONSEQUENTIIS

569. De necessitate huius argumenti tractandi. - 570. Formae omnes talium peccatorum non sunt appellandae nomine onanismi. - 571. De divisione horum peccatorum. - 572. De natura morali horum actuum . . 345-346

CAPUT IV.

DE SATISFACTIONE VENEREA IN USU CONIUGII CUM INTENTIONE IMPEDIENDI GENERATIONEM

(De onanismo coniugali)[1]

573. Quid onanismus. - 574. De modis impediendi generationem. - 575. De causis huius peccati. - 576. De effectibus onanismi. - 577. De diffusione onanismi. - 578. De effectibus physicis onanismi. - 579. De effectibus moralibus in muliere. , 580. Ab onanismo repetenda diminutio filiorum in aliquibus locis. - 581. De modo se gerendi Confessarii cum onanistis. - 582. Quid de sententia nonnullorum Aa. qui usum coniugii consiliantur certo tempore. - 583. Quo modo se gerere debeat uxor cum viro onanista. - 584-585. De incommodis et causis, quae excusant mulierem a peccato in reddendo, iuxta Bouvier. - 586. De bona fide coniugum in usu onanismi. - 587. De muliere, quae prohibetur ob morbos, ad debitum reddendum. 347-362

PAG.

CAPUT V.

DE SATISFACTIONE VENEREA SOLITARIA IN UTROQUE SEXU SEU DE MANSTURBATIONE

588. Quid nomine mansturbationis iuxta Aa. - 589. Quid hic intelligitur; distillatio differt a pollutione. - 590. De duplici malitia in iis, qui nequeunt emittere nisi distillationem per tactus; quid pro praxi. - 591. Quomodo expleatur mansturbatio in utroque sexu. - 592. Mansturbatio semper peccatum grave. - 593. De signis mansturbationis. - 594. De manstusbatione in *viro*; de eius effectibus iuxta modum consummationis. - 595. Mansturbatio non semper est voluntaria. - 596. De medicis, qui consilhantur mansturbationem. - 597. De effectibus mansturb. in *infantia*. - 598. De effectibus in *adolescentia*. - 599. Hac aetate debilitatur voluntas et sensus moralis. - 600. De effectibus in organis generationis. - 601. De effectibus in qualitate vocis. - 602. De effectibus in circulatione et respiratione. - 603. Producit epilepsiam. - 604. De pollutionibus involuntariis relate ad mansturbationem. - 605. De statu morali in adolescentibus ob mansturb. - 606. De effectibus mansturb. in *virilitate*. - 607. De effectibus mansturb. in *senectute*. - 608. De mansturbatione in *femina*. - 609. De signis *certis*. - 610. De signis *suspicionis* mansturbat. - 611-612. De effectibus physicis et moralibus in femina. - 613. De *cura* mansturbationis ex parte Confessarii. - 614. De hygiene servanda a mansturbatoribus. - 615. De medicinis adhibendis. - 616. De mediis mechanicis. - 617. De amputatione clitoridis. - 618. De cauterizatione vulvae contra mansturbationem vulvarem. - 619. Reprobatur castratio feminea. - 620. De matrimonio consulendo et aliis mediis 363-382

CAPUT VI.

DE SATISFACTIONE VENEREA MEDIANTE OBIECTA VARIA IN UTROQUE SEXU

621-622. De lata diffusione huius praxis. - 623. Quomodo expleatur in *viro*. - 624. De effectibus physicis. - 625. De effectibus physicis in intestino recto. - 626. De hac praxi in *femina*. - 627. De effectibus physicis. - 628. De modo se gerendi Confessarii in hac materia. 383-386

PAG.

CAPUT VII.

DE SATISFACTIONE VENEREA MEDIANTE LINGUA ET LABIIS INTER PERSONAS EIUSDEM VEL ALTERIUS SEXUS

(*irrumatio iuxta theologos*)

629. De turpitudine huius peccati. - 630. Quibus locis occurrit. - 631. De causis huius peccati. - 632. De eius effectibus physicis et moralibus. - 633. De effectibus specialibus in viro et muliere. - 634. Hoc peccatum habetur ut species distincta a sodomia 387-389

CAPUT VIII.

DE SATISFACTIONE VENEREA MEDIANTE COPULA CONTRA NATURAM INTER EIUSDEM VEL ALTERIUS SEXUS PERSONAS (*Sodomia*)

635. De sodomia perfecta et imperfecta et gravitate huius peccati. - 636. De sodomia *inter feminas*. - 637. De sodomia *inter viros* (paederastia). - 638. De signis, quibus cognoscuntur sodomitae inter se. - 639. Saepe sodomitae poenalibus tribunalibus subiiciuntur. - 640. De *signis* physicis huius praxis. - 641. De sodomia inter personas *diversi sexus*. - 642. De *effectibus physicis* huius praxis. - 643. De sodomia expleta *inter ubera* eiusque effectibus. - 644. De titillatione uberum; quid de confessione peccati sodomiae 390-395

CAPUT IX

DE SATISFACTIONE VENEREA CUM ANIMALIBUS (*Bestialitas*) CUM FEMINA MORTUA (*Necrophilia*) ET STATUIS

645. Quid *bestialitas*. - 646. De distinctione bestialitatis et de animalibus, quae ad hoc adhibentur. - 647. Quid in confessione bestialitatis. - 648. De signis physicis bestialitatis et de eius diffusione. - 649. De *necrophilia*. - 650. De copula cum *statuis* 396-398

PAG.

CAPUT X.

DE POLLUTIONIBUS

651. Quid pollutio et quomodo distinguatur a similibus emissionibus. - 652. *A.* De pollutione *activa* seu *nocturna* et *B.* De pollutione *passiva* seu *diurna*. 399

A. — De pollutione activa seu nocturna

653. Quid pollutio physiologica. - 654. Pollutio physiologica valde utilis. - 655. De *causis* pollutionis. - 656. De modo se gerendi quoad pollutiones, iuxta S. Alf. - 657. Quid de eius rationibus. - 658. De physiologia pollutionis. - 659. Quomodo quis se gerere debet iuxta principia physiologica. - 660. De mediis hygienicis vel medicis ad minuendas pollutiones. - 661. De praxi nonnullorum medicorum, qui consilium dant feminas adeundi 399-405

B. — De pollutione passiva seu diurna

662. Quid pollutio passiva et in quibus viris occurrit. - 663. De modo se gerendi confessarii quoad hosce viros. - 664. In his debilis est voluntas. - 665. De mediis hygienicis et medicis quoad has pollutiones. - 666. Quomodo quis se gerere debet, si medicus indigeat semine ad statuendam diagnosim morbi 405-408

CAPUT XI.

DE DISTILLATIONE VIRILI

667. Quid distillatio in viro et quomodo distinguitur a pollutione. - 668. De re morali distillationis iuxta S. Alf. - 669. Distillatio non secum fert emissionem seminis. - 670. Quid de re morali distillationis. . . . 409-411

CAPUT XII.

DE DISTILLATIONE FEMINEA

671. Quid distillatio feminea. - 672. Quomodo producitur distillatio feminea. - 673. Quomodo distinguitur distillatio feminea 412

PAG.

A. — De distillatione feminea diurna

674. Quomodo fit; de eius causis; quomodo distinguitur a simplici motu carnis. - 675. De modo se gerendi quoad rem moralem 413-414

B. — De distillatione feminea nocturna

676. Praenotanda. - 677. Potest confundi cum *leuchorrhea* et *blenorrhagia*. - 678. Quomodo haec distillatio distinguitur a dictis morbis. - 679. Quid de pruritu genitalium removendo, iuxta S. Alf. - 680. Quomodo discerni potest an pruritus oriatur ex causa libidinosa vel morbosa, iuxta Debreyne. - 681. De duobus aliis morbis frequentibus in genitalibus mulieris. - 682. Quid pruritus vulvaris et quomodo distinguitur. - 683. De cura pruritus vulvaris. - 684. Quid vulvites simplex; de eius cura. - 685. Innuuntur alii morbi genitalium mulierum 414-418

APPENDIX

DE ECCLESIASTICO COELIBATU

686. Necessitas tractandi hoc argumentum ex calumniis adversariorum. - 687. De coelibatariis. - 688. De coelibatu Ecclesiae. - 689. Exponitur lex coelibatus. - 690. De lege coelibatus in Ecclesia *latina*. - 691. De lege coelibatus in Ecclesiis *orientalibus*. - 692. E S. Scriptura *suadetur* ordinem sacrum impedire matrimonium. - 693. Lex continentiae maxime convenit statui ecclesiastico. - 694. Coelibatus in Ecclesia latina servatus fuit ex traditione Apostolorum. - 695. Varia fuit disciplina quoad subdiaconos. - 696. Progressu temporis ordo sacer factus fuit impedimentum dirimens apud latinos. - 697. *Probabilius* apud Ecclesias orientales viget impedimentum ordinis. - 698. Primis saeculis Christianismi Graeci tenebantur abstinere ab usu matrimonii. - 699. Concluditur continentiam, non solum convenientem esse, sed necessariam statui ecclesiastico. - 700. Ad examen revocantur potiores obiectiones: 1° Necessitas removendi legem coelibatus comperta fuit a viris christianis, pietate ac doctrina notis, ex. gr. A. S. Piccolomini, qui postea fuit Pius II et aliis. - 701. Respondetur. - 702. De petitione allata Concilio Trident.; de alia petitione allata Gregorio XVI. - 703. Ecclesia optime se gessit in his circumstantiis. - 704. 2° Mala et incommoda coelibatus maiora sunt quam utilitas et commoda ex lege coelibatus. - 705-706-707. Respondetur. 3° Lex coelibatus est contra ius naturae: respondetur. - 708. 4° Lex coelibatus nocet sanitati. - 709.-710. Respondetur. - 711. Conclusio 419-436

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.A58 C001 V001
MEDICINA PASTORALIS IN USUM CONFESSARIOR

3 0311 00044 1332

WITHDRAWN

46980

BX
1758
.A58
v.1

46980

Antonelli, Giuseppe

AUTHOR

MEDICINA PASTORALIS IN USUM CONFESSARIORUM ET CURIARUM ECCLESIASTICARUM

TITLE

253.3 21,513 A634M2 v.1

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

3 0311 00024 1332